



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

B 857,110

SS

Ex Libris
Oliver Spaulding



In Memory of
STEPHEN SPAULDING
1907 - 1925
CLASS of 1927
UNIVERSITY OF MICHIGAN

March 4, 1927




2. 1/2


~~1516~~
~~1400~~

300

~~Open span~~
Clinic Scaffolding Request
7-6-60
SS 4803



CORNELII TACITI OPERA.



CORNELII TACTI
O P E R A.

EDIDIT

FRIDERICUS HAASE.

VOL. I.

EDITIO STEREOTYPA.

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ.

LIPSIAE MDCCCLV.

353

T

H12

1855

v.1

FRID. HAASII

DE

CORNELII TACITI VITA, INGENIO, SCRIPTIS

COMMENTATIO.

Magnorum scriptorum proventus quoniam nullus esse solet nisi iis temporibus, quibus virtutes et facile gignuntur et recte aestimantur, quis non miretur summum Romanarum rerum scriptorem P. Cornelium Tacitum nec libera re publica vixisse nec Augusto principe, sed Nerone dominante natum in ea tempora incidisse, quae ipse et dixit et expertus est saeva et infesta virtutibus, cum quidem, ut Plinius ait, ¹ omne studiorum genus paulo liberius et erectius periculosum servitibus fecisset. Nimirum quamquam declinaverant ingenia post rei publicae interitum in privatae vitae angustias coacta ac sic quoque principum saevitia oppressa et communi omnium servitute infecta, non tamen ita iam effeta erat Romana civitas, ut non reperirentur, qui maiorum gloriae memores et aemuli ad ipsam etiam imperii formam emendandam adspirarent generosisque studiis aliquem priscae virtuti ac libertati locum vindicare cuperent; atque cives eiusmodi, qui inter gravissima pericula non se ferendos darent temporum pravitati, ut animis fortibus et erectis esse necesse erat, ita eosdem si ad illustrandas litteras incumbere, mirum non est longe praestantius aliquid et nobilius effecisse quam qui privata industria inter scholasticos nulla rei publicae cura ingenii acumen ostentarent. Tale exemplum atque id simul et illustrissi-

um et ultimum praebuit Tacitus; nam post eius aetatem emortuis fere vetustis ac nobilibus familiis, cum summa rerum apud eos plerumque esset, qui imperium a barbarorum infestis incursionibus armis defendebant, nec ultra pacem et securitatem amplius quicquam vel sperare vel quaerere cives possent, litterarum studia paene tota ad provinciales homines translata sunt, quorum industria aut servili veterum imitatione continebatur aut, si acriore ingenio praediti essent, sprete latini sermonis proprietate ac puritate peregrinam naturam miramovandi libidine exprimebant. Taciti vero ars ita est novitate insignis, ut tamen tota Romana sit; ita priorum scriptorum studiis nutrita, ut propriae virtutis plena sit; ita denique scholasticis exercitiis exulta, ut prodat animi magnitudinem ac libertatem. Sed ingenium eius ut accuratius noscatur, primum de vita quae accepimus, enarranda sunt.

Constat natum esse Tacitum ante annum p. Ch. 61, quo anno Plinius minor natus est, ² qui cum testetur se ac Tacitum propemodum aequales esse ³ dubitari potuit, quantum temporis inter utriusque natales intercesserit; ac fuerunt qui decem paene annos interfuisse crederent Tacitum natum esse statuentes a. 52; alii annos 53, 54, 58 praetulerunt; mihi et Plinii verba accuratius consideranti et reliqua, quae infra commemorabuntur indicia

¹ Plin. epp. III, 5, 5. qui narrat ideo patrum grammaticos libros de dubio sermone scripsisse.

² ib. VI, 20, 5.

³ ib. VII, 20.

colligenti nihil est veri similis quam natum esse Tacitum a. 58; exiguo enim intervallo se a Tacito disiunctum esse satis indicat Plinius, nec credendum est amplius aliquod spatium significari verisimiliter illis: *equidem adulescentulus, cum iam tu fama gloriaque floureres; te sequi, tibi longo sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam*. Scilicet in illa verborum honorificentia, qua erga Tacitum semper utitur Plinius, famam gloriamque ne nimis magnifice interpretemur, cogitandum est non aliam gloriam intellegi quam quae agendis causis centumviralibus iam ab adulescentibus quaerebatur; solebant enim, id quod Attilium dixisse Plinius refert,⁴ sic in foro pueri a causis centumviralibus auspicari, ut ab Homero in scholis; atque ipse etiam Plinius undevicesimo aetatis anno dicere in foro coeperat,⁵ et adulescentulo adhuc actio aliqua apud centumviros adeo prospere cessit, ut illam primam sibi aures hominum et ianuam famae patefecisse testetur.⁶ Manifestum igitur est, quo in studio et quo in laudis genere Plinius adulescentulus Tacitum secutus et aemulatus sit; nec credere licet Tacito aut minus prospere rem cessisse aut tardius famae ianuam patuisse, ut, si tribus fere annis ante Plinium in foro dicere coepit, potuerit iam fama gloriaque florere, cum ille eandem viam ingressus est.

Fuit autem ortus Tacitus equestri loco; de familia eius nihil certi constat, quamquam haud improbabile est patrem eius fuisse illum Cornelium Tacitum, equitem Romanum, Belgicae Galliae rationes procurantem, cuius alter Plinius mentionem facit propter filium inter primos infantiae annos ingenti statura monstrosum et mox mortuum.⁷ Tra-

ditur etiam inscriptio in agro Iuliacensi reperta haec: *Apollini... | Rationatoris honore | usus secundum | Cornelius Verus Tacitus | erexit monumenti loco.*⁸ atque olim Reinecius cum aliis et illum Plinii procuratorem et hunc rationatorem et rerum scriptorem Tacitum eundem esse statuerunt, gavisi etiam cognomen eius antea ignotum ex inscriptione emersisse idque scriptore veracissimo dignissimum; sed ea ipsa causa est una de pluribus, cur hanc inscriptionem subditiiciam putemus; mirum tamen, quod non praenomen etiam affictum est, de quo dubitatur; plerique enim Cornelium Tacitum sine praenomine appellant; pauci aliquot et recentes Taciti codices mss. Caium ferunt, in quos id a doctis hominibus illatum suspiceris ex Sidonii Apollini locis duobus epp. lib. IV, 14 et 22; quo auctore primus inter Taciti editores Lipsius Caium appellavit; sed neque quae sit in tali re Sidonii editionibus fides habenda satis iam constat, neque si constaret, scriptori ipsi magnam auctoritatem concederemus; quare plus tribuimus codici vetustissimo Corbeiensis, qui tribus locis post Ann. lib. I. et II. et III. Publium habet. Ceterum non extinctam esse Taciti familiam cum ipso intellegimus ex eo, quod parentem eum suum dicebat M. Tacitus,⁹ qui a. 276 per sex menses in imperio fuit, quamquam is Claudius, non Cornelius dicebatur; is fratrem habuit Florianum, qui item duobus mensibus imperator fuit; horum statuae ex marmore in solo proprio Interamnae positae cum fulmine membratim disiectae essent, responderunt haruspices, post mille annos ex eorum familia futurum imperatorem Romanum, qui subacto universo terrarum orbe se-

4 Epp. II, 14, 2.

5 ib. V, 8, 8.

6 ib. I, 18, 3. 4. 6. Ad hoc tempus refero quod paene adhuc puerum se patronum a Tiferatibus cooptatum scribit IV. 1, 4. de qua re aliter Masson. vit. Plin. p. 22.

7 N. H. VII, 16, §. 76. Aliud tale exem-

plum commemorat ex Fabio Seneca dial. VI, 23, 5. nam idem hoc esse ob temporum rationes parum credibile est.

8 Vid. Reines. syntagn. p. 108, unde eam repeterunt Orellius Inscriptt. lat. n. 1069. et Steiner cod. inscr. rom. Rheni n. 705.

9 Vid. Flav. Vopisc. vit. Taciti c. 10.

natui imperium restituat; erant autem utriusque liberi multi superstites, quorum posteros Vopiscus ait credere se millesimum annum esse expectantes;¹⁰ certe mirum non est etiam quinto seculo repertum esse, qui originem a Tacito duceret; is fuit Polemius, ipso anno 476, quo imperium Romanum concidit, praef. pract., ad quem scripta est Sidonii ep. 14 lib. IV.

Civem sibi vindicant Tacitum Interamnates, qui et statum ei posuerunt a. 1514.¹¹ et effigiem eius in apostolico palatio ostendunt, et sepulcrum in agro suo olim positum fuisse sed ab Hectore Simonetta ideo dirutum tradunt, quia Tacitum ob ea quae de Christianis dixit odebat; sed tota haec Interamnatum persuasio ut tribui potest pervagatae Italorum ambitioni, qui civium suorum antiqua gloria delectantur, et potuit fabula de Taciti patria et sepulcro facile oriri ex iis quae de imperatorum Taciti et Floriani sepulcris certa fide tradita sunt, ita nihil tamen incredibile habet, si solum proprium, in quo ea fuerant, iam ducentis annis ante in eadem familia fuisse statuamus.¹²

De pueritia Taciti nihil traditur; non tamen dubium est quin ea disciplina, qua illa aetate pueri uti solebant, diligenter institutus sit; itaque Virgili carmina studiosae ab eo lecta et memoriae mandata esse, nunc quoque crebra in eius libris vestigia ostendunt; item graecam linguam didicit, quae erat pars necessaria liberalis eruditionis, cum plurima-

rum rerum et litteris et magistris graecis uterentur; ac Tacitum satis constat non solum philosophiam, sed militarem quoque artem graecis auctoribus percepisse.¹³ Ceterum a grammaticorum disciplina ad rhetores et philosophos progressus ea omnia haud dubie praecipuo studio tractavit, quae civi in foro ac re publica versanti praesidio et ornamento essent; itaque dubitari non potest quin iuris peritiam sibi paraverit legesque et instituta maiorum omnemque rerum Romanarum memoriam diligenter cognoverit, quippe cui reprehendenda videretur *inscita republicae ut alienae*;¹⁴ nec desunt eorum studiorum multa ac praeclara in scriptis eius documenta. Sed nihil profecto magis curae habuit quam ut dicendi arte excelleret, quippe qua una maxime via ad honores et potentiam muneretur; quare si credere par est praestantissimis eum, qui tum erant, eloquentiae praeceptoribus usum esse, de Quintiliano cogitabimus et Nicete Sacerdote, quibus usus est Plinius;¹⁵ ac si dialogi de oratt. auctorem Tacitum esse statuimus, Curiatio quoque Materno et Vipstano Messallae eum amicum fuisse intellegimus, adsectatum vero maxime duos illius aetatis celeberrimos oratores M. Aprum et Iulium Secundum.¹⁶ Quorum studiorum hunc tulit fructum, ut cum in foro dicere adolescentulus coepisset, tribus fere annis post Plinio idem stadium ingrediente ipse iam fama gloriaque floreret. Atque ut initia haec in utroque nec temporibus admodum disiuncta et ipso etiam laudis genere simillima fuerunt, ita credendum est Tacitum et Plinium, qui nobis nunc ingenia eorum ex scriptis aestimantibus dissimillimi

10 Id. vit. Floriani c. 2.

11 Inscriptio, cui vulgati illa aetate errores non desunt, haec est:

C. CORNELIO TACITO

Eq. R. Proc. Gall. Belgicae. Pr. Urbano

XV. viro. sacr. fac. Cos. augustissimoque

rerum. augustarum. scriptori

M. Cl. Taciti. et. M. Annii. Floriani

fratrum. Caesarum. affini

Interamnates. Nahartes

ad. renovandam. clarissimi. civis. memoriam

et. ad. excitandos. inflammandosque

posterorum. animos. posuerunt.


12 Vid. Franc. Angeloni, historia di Terni. Rom. 1616.

13 Id intellegi ex Ann. II, 16. iam pridem docui a. 1835. in N. Annal. philol. et paedag. vol. XIV, fasc. 5. p. 93; ibidem primus indicavi Platonis locum, quem Ann. VI, 6 commemorat, esse in Gorg. §. 170. p. 524 sq.

14 Hist. I, 1.

15 Plin. epp. II, 14, 9. VI, 6, 3.

16 Vid. dial. de oratt. c. 2.



CORNELII TACITI OPERA.

tius Taciti honores coniceremus, multo id posset in illa simulata gratia verisimilius videri; nunc autem credimus praeturam Tacitum suo anno adeptum esse, quamvis invitum ab invito, videturque hoc haud leve argumentum esse, quo nostra de natali anno Taciti sententia comprobetur.

Post praeturam Tacitus per quadriennium id, quod Agricolae mortem antecessit, Roma abfuit; consecuta autem Agricolae mors est d. X. kal. Sept. Pompeio Collega Priscoque cons. a. 93. Abfuisse vero se ita Tacitus ipse significat, ut et necessitate aliqua prohiberetur quominus cum uxore Romam rediret morientique adsideret,²⁹ nec tamen illa tristior aliqua et calamitosa necessitas esset, in qua dicere non posset Agricolam salvis affinitatibus et amicitiiis decessisse.³⁰ Quare neque fieri potest ut exul tum fuerit, neque credibile est privato eum consilio abfuisse, ut nuncio de Agricolae morbo accepto celeriter reverti ac certe funeri interesse liceret; constat vero ne post mortem quidem statim eum revertisse; non enim Romae fuit, cum Massa Baebius, qui moriente Agricola reus erat,³¹ damnatus est cumque post damnationem Plinius illud fortitudinis specimen edidit, quod et ipse enarravit epp. VII, 33, et a Tacito in historiis celebrari cupiebat. Quae cum ita sint, nihil probabilius fingi aut conici potest quam Tacitum post praeturam anno interiecto in aliquam provinciam cum imperio missum esse pari Domitiani favore, quem superstite Agricola ei non defuisse consentaneum est; quae autem illa provincia fuerit, non magis constat quam quando illinc decesserit; certe non multo post Romae eum fuisse certum est, cum ipse vidit illa, quae Helvidius, Mauricus, Ru-

sticus, Senecio passi sunt; nec profecto mirum quod praecipua ei miseriarum pars visa est aspici, cum suspiria subscriberentur et cum saevus ille Domitiani vultus denotandis tot hominum palloribus sufficeret;³² neque enim Tacitum ab illo negligi par erat vel propter ipsius claritatem, vel propter soceri mortem, quae aut crimen Domitiani erat aut certe votum. Itaque ultimos et gravissimos impotentis dominationis annos Tacitus inter tristissimam necessitatem transegit, cum difficillimum esset deforme servitium subterfugere viro minime obscuro, qui vel silentio vel absentia non minus fatum provocaturus esset quam si praesens inutilem fortitudinem Domitiano opposuisset.

Neque tamen cum caesus ille esset, adeo sola laetitia exultavit ut non memoria ac dolor praeteriti temporis animo eius inhaereret; intellegebat enim miserrimo illo quindecim annorum spatio ex iis quos iam felicioribus auspiciis temp. capessere par esset, multos fortuitis casibus, promptissimum quemque saevitia principis intercidisse, paucos superesse non modo aliorum sed quodammodo sui superstites, quippe qui exemptis e media vita tot annis iuvenes ad senectutem, aenes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venissent; plurimos vero, qui timore temporum in privatum otium refugissent, captos paulatim inertiae dulcedine invisam primo desidiam amare coepisse nec ad publica negotia iam retrahi posse. Quare quamvis beatissimum seculum oriri praedicaret cum Nerva et Traianus imperium suscepissent, non tamen fugit eum haud facile sarciri posse damna, quae Domitianus intulerat, nec tam facile revocari ingenia studiaque quam oppressa erant.³³ Qua in re manifestum est quam recte vir sapientissimus iudicaverit; adeo enim

²⁹ ib. c. 45. *Noster hic dolor, nostrum volnus; nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus es.*

³⁰ ib. c. 44.

³¹ ib. c. 45.

³² ib. c. 45.

³³ ib. c. 3.

exhausta erant ingenia, adeo abiecta studia, quae rem publicam ornare possent, ut quamvis totum paene seculum principes optimi et benivolentissimi illustrarent, nemo tamen existeret Tacito vel Plinio similis. Atque primis quidem post Domitiani caedem annis, cum ii omnes praecipuo in honore essent, qui maxime Domitiano displicuissent, Tacitus quoque inter clarissimos viros in republica versatus est; ac statim ei Nerva imperator eximium plane honorem habuit; cum enim a. 97 consul esset ipse collegamque ascivisset Verginium Rufum, quo nemo erat gloria et virtute principis fastigio propior, mortuo huic in consulatu Tacitum suffecit,³⁴ magis puto dignitatem eius et virtutem secutus quam annorum numerum; quamquam annum quoque hunc legitimum Tacito fuisse ad consulatum capessendum ratio nostra probat; atque tribus annis post secutus est Tacitum Plinius a Traiano consul creatus in menses Septembrem et Octobrem a. 100.³⁵ Ceterum, ut mos erat, Tacitus Verginium Rufum oratione funebri ornavit tam illustri, ut Plinius hunc velut supremum felicitati Verginii cumulum accessisse iudicet, quod laudatorem nactus sit eloquentissimum.³⁶ Deinde ineunte anno 100 consularis Tacitus et Plinius consul designatus iussi sunt ab senatu Afris adesse accusantibus Marium Priscum; qui cum proconsul immanitate et saevitia excessisset crimina, quibus iudices dari possent, hoc primum effecerunt, ut eius causa in senatu ageretur; acta est deinde per triduum frequentissimo senatu, ipso Traiano praesidente, magna contentione, summa omnium expectatione; et cum Plinius primo die quinque paene horis dixisset respondissetque ei Claudius Marcellinus, postero die pro Mario dixit Salvius Liberalis, vir

subtilis, dispositus, acer, disertus, in illa vero causa omnes artes suas proferens; cui respondit, ut ait Plinius, Cornelius Tacitus eloquentissime, et quod eximium orationi eius inest, *οεμνῶς*. ut facile intellegas Tacito partes aliquanto difficiliores obtigisse quam Plinio. Postremo a senatu damnatus est Marius adiectumque, quod Tacitus et Plinius iniuncta advocacione diligenter fortiterque functi essent, arbitrari senatum ita eos fecisse, ut dignum mandatis partibus fuerit.³⁷ Atque haec quidem res tanta gloria gesta tamque honorifice a senatu collaudata extrema fuit Tacito, quantum quidem nobis constat; nam etsi ad haec maxime tempora atque fortasse etiam ad sequentes aliquot annos spectant, quae Plinius in epp. commemorat, quibus intellegimus summa cum laude tum Tacitum in luce hominum versatum esse et publica negotia tractasse, nihil tamen unum traditur, quod praecipua memoria dignum sit. Anno quidem ut videtur 101 Plinius scribit³⁸ studiosos multos ad eum convenire solere admiratione ingenii adductos, e quorum copia rogabat eum circumspicere praeceptores idoneos, quorum unum volebat a Comensibus conduci, ne cogerentur liberos suos studiorum causa Mediolanum mittere.³⁹ Item cum Roma abesset Tacitus, commendavit Plinio candidatum Iulium Nasonem, quem rursus Plinius, illo tempore consularis, commendavit Fundano diligentissime; ⁴⁰ eidem Fundano, consuli designato, Plinius Asinium Bassum quaestorem eo nomine commendat, quod is Tacitum arcta familiaritate complexus sit.⁴¹ Sed quicquid auctoritatis, quicquid laudis Tacito obtigit, id totum intellegimus neque ad militiam pertinere neque etiam ad magistratus singulari dexteri-

³⁴ Plin. ep. II, 1, 6.

³⁵ Vid. Masson. vit. Plin. p. 103 sq. 106 sqq.

³⁶ Plin. ep. II, 1, 6.

³⁷ Id. ep. II, 11.

³⁸ Vid. Masson. l. c. p. 118.

³⁹ Plin. ep. IV, 13, 11.

⁴⁰ Id. VI, 9 et 6.

⁴¹ Id. IV, 14.

tate administratos, quamquam has quoque virtutes non est cur defuisse ei credamus; eminent vero in eo et insignis est dicendi facultas, quae et comparata esset magna studiorum diligentia et aliorum studiis praeberet exemplum; atque id ita esse ipse testatus est sermone illo, quem Plinius summa cum voluptate sic refert: *Narrabat Tacitus sedisse secum Circensibus proximis equitem Romanum; hunc post varios eruditosque sermones requisisse: Italicus es an provincialis? se respondisse: nosti me, et quidem ex studiis. ad hoc illum: Tacitus es an Plinius? Exprimere non possum, inquit Plinius, quam sit iucundum mihi, quod nomina nostra quasi litterarum propria, non hominum, litteris redduntur, quod uterque nostrum his etiam ex studiis notus, quibus aliter ignotus est.*⁴² Quare haud improbabile est studiorum amorem, quamquam aliorum, in causa fuisse, cur aliquanto etiam prius Tacitus honoribus ac negotiis publicis exsolutum se vellet quam ob ingravescentem aetatem secedere vel necesse esset vel excusatum.⁴³ Neque nego etiam alias causas fortasse extitisse; suspiceris ex iis, quae de beati seculi ortu post Domitiani caedem sensit eum rettuli, diuturna servitute animi robur si non fractum, at certe imminutum esse nec eum perdurasse vigorem, qui continuae in senatu et iudiciis contentioni et plurimis rebus agendis par esset atque iis etiam laetus et alacer occurreret; suspiceris etiam tempora illa, quae ab initio summam felicitatem ac libertatem allatura speraverat, non plane talia evasisse, qualia diu inter priorum temporum atrocitatem exoptaverat et apud animum finxerat;

42 Id. IX, 23, 2. 3. Ceterum animadverti velim studia saepe sic dici, ut praecipue oratoria intellegantur; vid. Plin. ep. III, 13, 5. 11. 9, 8. IV, 16, 1. 3. 8, 4. 11, 4. 12, 10. 19, 2. 24, 4. VI, 2. 2. 5. 6, 3. 11, 3. 17, 5. VII, 6, 8. 9. 1. 16. 13, 1 sq. 24, 5. paneg. 95, 1. Hinc est quod Plinius maior opus id, quo oratorem ab incunabulis instituit et perfecit, Studiosi nomine inscripsit. Plin. ep. III, 5, 5.

43 Cf. Plin. ep. IV, 23, 3. 4.

atque sunt in Plinii certe epistulis variae querelae, quae si communes illi, ut par est, cum Tacito fuerint, facile hanc vim habere potuerunt, ut quamvis egregio principe et liberato senatu et iustitia restituta gauderet, praeferret tamen otium et secessum; verisimile enim est, praeter paucos illos, quos quasi sui superstites esse dicebat, alios haud paucos in senatu venisse, qui praesentibus bonis aliter atque ipse uti vellent minusque generosa ac sublimia de futuro tempore consilia agitare et veterem eorum gloriam, qui Domitiano regnante cum Tacito sensissent,⁴⁴ aut ignorarent aut spernerent; talia enim fere saepius Plinius queri videtur.⁴⁵ Denique licet etiam aliquid de adversa valetudine suspicari, quamquam eius nullum usquam indicium est. Sed quamvis haec omnia vel vera vel verisimilia credamus, nulla tamen potior, nulla verior causa videri poterit, quae Tacitum ad privatum otium traxerit quam historiae scribendae consilium. Quod cum professus iam esset eo tempore, quo Agricolae vitam edidit, i. e. anno 97 exeunte vel ineunte 98, non tamen crediderim ante annum 102 vel 103 eum constanter secessisse; ad haec enim ferme tempora pertinere illa videntur quae in Plinii epistulis publicas eum res curasse testantur; quae praeterea ad eum datae sunt epistulae, scriptae sunt pleraeque, cum Romae non esset, tres autem tum, cum in historiis componendis prope ad finem pervenisset; quam enim Plinius ei materiam vel ipsius rogatu vel sua sponte tribuisset epistulis suppeditat, ea ad Titi Domitiani tempora spectat; una ex iis post Nervae mortem,⁴⁶ omnes autem certe ante annum 107 debent scriptae videri propterea quod

44 Tales Plinius bonos dicit; vid. ep. IV, 17, 8. 15, 1. 24, 5. paneg. 45, 2. 46, 8. 90, 6. 95, 4. cf. Tac. Ann. III, 36. XVI, 26. hist. I, 38 extr.

45 Veluti ep. III, 20, 8. 21, 3. IV, 25, 4 sq. VI, 6, 4. 10, 5. 2. 5 sq. 5, 5 sq. VIII, 23, 2. IX, 2. 3. 9, 1.

46 Sunt illae lib. VI, 16 et 20, lib. VII, 33. in postrema hac §. 10. Nerva divus appellatur.

nullum omnino est recentioris anni in Plinii epistulis indicium; in quibus cum nulla absoluti historiarum operis mentio, nulla, quae in aliorum operibus haud rara est, gratulatio, nulla laudatio reperiatur, sequitur, ut si talem epistolam per tempora scribi non potuisse putabimus, paulo post a. 107 absolutae et editae sint historiae; sin potuisse scribi sed casu aliquo non scriptam dicemus, certe non multum ante eundem annum recedemus.⁴⁷ Neque potuit commode in praefatione historiarum *uberiorem* materiam dicere Nervae principatum Traianique imperium, nisi complexus mente bella Dacia duosque ex iis triumphos, quorum alter a. 102, alter a. 106 actus est. Eandem autem materiam cum senectuti se scribit seposuisse, nondum se senem esse indicat, mirum annos tum fere 48 habens vel 49. De reliqua Taciti vita nihil traditum est; constat tamen eum sub exitum Traiani superstitem adhuc fuisse, quoniam quae leguntur Ann. II, 61 de imperii Romani finibus, scribi non potuerunt nisi inter annos 115 et 117, quorum altero Traianus illos fines constituit, altero Hadrianus omisit;⁴⁸ cum autem non admodum probabile sit post editas historias Tacitum novem ferme decemve annis non ultra secundum Annalium librum progressum esse, credibile est locum illum tum maxime additum esse, cum totum opus absolutum ad editionem pararetur; quod si factum est a. 116, Tacitum tum annos habuit quinquaginta octo, nec mirum admodum est quod vir paene sexagenarius vitam non eo usque produxit, ut quod promiserat, Nervae quoque et Traiani res

47 Nihil enim moror Ritteri sententiam, satis iam ab aliis explosam, qui verba illa Agric. c. 8: *non pigebit-memoria prioris servitutis-composituisse* ita interpretatur ut Tacitum iam tum, cum haec scriberet, historias compositas habuisse, sed in scrinulis continuisse opinetur.

48 De prolatis usque ad rubrum mare a Traiano finibus vid. Xiphilin. LXVIII, 26—30. Eutrop. VIII, 3. de omissis ab Hadriano provinciis Spartian. Hadr. c. 5. Eutrop. VIII, 6. S. Ruf. c. 14. Augustin. de civ. d. IV, c. 29.

scriberet; certe credibile est, si vita suppeditasset, prius eum de Augusti aetate scripturum fuisse; id enim et multis annis post promissit⁴⁹ et quamvis laudaret raram illam temporum felicitatem, ubi sentire quae velis et quae sentias dicere liceat, profecto intellexit tamen minus liberum sibi esse de superstite principe iudicium quam de Augusto futurum erat. Accedit quod ipsa etiam consilii ratio, quam in enarandis et disponendis rebus gestis secutus est, suasisse videtur, ut adito Augusti principatu opus totum et integrum efficeret antequam ad novum rerum ordinem progredere- tur: de qua re infra dicam explicatus.

De scriptis Taciti tenuis et manca est apud veteres memoria. Nam primum nescitur qui illi fuerint libri, quos Plinio misit duo vel tres,⁵⁰ in quibus illum adnotare voluerat quae commutanda, quae eximenda arbitraretur; ac fieri potest ut plures etiam scripserit; quorum omnium quamquam et tempus et occasionem et argumentum ignoramus, illud tamen dubitari non potest quin oratoria studia spectaverint; id enim efficitur iis, quae supra de studiorum similitudine ac societate exposui, quae ipsi cum Plinio intercessit; itaque aut orationes fuisse credibile est aut talia, quae ad ipsam artem dicendi pertinerent. Atque habuit profecto laudatio Verginii Rufi, quam supra commemoravi, magnam et a viri illius magnitudine commendationem et ab ipsa Taciti eloquentia, quam Plinius praedicat,⁵¹ et a recente tum temporum felicitate, quibus habita est oratio; nec minus potuit Marii Prisci accusatio digna videri quae perscriberetur et ederetur, cum Plinius

49 Ann. III, 24. Quod parabat de Augusto opus numquam editum esse sine testimonio credimus, quis nullum usquam eius indicium extat; in altero illo de Nerva et Traiano certior res est quod constat Ammianum Marcellinum a Nerva principe exorsum esse.

50 Vid. Plin. ep. II, 11. VIII, 7. IX, 14.

51 Ep. II, 1, 6.

eam causam iudicet personae claritate famosas, severitate exempli salubrem, rei magnitudine aeternam;⁵² denique cum summam eloquentiae laudem Tacitus causis maxime agendis collegisset, aliae plures haud dubie actiones eius fuerunt memorabiles, quas edere posset, id quod Plinium in suis plurimis fecisse constat. Praeterea non abhorruisse Tacitum a quaestionibus ad ipsam artem oratoriam pertinentibus Plinii epistula docet,⁵³ qua eius iudicium de brevitate sciscitatur; cui epistulae si forte non ita plane assensit, ut paucis verbis defungeretur, Plinio quidem non potuit aliter satisfacere nisi epistula longissima. Quare si qua fides est Fulgentio, qui Cornelii Taciti *facietiarum librum* commemorat,⁵⁴ non profecto credemus, id quod Lerschio visum est, indignam eam Taciti gravitate et scurrilem materiam fuisse, sed quaesisse Tacitum putabimus, qui facietiarum possit in causis agendis usus esse; quod argumentum cum a nullius oratoris persona abhorret, tum tractari etiam ab eo potuit, qui ipse facietiarum non admodum studiosus esset; ac tractatum est a Cicerone,⁵⁵ Domitio Marso,⁵⁶ Quintiliano,⁵⁷ erantque, ut ait Quintilianus,⁵⁸ ad id pertinentia et a Graecis et a Latinis composita praecepta. Accedit quod ipsa verba, quae tamquam Taciti Fulgentius profert, videntur ad causam alicuius filii exheredatis spectare. Sed de Fulgentii fide, quamquam in hoc quidem Taciti libro nec mentiendi nec errandi

ulla fingi potest occasio probabilis, suum quisque sequatur iudicium; illud vero nemo negabit, qui nunc Taciti fertur *dialogum de oratoribus studiis* iis, quibus per maiorem vitae partem unis maxime vacavit, apprime convenire; ac tamen est de eius libri auctore quaestio difficilissima; cum enim dicendi genus, quo Tacitus in reliquis libris usus est, mirum quantum differat a dialogo, adeo quidem ut vel si argumenti diversitatem reputes nec dialogi naturam neglegas ac temporum quoque distantiae rationem habeas, non tamen superesse videatur similitudinis tantum quantum in eodem quidem scriptore superesse par est, quamvis ille diversissimas res genere diversissimo, interiecto etiam magno temporis intervallo tractaverit. Et vero, ut exemplo utar, Ciceronis si orationem aliquam ex iis, quas primas habuit, cum libris philosophicis comparaveris, quos sub finem vitae composuit, similitudinem in dicendi genere adeo omnes semper agnoverunt, ut quae et quanta diversitas sit, parum adhuc animadversum esse videatur. Quare cum plerique non credibile esse existimarent adeo sui dissimilem fieri potuisse Tacitum, ut in dialogo ne initia quidem quamvis tenuia illius proprietatis reperiantur, quae in reliquis eius libris insignis est, auctorem eum dialogi haberi posse negaverunt; dissimilitudinem autem eo magis miram esse confitendum est, quod temporum distantia exigua est paucorum annorum; probabile enim est dialogum scriptum esse sub finem imperii Domitiani,⁵⁹ ut

⁵² Ep. II, 11, 1.

⁵³ Ep. I, 20.

⁵⁴ Fulgent. de abstrusis sermonib. pag. XXIV. ed. Lersch. Quid sit elogium. Elogium est hereditas in malo, sicut Cornelius Tacitus in libro facietiarum ait: *Cessit [al. caesi; fort. decessit] itaque morum elogio in filiis relicto.* Cf. Lersch. ib. p. 72 sq.

⁵⁵ Vid. de Or. II, c. 54 sqq.

⁵⁶ *Is de urbanitate scripsit diligentissime.* vid. Quintil. VI, 3, 102.

⁵⁷ lib. VI, c. 3.

⁵⁸ ib. §. 11. 22. idem commemorat Ciceronis facete dicta a Tirone vel allo collecta et Domitii Atri urbane dictorum libros ib. §. 5 et 42.

⁵⁹ Vid. *Eckstein*, Prolegomena in Taciti, qui vulgo fertur, dialogum de oratoribus. Hal. 1835. pag. 38. Infirma admodum sunt argumenta, quibus usus Ritter prooem. ad Tac. opp. pag. XI sq. Tito imperante dialogum editum esse contendit; nam neque iuvenilem orationis abundantiam et immaturitatem agnoscimus, cum qua non bene convenit praecleara illa ars, qua mores et ingenium colloquium dialogi auctor expressit, quam artem idem Ritter tanti facit, ut ostendi non posse quemquam e reliquis Romanorum scriptoribus putet, qui ad eandem artis praestantiam ad-

exiguo intervallo distet liber de Agricola editus ac vix credibile sit Tacitum adeo totam exuere potuisse illam dialogi eloquentiam tam paucis annis, et quidem quibus eum constat in republica versatum esse et consulem fuisse et publicis negotiis districtum. rei autem parum per se credibili ut fidem habeamus, certe testimonia imprimis firma ac fide digna requiremus; ea vero nulla sunt; nam unum illud satis infirmum est, quod libri mss. Taciti nomen dialogo inscriptum habent, neque ii omnes; deest enim in cod. Vindob., in quo recentior manus Quintiliani nomen addidit; omnes vero sunt recentes, ex uno omnes fonte derivati, quem cur multo vetustiorum fuisse statuum nulla causa est; accedit quod dialogus in nullo alio librorum genere servatus esse videtur, nisi in quo is Germaniae Taciti subiunctus esset, ut facile potuerit, id quod saepissime factum est, auctoris nomen recte in antecedente libro positum ad alium librum transferri, qui in eodem volumine illum exciperet. Apud veteres autem scriptores nulla extat dialogi mentio; nam quod Pomponius Laetus testis pro Tacito excitatur, nullius momenti est, quia is fidem profecto habuit recenti alicui libro ms.;⁶⁰ Plinii vero testimonium, quo nuper plerique rem confectam esse statuerunt, nullum est.⁶¹ Quam-

obrem testium auctoritatem si quaerimus, res redit ad unam il-

quid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et incunctas urbis, deserenda cetera officia atque ut ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est in solitudinem secedendum est. et c. 12. *nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantum mihi adferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem quod nec in strepitu — nec inter sordes et lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia. fruitorque sedibus sacris.* Sed si a levi illa similitudine discesseris, quod voces *nemora et luci* pariter innotae sunt, id quod fit etiam alibi, ut apud Tac. Germ. c. 9. 10. 45. aliis Virgilii, Propertii, Frontonis, Lactantii locis, quos indicavit Doederlein. Synon. vol. II, p. 90. uterque dialogi locus nihil habet, cur ad eum Plinius provocaret: solitudinis enim amor intellegitur, quem ipsi poetae fatentur, de quo cum tot alii similibus etiam verbis dixerint, (vid. Hor. Ep. II, 2, 77. carm. I, 1, 30. III, 4, 7, 25, 2. Ovid. Trist. I, 1, 41. Plin. ep. VII, 9, 9. cf. Quintil. X, 3, 22.), tum etiam Saletem Bassum vel Maternum dixisse probabile est, quos proximum erat testes adhibere; poeticus igitur ille solitudinis amor ab Apro accusatur, a Materno defenditur, qua in re nullae Taciti partes sunt; neque ad Plinium pertinet quicquam, quippe qui non poetico illo solitariae vitae amore urbem reliquisset sed morem communem secutus tempore illo, quo rarescere solebant, ut ait Stat. silv. IV, 4, 14, densae moenia Romae, secessum petiverat ut ab urbanis negotiis requiesceret et vultudini consuleret et alio aere, sicut idem ait Statius, aestivos soles deciperet; otiosus igitur venationi se dabat sed nimio quodam studiorum amore inter venationem etiam stilum et pugillares secum habebat; vid. ep. V, 18; 2. IX, 36, 6. atque hortatus erat Tacitum ut eandem consuetudinem sequeretur ep. I, 6. Ad hanc igitur epistolam probabile est Tacitum ita respondisse, ut reprehensa illa, quam ipse Plinius confessus erat inertia et quiete praecepta quaedam proponeret, quae in otio illum et maxime in venando sequi vellet, ne corporis curam nimis neglegeret; praeceperat autem, ut Minervam et Dianam pariter coleret; et quoniam ille scripserat I, 6, 2 *silvas et solitudinem ipsumque illud silentium, quod venationi daretur, magna sibi cogitationis incitamenta esse*, Tacitus respondit, inter venationem leviora studia tractanda esse: *commodissime autem inter nemora et lucos poemata perfici.* Rursus ad haec Plinius ep. IX, 10 rescripsit, praeceptis Taciti se, quamvis cupiat, parere non posse ob aprorum penuriam; non igitur Dianae se sed Minervae tantum servare, et quia non versetur inter nemora et lucos, poemata quiescere. Manifestum igitur est, quae Tacitus de poematis inter nemora et lucos perficiendis scripserat, inter praecepta illa fuisse, quae neglecta a se Plinius altera epistola excusat; neque dixisse Tacitum de toto genere studiorum poetorum, quod solitudinem desideret, sed commendasse id studium, quod *commodissime* Plinius tractare possit, siquidem inter venau-

spiret; neque concedimus silentium illud, quod Agric. c. 8. Tacitus commemorat, ad litterarum studia et librorum editionem pertinere; nihil enim aliud in mente habet nisi oppressam senatus libertatem.

⁶⁰ Codicum mes. atque etiam Pomponii Laeti testimoniis nimium tribuere videtur Eckstein l. c.

⁶¹ Id primus indagavisse sibi visus est A. G. Lange, cuius dissertatio ter edita, primum in Actis Seminarii R. et Societ. philol. Lipsa. vol. I, p. 77 sqq. deinde aucta in Dialogi editione Dronkiana, Confluentib. 1828. pag. XVI—XXVIII, denique in Langii scriptis miscell. a Jacobo editis. p. 3—14. Credidit enim verba illa Plinii in epistula ad Tacitum data IX, 10, §. 2. „itaque poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas“ non posse alio pertinere quam ad locos similes in dial. c. 9, ubi Aper poetas reprehendens ait: *adice quod poetas, si modo dignum ali-*

lam librorum mss. inscriptionem, quam ut facile est in suspicionem adducere, ita fatendum tamen fieri posse ut e veteri memoria tradita sit, neque debet quod parum verisimile est, statim incredibile et fictum videri. Et vero si ab orationis colore discedas, nihil est in dialogo, quod a Tacito abhorreat. Quod enim de se dialogi auctor commemorat, tum cum colloquium habitum est, id est sexto anno imperii Vespasiani vel a. 75, se *iuvenem admodum* fuisse, id plane in Tacitum quadrat, qui e nostra ratione tum septendecim fere annos habebat;⁶³ praeterea Iustum Fabium, ad quem scriptus est dialogus, Tacito fuisse amicum facile credemus, cum idem etiam Plinio amicus fuerit;⁶³ nec est cur negemus in Tacitum cadere posse quod dialogi auctor cap. 2. summo se studio assectatum esse scribit oratores illius aetatis celeberrimos M. Aprum et Iulium Secundum; denique in ipso dialogi argumento nihil fere est,

dum non solum Dianae sed etiam Minervae servandum sit. Quae cum ita sint, fore spero, ut nemo posthac Langium secutus in dialogo quaerat illa Taciti verba, quae in amissa aliqua eius epistula scripta fuisse necesse est; eademque opera etiam eorum sententiam satis refutatam arbitror, qui epistolam illam lib. IX, 10. non Plinii esse sed Taciti opinati sunt, quae ad Plinii illam lib. I, 6 responderit; quam sententiam nemo nisi fallor accuratius defendit post Fr. Hessium in dissertatione de C. Caecilio Plinio minore Dialogi de Oratoribus auctore (Magdeb. 1831. *Fortsetzung des n. Jahrb. des Pädag. zu Lieben Frauen*. VI.) pag. 16 sqq.

⁶³ Temporum illa indicia sunt in dial. c. 17. et c. 1. nec dubitandum quin appellatio *iuvenis admodum* eam potissimum aetatem quam postulat, significet; pari modo apud Tacitum hist. IV, 5 Helvidius Priscus iuvenis admodum dicitur quo tempore ad philosophiae studia incubuit; id factum videtur aetatis anno XVI vel XVII, sicuti Agricolam idem fecisse in prima iuventa tradit Agr. c. 4. item Domitianus admodum iuvenis appellatur Agr. c. 7, cum haberet annos XVIII; neque alia aetas hisdem vocibus indicari videtur hist. II, 78 et IV, 42. Senec. contr. I. praef. extr. p. 69. Claudius Marcellus, qui aetatis anno XVII obiit, a Velleio II, 93 admodum iuvenis, a Tacito Ann. I, 3 admodum adolescens dicitur; minus accurate idem Velleio II, 41, 3 Iulium Caesarem admodum iuvenem dicit aetatis anno XXIV.

⁶³ Vid. Plin. ep. I, 11. VII, 2. I, 5, 8.

quod non placuisse Tacito et ab ipso scribi potuisse existimemus; etenim sicubi eadem res et in dialogo et in historicis Taciti libris tanguntur, quamquam eae pro argumento diversitate paucissimae sunt, nullum discrepantis iudicii vestigium apparet;⁶⁴ ac si recte supra exposuimus quanta intercesserit Plinio ac Tacito studiorum consiliorumque similitudo, illi quoque Taciti quodammodo causam agere videri possunt, qui ut Plinium auctorem dialogi esse docerent, ea collegerunt, quae similia vel communia in epistulis eius et in dialogo reperiuntur.⁶⁵ Satis igitur constat, si dialogi auctor non aut Tacitus fuit aut Plinius, fuisse eum non solum aetate illis aequalem sed etiam studiis iudicisque consentientem. Ac mihi quidem quamquam res haec natura sua dubia admodum est et incerta, quoniam reliqua omnia in Tacitum satis conveniunt, orationis diversitati non tantum tribuo, ut ideo abiudicandum ab eo dialogum putem; satis enim ex iis, quae supra dixi,⁶⁶ apparere arbitror, per totum illud tempus, quo Tacitus nullam aliam studiis suis laudem quam boni oratoris et causidici sectatus est, dicendi genere eum non fere alio usum esse quam quo Plinius utitur, formato illo maxime ad veterum oratorum exempla ac praecipue Ciceronis; aliter enim fieri non potuit, ut Plinius et naturae similitudinem sibi cum Tacito intercedere et ante omnes eum sibi maxime imitabilem, maxime imitandum visum esse praedicaret; atque in Plinio quidem certum est, in Tacito probabile, Quintilianum fuisse qui praecipit et exemplo hanc utriusque studiorum viam et commendaret et praeretur, cum alii longe diversum artis genus sequerentur, quorum princeps fere fuerat L. Annaeus

⁶⁴ Talia maxime persecutus est Lange l. c.

⁶⁵ In his rebus diligentissimus fuit Fr. Hesse l. c.

⁶⁶ Vid. pag. VIII.

Seneca, tenuiora exempla sunt quae Quintiliani feruntur declamationes. Ciceronis vero imitatio quamquam servilis non erat neque adeo tota Quintiliani et egregiorum eius discipulorum studia occupabat, ut non multa praeclara ingenia etiam post Ciceronem extitisse et sibi quoque ipsis magnam propriae laudis copiam relictam esse existimarent,⁶⁷ fiebat tamen necessario ut eloquentia eorum, cuius quidem summum exemplum ex alieno seculo petendum erat, magnam partem arte et studio quaereretur repugnante sui seculi natura, adeo ut quam ipsi vel popularem dicendi consuetudinem, vel etiam artem aetati illi acceptam et maxime blandientem e communi usu imbibere possent, eam ratione ac disciplina exuere et devitare studerent.⁶⁸ Quare credere necesse est olim Tacitum, dum sui seculi pravitatem declinat, appetivisse eam eloquentiae speciem, quae non aetatis suae ingenio sed Ciceronis exemplo Quintilianique praeceptis accommodata esset; postea vero cum ad historiam scribendam se contulisset, rursus videmus eum plane aliquid eloquentiae genus artificiose effin-

xisse, quod miro modo ex veterum scriptorum studiis suaeque aetatis inventis compositum non solum novum esset sed etiam adeo ipsius proprium, ut qui similiter scripserit, inter veteres noverimus neminem. Quae cum ita sint, minime nobis incredibile videtur illum ipsum Tacitum, qui historiae scribendae novam dicendi artem adhibuit, aliquando cum orator adhuc esset, eo dicendi genere usum esse, quod in dialogo admiramur; neque parva laus est, quod in utroque genere simul et praestantiam summam assecutus est, et eam constantiam ac facilitatem, quae non arte quaesita sed natura ingenerata videatur. Non autem credendum est, quod Lipsius dixit, in illa mutatione prorsus a sese abiisse Tacitum; etenim quamvis diversa sint illa dicendi genera, hoc tamen commune habent, quod et suae utrumque materiae aptissimum est et quod utrumque seculi ingenio contrarium ab arte magis et ratione Taciti profectum quam consensu aequalium commendatum est.⁶⁹ Videtur autem dialogus tum a Tacito scriptus esse, cum ad summam oratoriae artis maturitatem pervenisset: adeo ille simul et insigni iudicii prudentia et oratoris exercitati peritia et summa dicendi

67 Sufficit de hac re, quae multis et testimoniis et exemplis comprobari potest, apud Quintilianum legere lib. X, 1, 118—122 et totum eiusdem libri caput 2, quod est de imitatione; apud Plinium locum illum ep. VI, 21, 1. *sum ex iis, qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio; neque enim quasi lasca et effeta natura, ut nihil iam laudabile pariat.* apud Tacitum Ann. III, 65. *nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit.*

68 Longe alia ratio Ciceronis est, in quo eloquentia Romana, quae iam antea per quosdam quasi gradus paulatim excolta esset, ita tum primum perfecta enituit, ut tamen, si Cicerone nullus fuisset, multi ad eam parem similemque praestantiam aspiraturi fuerint; et rectissime scribit Tac. dial. c. 25 de eius aetatis oratoribus: *nec refert quod inter se specie differunt, cum genere consentiant: — omnes eandem sanitatem eloquentiae ferunt, ut, si omnium pariter libros in manum sumpseris, scias, quamvis in diversis ingenis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem ac cognationem.*

Taciti vol. I.

69 Mirum quod Lipsius non cogitavit tantae mutationis se ipsum insignem exemplum esse, qui cum maturiore aetate constanter Tacitum in scribendo imitans orationem etiam duriorum effingeret, olim tamen, cum lenae esset, plane Ciceroniano exemplo scribere solebat; documento esse possunt epistolae eius a Sal. Cypriano editae in Catal. codd. mss. bibl. Goth. p. 56 et in Clar. viror. epp. p. 182 sq. et vid. Klotzii opusce. varil. argum. pag. 14. Gesn. ad Hein. fundam. stili cult. p. 112 sqq. Haud dissimile est Hugonis Grotii exemplum, cui Annales et Historias de rebus Belgicis scribenti cum Tacitum sibi imitandum proposuisset, auctor fuit Bignonius, ut Caesarem potius imitaretur; scilicet libera fere est exemplorum electio iis, qui minus naturae vi et acuti ingenio ducuntur quam suo arbitrio et iudicio e studiis hausto; nec credendum est id non cadere in Taciti Plinili-que actatem, cum cadat manifestissime in proximam Frontonis, sintque etiam vetustiorum exempla artificiosae imitationis, ut Arruntii apud Sen. epist. 114.

arte, denique in omnibus rebus admirabili ingenii praestantia splendet. Nec profecto credibile est argumenti natura et dialogi forma allectum esse Tacitum ut semel aliquando a consueta sibi dicendi ratione deflecteret Ciceronisque orationem imitaretur, sed fatendum est fructum hunc cumque pulcherrimum ac fortasse ultimum fuisse totius vitae prioris studiorum, quae ei usque ad aetatis annum quadragesimum fere cum Plinio communia fuerant. Ab eo inde tempore aliam viam ingressus est adductus, puto, iis, quae in ipso dialogo a Materno maxime exposita sunt; nam quod ille docuit magnorum oratorum, qui veterum gloriam aequarent, neque ferax neque patiens illud seculum esse, neque quae una supersit eloquentiae species, studio magnopere dignam, id Tacitus haud dubie verissimum esse Domitiano imperante cognovit; nec mirum quod eodem tempore ad historiam studia traducere constituit; a quo consilio quamquam feliciora Nervae et Traiani tempora per paucos eum annos retinuisse videntur, cum illo tempore patriae caritate faciendum putaret, quod antea suae salutis causa fecerat, ut publicis negotiis non desisset, non tamen abductus est ab historiae scribendae consilio, cuius maiorem quam eloquentiae usum esse tum quoque eum intellexisse par est; neque enim minus quam Plinius senserat,⁷⁰ *quanta potestas, quanta dignitas, quanta maiestas, quantum denique numen esset historiae, quae pudorem malorum facinorum incuteret et metu posteritatis et infamiae a pravis dictis factisque deterreret.*

Itaque in ipso quem praedicat beatissimi seculi ortu de Agri-

⁷⁰ Ep. IX, 27. cuius epistolae non tempero mihi quin nullam allam occasionem fuisse coniciam quam partem aliquam historiarum a Tacito recitatum; atque ipse Tacitus videri potest eiusdem recitationis eventum in mente habuisse cum scripsit ea, quae leguntur Ann. IV, c. 33 extr.

cola scribens, publice professus est memoriam prioris servitutis se compositurum, quamvis intelligens adeo iam depravata hominum ingenia esse adeoque inertiae dedita et a rerum publicarum cura aliena, ut plerique talem historiam, quae virtutes et vitia civium vitamque publicam unice spectaret, fastidiose aversaturi viderentur.⁷¹ Eadem temporum pravitas effecit, ut ei quoque libro, quem tum edebat, veniam petendam existimaret,⁷² quippe quo illud ante omnia agebat, ut excusationem iis eriperet, qui principis saevitiam suae inertiae ac desidia praeterebant; hoc enim Agricola exemplo demonstrare cupiebat, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse nec necesse esse aut privatae vitae ingloria desidia occultari aut contumacia et inani iactatione libertatis fatum provocare. Scriptus autem is liber est inter diem XIV. kal. Octobr. a. 97 et VI. kal. Febr. a. 98; altero enim illo die Nerva Traianum adoptavit, al-

⁷¹ Hinc est quod scribit Agric. c. 3. *non pigebit — memoriam prioris servitutis composuisse.* cf. supra adn. 47.

⁷² De venia, qua sibi opus fuisse scribit Agric. c. 1. cum multi multis modis erraverunt, tum nemo gravius quam nuper Ritter prooem. p. XV, qui simul fingit quae et Taciti prudentia indignissima sunt et verbis eius grammaticisque linguae legibus vehementer repugnant; quae refutata opus non est. Alii cum veniam illam, qua sibi opus fuisse et quam se petisse Tacitus scribit, nusquam ab eo peti viderent, varia commenti sunt, ut Tacitus aut id non scripsisse aut ut veniam aliquam petisse videretur; inter quae mirabile est Wexil inventum, qui ut multis nominibus de Taciti Agricola optime meritis est, ita illud tamen infelice finxit prolegg. p. 162. ipsi libri inscriptioni addidisse Tacitum verba quaedam nunc amissa, quibus aliqua veniae petitio contineretur. Scilicet fecit Tacitus fere quod scribit Plin. ep. II, 13, 11. *extenderem preces, nisi et tu rogari diu nolles et ego tota hac epistula fecissem; rogat enim et quidem efficacissime, qui reddi causans rogandi.* Quid enim aliud Tacitus toto capite primo fecerat nisi ut antiquorum et meliorum temporum exemplis suo scribendi consilio veniam conciliaret? et profecto si quis vel primis statim verbis auditis interrogetur, quo tale initium spectet, aliud respondere non poterit nisi ipsam scribendi genus defendi vel excusari; de cuius raritate testatur etiam Plin. ep. VII, 31, 6.

tero ipse mortuus est; tum vero Nerva adhuc superstes erat, quippe qui non divus sed Caesar appellatur cap. 3. et Traianus iam adoptatus; ibidem enim dicitur felicitatem temporum quotidie augere et princeps appellatur cap. 44. Ceterum Tacitus cap. 3. extr. sic ait: *hic interim liber, honori Agricolae soceri mei destinatus professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.* Quae verba proprie eo spectant, ut etiamsi ipsi scribendi generi venia non concedatur, habeat tamen hic liber in pietatis certe professione aliquid adversus vituperantes praesidium. Sed excusatione etiam alio nomine eget; etsi enim et arte magna compositus est et generosum Taciti animus probat, deest ei tamen aliquid, quod in reliquis Taciti libris non desideramus; in quibus cum mirifico plane iudicii acumine insignium virorum mores et ingenia describat atque ea quoque indaget, quae in hominum animis maxime abdita et occulta sunt, in Agricola parem diligentiam non praestitit, quippe non tam unius hominis propriam imaginem effingens, sed perfecti potius exempli speciem ad imitationem omnium proponens; ut facile intellegas minus eum historici partes egisse, quem nullo decet nec amoris nec odii affectu commotum intimos animorum sensus acri examine perscrutari, sed amore et admiratione soceri plenum ab eiusmodi examine abhorruisse; neque id vitio ei verti potest, qui pietatem professus non veritatem laederet, sed quam ipse perfectam virtutem veneraretur, eam aliis quoque admirandam et imitandam proponeret. Atque ut dialogo edito oratoris studiis pulcherrimum finem imposuit, ita hoc libro ut dignissimo exordio historica auspiciatus est; neque enim dubitari potest quin is gravissimo historiae scribendae muneri inprimis aptus sit, qui Agricolae illam admirabilem moderationem afferat firmatam adversus

ambitionem et gloriam pariterque et a contumaci odio et turpi servitio alienam. Sed antequam ipsam illam, quam promiserat, servitutis memoriam componeret, edidit de situ, moribus et populis Germaniae librum, anno quidem, ut videtur, 98 p. Chr. n.⁷³ De cuius libri causis et consilio longum est enarrare quot quamque diversae fuerint et adhuc sint doctorum virorum sententiae. Mihi non hoc primum consilium Taciti fuisse videtur, ut Romanorum mores exagitareret, adhibita parum honorifica barbarorum comparatione, nec magis hoc, ut quasi historiarum appendicem scriberet, quae si ipsi operi alicubi interponeretur, nimis ampla futura erat, quippe alquanto amplior quam nobile illud de Iudaeis embolium hist. lib. V insertum;⁷⁴ nec Ludenio credemus esse hanc rudem quandam farraginem rerum ad Germanos pertinentium, quas variis libris legendis Tacitus decerpserit et ut casu oblatae erant, sine ordine in chartam coniecerit ut iis alquando in historiis scribendis uteretur, non ut tamquam iustum librum ederet. Neque etiam Passovius recte statuit, pro-

⁷³ Nullius momenti sunt quae contra disputat Rupert. vol. I. pag. XIX. nam si vel maxime statuamus, librum non quidem ante secundum Traiani consulatum scribi potuisse, qui commemoratur c. 37, sed post eum potuisse, certe non potuit aut in tertio consulatu aut post tertium, qui est anni 100; nec credibile est Tacitum tamquam Velleium alium, ut scilicet honorem haberet Traiano, noluisse anni 99 consules appellare.

⁷⁴ Novissime hanc sententiam defendit Ritter prooem. p. XVIII. confusus sua opinione, de qua supra dixi, historias illo tempore iam absolutas fuisse; et quod praefatio deest Germaniae, tantum abest ut isto modo satis excusetur, ut magis miremur ne hoc quidem dixisse Tacitum, velle se hunc librum tamquam historiarum corollarium haberi, ut inde petantur, quae ad Germanorum res recte intellegendas necessariae sint; id vero erat confiteri vitium haud leve in scribendis historiis commissum; neque ullum iudicium in Germania est, quo sentiamus respicere eum historias iam absolutas et editas aut illustrare velle res in illis tralatas. Contra facilius credas Germanorum rebus ideo non ut Iudaeorum proprium locum concessum esse, quia iam aliquot annis ante Germania edita erat.

positum Tacito fuisse, ut Traianum a bello Germanico deterreret;⁷⁶ non enim is est Tacitus, qui laudet principem proferendi imperii incuriosum;⁷⁶ ac minus dignum praemium eius belli esse arbitrabatur, quod abolendae infamiae causa quam quod proferendi imperii cupidine susciperetur;⁷⁷ quid igitur eum tum censuisse putabimus, cum primo beatissimi seculi ortu excusa tristi servitute domestica liceret etiam de externis rebus cogitare, idque principe Traiano, qui bellis fortiter gerendis inprimis idoneus videretur, et de quo iam socer Taciti Agricola, vir militaris, optima quaeque sperasset?⁷⁸

Non nego difficillimum id bellum visum esse Tacito et felicitis eventus spem praecipuam eum in hostium discordia habuisse;⁷⁹ sed haud dubie censuit utendum esse hoc auxilio antequam concordia aliquo modo parata universa belli moles in Romanorum imperium ingrueret; et voluisse eum segnes animos summae infamiae cogitatione pungeri et ad res strenue gerendas excitare satis declarant ea, quae de ignominioso Domitiani triumpho Germanico dixit,⁸⁰ quo pertinent etiam illa summa cum acerbitate dicta Germ. c. 37. *proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt*, et quod paulo ante, postquam dixit ab eo tempore, quo primum Cimbrorum arma audita sint, ad alterum imperatoris Traiani consulatum ducentos ferme et decem annos colligi, haec addit: *tam diu Germania vincitur!* Talia qui scribit, non profecto suadet ut bellum prudenter fugiatur sed ut fortiter geratur: atque infamiam quidem sub Domitiano acceptam aboleri certe Tacitus voluit vera aliqua ac solida victoria, vel si proferendi im-

perii aut spes nulla ostenderetur aut differenda in praesens consilia essent. Iam vero si meminerimus Tacitum anno priore consullem fuisse et tunc in luce hominum versatum, cum boni proveherentur et bonis principibus ii essent carissimi, qui invisimale fuerant,⁸¹ dubitari non potest, quin edendo singulari huic de Germania libro occasionem non historiae scribendae rationes sed publicae curae praebuerint. Sciendum est autem paulo ante Traianum ex Hispania in Germaniam a Domitiano cum legionibus accitum esse;⁸² illic cum res gereret, et de Domitiani caede et de Nervae principatu ei allatum est; illic et adoptatum se a Nerva accepit et Caesar, mox imperator et tribuniciae potestatis consors factus est;⁸³ illic et consulatus alter et Germanici nomen ei delatum est;⁸⁴ ipsum igitur illum consulatum, quem Tacitus commemorat, Traianus gessit in Germania;⁸⁵ sed Danuvium non transgressus emendanda maxime militari disciplina effecit ut Germani bellum detrectarent obsidibusque datis imperii maiestatem, quam antea impune contempserant, vereri se faterentur;⁸⁶ itaque mortuo Nerva Traianus Romam rediit nulla insigni victoria clarus nec triumphum meritus, frustrata aut interim certe dilata eorum spe, qui superstitute quidem Nerva Traianum crediderant magno ac glorioso bello ultimum esse dedecus Romano nomini sub Domitiano adiectum.⁸⁷ Ex his igitur rebus natam esse Tacito scribendi de Germania libri causam veri simillimum est, ut eorum vel levitatem castigaret vel inscientiam doceret, qui nimis impatien-

75 Vid. Philomath. vol. I. pag. 41 sqq.

76 Vid. Ann. IV, 32.

77 Ann. I, § extr. cf. IV, 74. hist. I, 79.

78 Agric. c. 44.

79 Germ. c. 33.

80 Agric. c. 39.

81 Plin. paneg. c. 45, 3. 46, 3. 90, 6.

82 Ibid. c. 14.

83 Ibid. c. 8, 6. 9, 2. 3. 10, 3.

84 Ibid. 56, 3. 9, 2.

85 Ibid. 56, 4—8. 59, 3.

86 Ibid. c. 12. 13. 16.

87 Talem spem fuisse iam antea, quae tum in futurum tempus reiciebatur, facile intellegas ex illis, quae dicit Plin. paneg. c. 16 et 17.

ter faciles de Germanis triumphos imaginarentur, parum illi cogitantes, quam magnum ac difficile bellum futurum esset ob populorum frequentiam et terrarum naturam et hominum fortitudinem nondum iis vitis debilitatam, quibus Romana virtus perierat; nam illud simul omittere non potuit, quod in omnibus libris graviter inculcat, degeneres Romanorum animos moresque corruptos praecipuam causam esse cur neque de libertate neque de securitate publica nec de bellica gloria bene sperare liceat.⁸⁸ Ac fortasse, cum illa ante omnia Tacitus docere vellet, aliquid simul Traiani amicitiae tribuit, a socero Agricola conciliatae; illi enim gratum haud dubie faciebat, si cavebat, ne imperiti homines nimia ab eo sine ratione exigerent. Denique hoc quoque Tacitum ad scribendum impulsisse crediderim, quod videretur sibi aliquanto accuratius de Germania dicere posse quam alii; neque enim puto iis tantum eum ad hanc rem adiumentis usum esse, quae omnibus in promptu erant, sed habuisse praeterea alia non vulgaria, sive quod ipse aliquando in Germania fuit sive quod a Cornelio Tacito vel patre suo vel avunculo, certe propinquo, qui Belgicae Galliae procurator fuerat, plura cognovit ac certiora quam in vulgus nota erant.⁸⁹

Accedimus ad Historiarum et Annalium magna et immortalia opera, de quorum temporibus supra dictum est, de ambitu ac nominibus nuper dubitari coeptum. Atque Historias quidem hoc nomine inscriptas ac prius editas esse quam Annales, librisque quattuordecim res gestas inde a Galbae principatu usque ad Domitiani caedem comprehendisse satis constat; nam de

⁸⁸ Similiter Plinius quoque queritur omissionem armorum studium et neglectam virtutem patriam paneg. c. 18, 5. et extinctam castrorum disciplinam ib. c. 18, 1.

⁸⁹ Vjd. supra adn. 7.

inscriptione quidem, quoniam e libris mss. nihil certi cognoscitur, Plinii atque Tertulliani testimoniis fides habenda est;⁹⁰ libros quattuordecim fuisse ex hoc intellegimus, quod Hieronymus⁹¹ coniuncto librorum Annalium Historiarumque numero testatur ad mortem Domitiani *vitas Caesarum triginta voluminibus ezaravisse*, et quod vetustissimus codex ms. eandem numerandorum librorum rationem sequens ultimo, id est sexto decimo Annalium libro Historiarum libros quinque qui supersunt tamquam eiusdem operis libros XVII, XVIII, XVIII, XX, XXI subiungit.⁹² Niebuhrii autem coniecturam nemo nunc probat, qui quod quinque illis libris ne duorum quidem annorum historia continetur, tanto accuratius ac fusius credidit Tacitum res Romanas in Historiis enarrasse, ut his solis triginta libri tribuendi sint, parum reputans biennii illius propter ingentem rerum gestarum molem tam singularem naturam esse, ut ex his libris nihil possit de reliquis colligi;⁹³ ceterum sic quoque aliquanto uberiorem in Historiis quam in Annalibus rerum narrationem fuisse ex hoc efficitur, quod Annalium sedecim libris anni fere quinquaginta quattuor, Historiarum vero decem libris postremis anni sex et viginti

⁹⁰ Plin. ep. VII, 33, 1. Tertull. apol. 16, ubi quae in hist. lib. V. leguntur, dicit Cornelium Tacitum in quinta *historiarum suarum* scripsisse. Accedit Sidonius Apollin. epp. IV, 14. qui proferens locum ex Tac. hist. V, 26. ait: *C. Tacitus — in historia sua retulit.*

⁹¹ in commentariis ad Zachar. III, 14.

⁹² Quod nuper Ritter. prooem. p. XXII demonstrare conatus est Annalium fuisse XVIII, Historiarum XII libros, non habet ullam probabilitatis speciem; quae enim libro Ann. XVI desunt, quamquam studiosae ita enumeravit, ut quam longissimum rerum ordinem extenderet, scilicet ut iis non amissa pars libri XVI sufficere posse sed alii duo libri requiri viderentur, facile tamen intellegas pleraque omnia esse, ut aut plano omissa aut paucis verbis a Tacito commemorata esse verisimile sit; reliqua autem commode capere potuit lib. XVI.

⁹³ in Musco Rhen. philol. vol. II, fasc. 2. pag. 293 sq. Cf. diß. c. 17. *Galbae et Othonis et Vitellii longus et unus annus.*

continebantur. Sed Annalium inscriptionem hanc veram esse recte putamus credemus ipsi Tacito, qui *annales nostros* dixit Ann. IV, 32; nec minus clare lib. III, 65 et lib. XIII, 31 annales se scribere testatur; accedit Iornandis testimonium, qui de reb. Get. c. 2. Cornelium annalium scriptorem appellat; neque tamen est cur falsa credamus verba quae vetustissimus cod. Corbeien- sis habet: *ab excessu divi Augusti*; quae ille verba ita cum primis cuiusque libri verbis coniunxit, ut appareat librarium ante haec initia alii inscriptioni spatium reliquisse, quam vel ipse operosius postea pingi vellet, vel quam alius ante eum librarius eodem consilio omisisset; quamobrem verisimillimum est Tacitum ipsum ita ut nos fecimus inscripsisse *Annales ab excessu divi Augusti*.⁹⁴ Utriusque operis quamquam magnas partes amisimus — desunt enim Annalium liber quintus paene totus sextique initium, deinde libri toti VII, VIII, IX, X, praeterea libri XI initium, libri XVI finis, Historiarum libri quinti pars maior et reliqui post

quintum libri novem toti — ea tamen quae supersunt, satis demonstrant quo consilio quantaque arte Tacitus res Romanas tradiderit. Ac primum quidem quod duo opera diversis temporibus separatim edita diversis etiam nominibus appellavit, non videtur ideo factum, ut diversas historiae scribendae rationes se secutum esse significaret; ac videntur mihi nimii fuisse nonnulli in indagandis iis, quae vellent diversa videri in Taciti Annalibus et Historiis. Romani enim quamquam nomina illa saepe promiscue de omni rerum gestarum narratione dixerunt, si tamen discrimen facerent, Annales aut eos libros dixerunt, in quibus rerum gestarum non tam natura ac vera ratio quam ordo ac series explicaretur, ut quid quoque anno gestum esset sciretur, aut eos, in quibus quovis modo ea tempora enarrarentur, quae ipse scriptor non vidisset; pariterque historias aut eius esse dixerunt, qui de suis temporibus scriberet, aut eius qui de quocunque tempore scribens artem adhiberet et iudicium.⁹⁵ Ac Tacitum quidem, quoniam Annales profecto non pontificum aut vetustissimorum scriptorum exemplo conficere voluit, manifestum est Historias de suorum temporum memoria dixisse, Annales de priorum; materiae igitur diversitatem, non diversam tractandae materiae rationem indicavit, quamquam quaedam discrimina vel ex ipsa materia vel auctoris aetate atque usu nasci par est. Ceterum huic historiarum atque annalium discrimini Tacitus in distribuenda materia non tantum tribuit quantum ipsi rerum naturae suoque de rebus iudicio; neque

94 Nipperdeus nimia codicis praestantissimi veneratione *Annalium* nomen addendum non censuit; neque nego nonnumquam veteres hac brevitate usos esse, ut ipsum librorum commune nomen omitterent, nominis additamentum aliquid ponerent, quale illud est: *ab excessu divi Augusti*; sermoni id convenit et grammaticorum consuetudini, qui in magna librorum multitudine, quos indicari oportebat, longiorum inscriptionum molestiam fugiebant; nec Plinius miror eidem brevitati studuisse, ubi indicis se partibus fungi dicit; is igitur ep. V, 3, 6 avunculi libros sic commemorat: *A fine Aufidii Bassi triginta unus. naturae historiarum triginta septem.* quamquam *historiarum* nomen ideo etiam magis in priore opere omitti potuit quia statim in altero addendum erat; ipse quidem maior Plinius in praef. n. h. plenius dicit *temporum nostrorum historiam a fine Aufidii Bassi.* itemque minor Plinius idem opus *historias* vocavit ep. V, 3, 6. Sed illam breviter vix crediderim ipsos librorum auctores sibi in aolemi inscriptione permisisse; cuius rei quod unum nunc habemus exemplum, vereor ne falsum sit; Livii enim libros nuper *ab urbe condita* inscribere coeperunt; in Tacitum certe ne eandem negligentiam cadere putemus, ipse etiam cod. Corbei. prohibere videtur.

95 Agit de hac re pluribus Gell. V, c. 18. cf. Serv. ad Virg. Aen. I, 373. *inter historiam et annales hoc interest: historia est eorum temporum, quae vel vidimus vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ὁραομένου, id est videre. annales vero sunt eorum temporum annorumque, quae aetas nostra non novit. unde Livius ex annalibus et historia constat. haec tamen confunduntur licenter.*

enim initium historiarum ab altero potissimum Galbae consulatu propterea duxit, quod ipse tum puer decennis fere fuisset, sed quod ab illo anno novum quasi rerum ordinem nasci intellexerat; itaque nomen tantum historiarum ab sua aetate petivit, non ambitus constituendi normam ac regulam. Sed quale eius in ordinanda ac distribuenda materia consilium fuerit, accuratius explicandum est. Atque illo quidem tempore, quo primum historiae se scripturam publice professus est, bipartitum opus promisit, *memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum*;⁹⁶ alteram hanc partem dubium non est quin eandem intellexerit, quam aliquot annis post cum historias ederet, iterum promisit sed distulit, his verbis usus: *si vita suppedilet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiores securioremque materiam, senectuti seposui*.⁹⁷ Sed memoriam prioris servitutis quaeritur solisne historici contineri voluerit an iam tum de prioribus quoque temporibus cogitaverit; mihi alterum illud fieri non posse videtur; Domitiani enim quindecim annorum principatus quamquam attulit Romanis servitutem durissimam, adeo quidem ut ipse Tacitus dicat: *sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute*:⁹⁸ non tamen potest Vespasiani quoque et Titi principatus pari iure servitutis nomine comprehendi; neque etiam Galbae, Othonis, Vitellii tempora quamvis bellis civilibus afflicta, servituti ita ut Domitiani accenseri possunt; at possunt ac debent Tiberii, Caligulae, Claudii, Neronis tempora nec credi potest haec non in mente habere eum qui de servitute diceret. Quid quod Augusti quoque principatus servitutis nomine comprehenditur? Augustus enim haud dubie ex Taciti quidem sententia

servitutem primus constituit ac firmavit, quamquam id eum facere pacis interfuisse fatetur,⁹⁹ quippe qui *cuncta discordis civilibus fessa nomine principis sub imperium acciperit*;¹⁰⁰ sed et *dominationem* id imperium appellat¹⁰¹ et ait: *quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollebantur*;¹⁰² eodem spectant *acriora vincula*¹⁰³ et *dies crudi adhuc servitii*.¹⁰⁴ Proinde dubium non est quin servitutis nomine comprehendatur totum illud tempus post pugnam Actiacam usque ad Domitiani mortem, sitque memoria servitutis nihil aliud quam historia principatus eius, qui ante Nervam Traianumque fuit. Sed magnum hunc rerum ambitum quamquam nomine significavit, dubites tamen, utrum voluerit Tacitus iam tum scribendo amplecti totum an eam tantum eius partem, quam Historiis comprehendit; mihi de toto eum cogitasse non solum ob nominis significationem probabile videtur sed etiam ideo, quod in Historiarum exordio omne illud tempus, quod fuit post pugnam Actiacam, negat magnos auctores habere, qui pari eloquentia et libertate usi sint; simul veritatem dicit pluribus modis infractam, primum inscitia rei publicae ut alienae, mox libidine adsentandi aut rursus odio adversus dominantes; ita neutris curam posteritatis fuisse inter infensos vel obnoxios. Quare apparet, Tacitum, qui iam rara se temporum felicitate frui praedicat, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere liceat, intellegere ipsum, si hac felicitate utendum historiaeque veritati consulendum sit, totum illud tempus scribendum esse. Sed eius rursus partem tantum tractavit cum Annales edidit; omisit enim Augusti tempora, quibus dicendis

96 Agric. c. 3 extr.

97 Hist. I, 1 extr.

98 Agric. c. 3.

99 Hist. I, 1.

100 Ann. I, 1.

101 Ann. I, 3.

102 Ann. I, 2.

103 Ann. III, 28.

104 Ann. I, 8 extr. cf. c. 46.

quamquam in praefatione Annalium fatetur non defuisse decora ingenia, donec adulatione deterrentur, non id tamen hanc vim habet, ut quasi tacitus reprehendat, quae in Historiis dixerat, sed *decora* tantum ingenia appellat quippe quibus ars et eloquentia fuerit, libertas et veritas non item;¹⁰⁵ quamobrem hanc quoque partem se ipsum promisit adiecturum, si plures ad curas vitam produxisset.¹⁰⁶ Non autem inconsulto fecisse credendus est, quod Annales non a pugna Actiaca sed ab Augusti excessu exorsus est; scilicet universam servitutis memoriam non temere et suo commodo sed propria rerum natura in tres partes descripsit, quas a novissima orsus deinceps pertractare instituit; ac prima quidem parte complecti volebat lene illud servitutis initium, cum libertatem plerique ob civilium bellorum diuturnas miseras pacis causa haud invitati desponderent, Augustus vero temporibus callide usus prudentia magis quam vi munia senatus, magistratum, legum in se traheret et provisam etiam heredum in rem publicam opibus eam sibi principatus vim firmaret, in qua cuncti otii dulcedine et suo quisque privatim commodo allecti exuta aequalitate iussa principis aspectare consuescerent. Sequitur deinde parte altera principatus Iuliae gentis hereditate traditus et in impotentem dominationem conversus, dum Tiberius, Caligula, Claudius, Nero tollunt quae adhuc manebant morientis libertatis vestigia, nobiles familias exhauriunt, cives in vile vulgus mutant, universum imperium Ro-

¹⁰⁵ Probabile est Tacitum cum illa ita generatim scriberet, in mente tamen habuisse certos rerum auctores; ac mihi quidem Livium significasse videtur et in Historiis inter eos, quos dicit inscitia rei publicae veritatem laesisse, antequam adsentandi libido aut odium adversus dominantes invaleretur, et in Annalibus inter eos, quos decora ingenia appellat, quae cessisse ait cum adulatio ingerneret.

¹⁰⁶ Ann. III, 24.

manum tamquam rem domesticam variis libidinibus exercent, donec Nerone interfecto cum heredes nulli essent, sublata omni alia potentia nihil validum superfuit praeter exercitus.

Itaque tertia pars novam rerum faciem habet evulgato imperii arcano posse principem alibi quam Romae fieri; extincto hereditatis iure cum videretur libertati locus aliquis datus esse, quia eligi principes oportebat, invalida senatus populique R. auctoritate diversisque et venalibus militum studiis bella oriuntur non tam civium quam exercituum inter se, dein Galba, Othone, Vitellio caesis Vespasianus imperium armis invadit, prudentia sibi filiisque firmat, quorum alter Domitianus relapsus in Iuliae gentis impotentiam cum servitute durissima omnia opprimeret, caesus est. Apparet igitur et tres hae partes, quas quoad eius fieri potuit, et Taciti mente breviter enarrari, aptissime descriptas esse et efficere coniunctas unum aliquid et totum, quod Tacitus servitutis memoriam dixit, certis id tamquam drama aliquod gradibus ab initio placido per varia certamina ad violentum exitum deductum, e quo illud in summa intellegatur fieri apud Romanos non potuisse ut principatus vel hereditarius vel electione aut armis adeptus cum libertate coalesceret, sed res esse dissociabiles principatum ac libertatem.

Tripertitum igitur hoc opus consentaneum est Tacitum ante perficere voluisse quam susciperet novum opus ab illo materiae diversitate ac temporum natura seiunctum; caeso enim Domitiano, sicut Tacito quidem videbatur, ortum est beatissimum seculum, quod rebus Romanis eam pacem ac felicitatem afferret, quae votis omnibus expetita de futuro tempore spem laetissimam praeberet; cum enim vetus aetas vidisset quid in libertate ultimum esset et immoderato eius usu bellis civilibus conflictata

ipsam denique libertatem amisisset, cumque sequens aetas infinita principatus potentia oppressa quid esset in servitute ultimum vidisset, hoc unum supererat, ut quoniam neque servitus generi humano toleranda erat neque immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore poterat, reperto salubri quodam temperamento et concentu res olim dissociabiles, principatus ac libertas, miscerentur et suus esset utrique locus suumque ius sine alterius detrimento.¹⁰⁷ Hanc igitur Tacitus credidit eius principatus vim ac naturam esse, quem Nerva ac Traianus auctoritate senatus restituta gesserunt; ac fatendum est magnam et felicem hanc rerum commutationem fuisse, quam praestantissimi ingenii viri et antea diu exoptaverant et perfectam diligenter fovebant; sed eadem simul ultima fuit, in qua civium Romanorum et maxime optimatum studia ac pristina libertatis rei publicae cura eo vigore revivisse viderentur, qui antiquorum temporum virtute haud indignus esset. Non est huius loci explicare cur nec diuturna potuerit illa felicitas esse neque etiam, quamdiu integer mansit novus rei publicae status, magnarum virtutum magnorumque ingeniorum ferax fuerit; atque ipsae etiam Tacitus cum iure suo ab Nerae Traianique principatu novam feliciorumque aetatem exortam crederet, eximio tamen acumine sensisse videtur non hanc esse quasi novam Romani imperii iuventem sed placidum tantum senescentis et quodammodo firmum gradum ad propinquum in-

¹⁰⁷ Agric. c. 3. Plin. epp. III, 20, 12. fusi-
us Plinius in panegyrico Traiano dicto illam
principatus naturam, sive qualis erat, sive
qualem tum boni optabant, enarravit. Ac
Libertas restituta tum etiam publice templo
dicato celebrata est, id quod inscriptiones demon-
strant; vid. Mommsen, *Berichte der kön-
sächs. Ges. d. W. a. 1850.* pag. 300 sq. Item in
numis Nerae celebrantur *Libertas publica,
Iustitia, Aequitas*, et *Roma felix* et eadem
illa *Securitas P. R.* quam Tacitus quoque praedi-
cat Agr. 3.

teritum.¹⁰⁸ Verumtamen quid ille de futuro tempore speraverit aut timuerit, in medio relinquemus; praeteriti vero temporis quae aeta-
tes et qui quasi articuli fuerint, rectissime eum perspexisse mani-
festum est; ac nisi mors obstitisset quominus de Augusti temporibus scriberet, perfectum haberemus et plane egregium opus trilogiae Aeschyleae simile, in quo partes tres et singulae per se constarent et coniunctae item aliquid unum et totum efficerent. Nunc vero servata de Annalium tantum et Historiarum libris dimidia fere parte, quoniam quae duo diversa opera sunt, uno tamen consilio continentur, non credendum est inscriptionis diversitate aliud quid praeter materiae diversitatem indicatum esse; neque ipsum Tacitum improbasse putaverim, si quis forte utrumque opus continuato librorum numero in unum coniungere voluit, id quod si non statim, certe non multo post factum esse demonstrabitur infra.

Iam vero quantus et quam perfectus historiae condendae artifex Tacitus fuerit, perspicere plane non poterit, nisi demonstremus quomodo legibus artis satisfecerit, quae ante omnia hoc exigunt, ut quod componitur opus unum sit et totum et simplex; itaque et materiam unam esse oportet, quae rerum totum aliquem ambitum initio ac fine bene conclusum et in partes suas apte descriptum comprehen-

¹⁰⁸ Demonstravi iam supra p. X, non adeo totum se Tacitum laetitiae de bestissimi saeculi ortu dedisse, ut non simul magnam testaretur de gravissimis damnis dolore, quae prior dominatio intulerat, cum oppressis ingenilis studisque, amissaque spe succrescentis aevi mellioris pauci ei superesse viderentur hinc diuturna servitute fracti, qui reip. consulerent. Non mirum itaque, quod Germ. c. 33. *urgens imperii futu* appellat; ac spectant huc, quae de ira deorum infra exponam; et cum Agric. c. 3. illam felicitatem temporum celebret, quibus principatus ac libertas miscerentur, idem tamen quamquam in re diversa postea scripsit Hist. IV, 64. *haud facile libertas et domini miscerentur*; et Ann. IV, 33 mixtam reip. formam laudari facilius quam evnire aut diuturnam esse posse ait.

dat, et ipsum materiae corpus tamquam anima una perfusum esse debet, ut pari sentiendi iudicandique norma et scriptoris illa ingenio nata res omnes aestimentur, et formam denique orationis dicendique artem unam esse et aequalem convenit, quae sit eiusdem ingenii vera et ad vivum expressa imago. Ac de materia quidem quoniam satis iam dictum esse videtur, superest ut de ingenio Taciti et de eius eloquentia agendum sit; de quibus rebus cum multorum multa sint ac diversissima iudicia, nos omnia concertandi ac refellendi contentione quid nobis maxime probabile videatur, ordine exponemus.¹⁰⁹

Iam primum si quaerimus, in tantarum divinarum humanarumque varietate, de quibus sensus suos Tacitus et iudicia vel expressis verbis pronuntiavit vel obcurius indicavit, quid illud unum sit, quod per omnia eius iudicia pertineat, quando quidem universas res Romanas intuenti ei praeteritasque cum praesentibus comparanti ac

de futuris etiam quid sperandum sit reputanti certo aliquo modo animum affici et moveri consentaneum est, nullum alium ei sensum fuisse arbitramur nisi magnum quandam et alta mente repostum dolorem ac moerorem; cum enim eo esset patriae amore, ut in eius salute et felicitate gloriaeque suas omnes cogitationes ac vota defixa haberet, tristissimo desiderio recolebat priscorum temporum decora et virtutes, a quibus amissa libertate adeo desciverant sequentia tempora, ut magis magisque depravatis moribus ne spes quidem superesset fore ut unquam hominum ingenia et tempore et mollitia et levitate ad recuperandam pristinam laudem excitarentur. Neque tamen mollis is dolor est abiectique et fracti animi, qui muliebrem in modum malis suis inhaerens una cum spe ipsam etiam vim voluntatemque agendi despondeat, sed est masculus quidam ac fortis dolor, qui in ipsa desperatione et quamvis diis iratis et obstante fati necessitate nullum virtuti praemium praeter infelicis laudem fortitudinis propositum sit, nullum tamen viri fortis bonique civis officium omitat.¹¹⁰ Est autem

109 Praeter eos, qui in editionibus Taciti et in libris ad litterarum historiam pertinentibus de vita eius et de dicendi genere, raro de ingenio egerunt, hi maxime appellandi sunt: Jo. Hill, *über die talente u. den charakter des geschichtschreibers mit anwendung auf die schriften des Tacitus*, übers. v. Duhle. Götting. 1789. *Hegewisch, über den charakter des Tacitus als patriot u. schriftsteller*, Berl. Monatschrift, 1789. Jul. Idem: *über den schriftstellerischen character des Tacitus*, in *Histor. u. literar. Aufsätze*. Kiel, 1801. p. 70—87. *Meierotto, de Taciti moribus*. Berol. 1790. fol. I. W. Sövern, *über den kunstcharakter des Tacitus*, in *Schriften der Berl. Akad. d. W.* 1822 u. 23. p. 73 sqq. K. Hoffmeister, *die weltanschauung des Tacitus*. Essen, 1831. *Scharpff, darstellung der politischen u. religiösen ansichten des Tacitus*. Rottweil. 1843. H. von Bosse, *über u. wider Tacitus den geschichtschreiber*, in *N. Jahrb. f. Phil. u. Päd.* 1845. Suppl. Bd. XI, p. 452—467. J. Kil. Wolf, *de divina mundi moderatione e mente C. Cornelii Taciti. diss. inaug.* Fulda. 1830. — W. Bötticher, *Prophetische stimmen aus Rom oder das christliche im Tacitus u. der typisch prophetische charakter seiner werke in beziehung auf Roms verhältnis zu Deutschland.* Hamb. u. Gotha, 1840. A. Kahlert, *Cornel. Taciti sententiae de natura, indole ac regimine deorum.* Partic. I. Breslau, 1844. Part. II. Neustadt. 1847. 4.

110 Scilicet diversi sunt, qui nunc aut sunt aut fingi et intellegi solent aegrae mentis homines, sive placidiores illi affectu quicquid in vita hominum praestans et perfectum fuit amissum esse dolent, sive violentiore morbo correpti non solum humanarum rerum sed etiam sui fastidio laborant; utrius certe dum ereptam querunt facultatem agendi ea, quae optima iudicant, nihil agunt eoque ipso rursus dolorem et fastidium nutriunt et augent; ac saepe hand facile illeas, sitne causa segnitiae morbus ille an morbi segnitia; certe dum cogitationum ac votorum sublimitate supra omnes homines elati sibi videntur, utilitate sunt infra plurimos et simplicissimos. A tali hominum genere longissime distat natura Taciti; quare mihi Tieckius, non iniquus eius aestimator, cum animi illam aegritudinem recte animadvertisset, nimis tamen ad nostrorum ingeniorum habitum scripsisse videtur illa: *Den grossen, erhabenen Tacitus kann der verständige als einen dichter lesen; (hactenus recte; sed illa minus conveniunt:) hier spricht in jeder zeile das gebrochene römische herz, welches im kampf des todes den grossen verlust ausspricht ohne ihn mit namen zu nennen.* Vid. fabulam de morte poetae (Norclenkrantz auf 1834.) p. 24.

is animi habitus totus natus ex rerum Romanarum contemplatione, non ex aliqua animi ipsius discordia et interna luctatione, qualis nasci solet in iis, qui philosophicis studiis nutriti dum perfectas rerum species intenta mente cernunt magnoque desiderio amplectuntur, nimium abhorreere ab illis et longe distare hominum vitam intellegunt, adeo ut inter ea quae cupiunt et amant et ea quae fiunt ac fieri possunt, ingens positum discrimen tolerare nequeant, quod nulla industria, nulla virtute humana tolli possit. Tacitus enim quamquam philosophiam Graecorum diligenter cognoverat, Platonem legerat,¹¹¹ Stoicorum, Epicureorum sententias perceperat,¹¹² haud dubie tamen eo in his studiis temperamento usus est, quod semper Romanorum ingeniorum proprium fuit, ut cum utilia ea ad iudicium formandum et erudiendum animum crederet, vendi tamen et agendi normam ac legem non separata cogitatione inveniendam sed ex moribus institutisque Romanorum et maiorum exemplis multoque rerum usu definiendam censeret; animadverterat enim, qui solas ex intima philosophia petitas sententias sequebantur, inutiles contentione ad ea eniti, quae fieri omnino non possent et per abrupta se ipsos perdere, rei publicae non prodesse,¹¹³ aut certe intempestivam sapientiam iis locis temporibusque promere, ubi nullus eius usus esset;¹¹⁴ hos igitur staturabat philosophiae studium ultra quam concessum Romano et senatori hausisse; ipse Agricolae exemplum secutus, quod difficillimum rebatur, ex sapientia modum retinuit, cuius haec vis est, ut nondum sublimia et perfecta captantur, praesentium rerum prudentia

et agendi facultas pereat.¹¹⁵ Quamobrem errant qui Tacitum vel Stoicum vel Epicureum fuisse et ex philosophorum doctrina ingenium eius definiri posse arbitrantur; neque enim si ad unam alteramve sectam sententiae eius exigantur, constare sibi reperietur, neque ipse scholae praeceptis tantum tribuit quantum historiae rerumque usui; quamquam satis constat, Stoicos ei magis probatos esse quam alios philosophos, quia illi animos adversus fortuita firmabant,¹¹⁶ morumque probitate et fortitudine ad laudatissima Romanae virtutis exempla proxime accedebant; iisdem etiam assentiebatur fere in iis rebus, quae ad sacra pertinent, naturam deorum dico et animorum immortalitatem, de quibus rebus Romani tum, cum maiorum sententias olim per manus traditas tanquam superstitiosas abiecerant, philosophorum placita sequi solebant, neque tamen difficile est in his quoque quasi proprium quendam et peculiarem ingenii Taciti colorem agnoscere.

Itaque deos tales quidem, quales fabulae tradebant, nullos esse statuit, ac videtur vulgatam Eumeri sententiam probasse, qui aliquando illos homines fuisse docuerat;¹¹⁷ quare ut personas quidem deorum certas ac finitas non esse credidit, ita divinum tamen esse aliquid non negat, cuius vis etiam in humanis rebus cernatur; neque multum ab-

¹¹⁵ Vid. Agric. c. 4. quo loco quis ille modus sit, varie interpretantur, ipsique etiam Romani variis in rebus verbiisque variis saepe tamen idem illud cavendum dixerunt, ne qui se totos philosophorum doctrinae traderent, importune ex vitae perfectae specie praesentem vitam mittrentur; ita enim agendi prudentiam, sensumque communem amitti et abhorreere homines a publicis moribus et aberrare a civitatis vita. Vide quae nuper post alios composuit Wex prolegg. ad Agr. p. 45. et adde Sen. epist. 5, 1—6. 103, 5. 108, 13—23. Consentit cum Tacito Plinius, quamquam is tamen illius aetatis Stoicis videtur familiaris usus esse; vid. Epist. 1, 10, 12, 3. 10. 22, 6. III, 11, 6.

¹¹⁶ Hist. IV, 5.
¹¹⁷ Bacchum certo tanquam aliquem legumlatorem dicit festos lactosque ritus possuisse hist. V, 5.

¹¹¹ Vid. adnot. 13.

¹¹² Vid. hist. IV, 5. Ann. VI, 28. Agr. 46.

¹¹³ Vid. Agric. t. 42. et Thrascae exemplum Ann. XIV, 12.

¹¹⁴ Documento est Musonius Rufus hist. III, 81.

horruisse eum a Iudaeorum persuasione crediderim, quos praedicat mente sola unumque numen intellegere, et profanos habere eos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; denique summum illud et aeternum neque imitabile esse neque interitum; 118 similia enim etiam de Germanis tradit, quos ait deorum nominibus appellare secretum illud, quod sola reverentia vident; 119 ut appareat ipsa deorum nomina inania esse videri et ad falsas deorum species pertinere, verum autem unum illud secretum esse, quod sola mente ac reverentia intellegatur. Quae sententia quamquam prope accedere videri possit ad nostrum illud: πνεῦμα ὁ θεός· καὶ τοὺς προσκυνῶντας αὐτὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν, 120 vehementer tamen a christiana doctrina discrepat; nam neque divinum illud numen personam esse, neque omnino esse id alibi statuit nisi in mente hominum; quo efficitur ut id neque agere quicquam tali vi possit, quae a persona extra hominem posita profiscatur, et ut inter homines, qui moribus corruptis divini numinis sensum ac cogitationem exuerint, ideo nec agat quicquam nec sit omnino, quia non creditur esse. Itaque nulla Tacitus miracula, nulla ostenta aut omina ideo narrat, quod ea ab diis orta deorumque voluntatem declarare credat, sed ideo tantum, quia vulgari opinione cum magnis casibus coniuncta erant aut in hominum animos aliquam vim habuerant, ac plerumque vulgi eam opinionem fuisse dicit aut additis certe quibusdam vocibus, ut *tamquam, quasi, velut*, significat, certe non suam esse eam sententiam; 121 nonnum-

quam simpliciter rem ita commemorat, ut neque adfirmet quicquam neque neget; 122 alibi permittit legentibus arbitrium; 123 videbat enim plerumque post eventum demum talia credi; 124 sed ut *conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis credebatur, ita vulgatis traditisque demere fidem non audebat*; 125 quare etiam quae de Vespasiano miracula narrabantur, non omisit, scilicet non quod ipse crederet sed quod alii ea tum quoque memorabant, cum nullum iam mendacio pretium esset. 126 Item ubi benignitatem deum memorat, statim addit se modestiam hiemis intellegere 127 atque alibi quoque ope divina aliquid factum dicit ubi aut occulta rei causa erat, 128 aut ubi quae naturae vi fiebant, volebat hominum facinoribus opponere. 129 Haec igitur omnia non obstant quominus sui animi sententiam Tacitum ibi professum esse dicamus, ubi diis negat res humanas curae esse; nec profecto sine acerbo dolore aequitatem deum erga bona malaque documenta narrat, 130 et irrita prodigia, quae sine cura deum evenisse dicit, quippe qui quamvis minari viderentur, non tamen ulciscerentur Neronis scelera; 131 et negat recte in adversis rebus fatum et dei iram vocari, quod in pace fors seu natura vocetur. 132 Illud vero magis mirum videri potest, quod iram deum et ultionem sic aliquotiens commemorat, ut id e sua mente facere videatur; de toto enim illo tempore, quod historiis complexus

narrata eo elevat, quod statim addit praecipuum ostentum fuisse ipsum Vitellium.

122 Vid. Ann. II, 17. XV, 7. 47. hist. I, 62.

123 Vid. hist. I, 18. III, 33 extr.

124 Vid. Ann. XV, 74. hist. I, 10. IV, 81.

125 Hist. II, 50.

126 Hist. IV, 81.

127 Ann. XII, 43.

128 Hist. IV, 78. cf. Ann. XV, 7.

129 Ann. I, 30. XIII, 17. XIV, 5. XVI, 13. hist. IV, 54.

130 Ann. XVI, 33.

131 Ann. XIV, 12. scilicet alibi talia ad superstitiones refert, ut Ann. I, 23.

132 Hist. IV, 26. cf. I, 86.

118 Hist. V, 5. cf. Sen. quaest. nat. VII, 30. 3. deus effugit oculos, cogitatione visendus est. id. fragm. 31.

119 Germ. c. 9. cf. c. 34. extr.

120 Ev. Ioh. IV, 24.

121 Vid. Ann. II, 54. IV, 64. XIII, 17. 41. XIV, 5. 22. XV, 47. hist. II, 1. III, 56, ubi ostenta

est, in ipsa praefatione c. 3. dicit: *non unquam atrocioribus populi R. cladibus magisque iustis iudiciis approbatum est, non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.* Infelix vero et misera persuasio, cui tamen fuerunt qui fidem non haberent propterea quod consentaneum non esset tam tristes et saevos deos credi, ut numquam benignitate, semper ira tantum in homines uterentur.¹³³ Nimirum non cogitaverunt, id quod supra dixi, non videri Tacito divini quicquam esse nisi in animis hominum neque agendi facultatem deos ullam habere nisi per eosdem hominum animos; quare fit ut depravatis moribus nullum usquam divinum numen esse videatur neque vim ullam in rebus humanis exserere possit nisi noxiam et perniciosam, qualem a corruptis hominum animis proficisci par est; id ita esse, perspicue declarat verbis illis: *propitius, si per mores nostros liceret, deis,*¹³⁴ quibus significat ipsorum hominum scelere combustum esse Capitolium cum prosperae essent res Romanae nec ullum ab externis hostibus periculum. Sed ipsam illam hominum culpam alibi appellat deorum iram propterea quod vitia adeo late diffusa sunt et hominum mentes tanto opere occupaverunt et infecerunt ut si qui boni et integri supersint, resistere illis nullo modo possint ipsorumque vitiorum immensa et plus quam humana vis esse videatur, quae eam ipsam ob causam divina appellari potuit. Itaque Seianum dicit ingente potentia potitum dum unus Tiberium sibi totum devinxit, *non tam sollertia (quippe isdem artibus victus est), quam deum ira in rem Romanam, cuius pari exitio viguit ceciditque.*¹³⁵ scilicet breviter Tacitus et magna gravitate speciem magis rei quam veritatem significat; cum enim sollertia Seiani non tanta fuerit, ut non maiore sollertia victa sit,

negat in ea causam pestiferae potentiae positam esse; sed cum victa illa non minus exitium rei Romanae attulerit quam dum viguit, quasi divinae irae instrumentum Seianus videri potest, cuius et potentia et casu pariter dii ad affligendos Romanos usi sint; altius vero inspicienti vera causa tantarum calamitatum in Romanorum pravitate et inertia posita est, quae ex se ipsa tyrannos eorumque impotentem dominationem generavit et tamquam pestis quaedam toti populo a diis immissa ea omnia effecit, quae a singulis hominibus nec effici nec prohiberi possent. Pravitatis vero illa quoniam et ortum et progressum et tamquam historiam habuit, idem etiam in deorum iram cadere necesse est, quippe quae eadem res sit. Originem eius Tacitus a potentiae cupidine repetit, quae cum imperii magnitudine adolevit erupitque; adolevit autem inter tribunicias turbas et patrum plebisque certamina; erupit denique bellis civilibus a Mario Sullaque primum gestis, quibus aequalitas pessumdata, libertas armis victa et in dominationem conversa est; eandem deum iram, eandem hominum rabiem, easdem scelerum causas dicit Tacitus postea et Pompeium Caesaremque et Octavianum cum Antonio, denique Othonem et Vitellum in discordiam egisse.¹³⁶ Apparet igitur deum iram esse ipsam illam hominum rabiem, quae quoniam tamquam morbus pestilens universos invasit, paulatim eos quoque corrumpit, qui boni super fuerant; nulla igitur in hoc est repugnantia, quod eadem deum ira et ulcisci malos et facere malos intellegitur estque simul et causa pravitatis et effectus;¹³⁷ neque enim mirum est, quod cum nulla bonis

133 Hist. I, 3. Hoffmeister pag. 109 sqq.

134 Hist. III, 72.

135 Ann. IV, 1.

136 Hist. II, 38.

137 Hoffmeister p. 111. cum non crederet tam iniquos et saevos deos videri potuisse Tacito, iram deorum miro modo statuit nihil esse nisi imaginem quandam poeticam, cui ille in ipsis quidem rebus gestis narrandis et aestimandis nullam veritatem concesserit, sed cui

artibus praemia sed pericula tantum et supplicia **proposita essent, aut desceverunt** boni a virtute, aut certe animos desponderunt et desperatione in ignaviam delapsi sunt, quippe qui a consensu seculi non modo praesidium fortitudini suae sed ne laudem quidem sperare possent; recte igitur Tacitus eam quoque iram numinum in res Romanas vocavit, quod cum Nero Pisonianae coniurationis occasione ad saevissimam crudelitatem abuteretur, segniter plerique et servili patientia mortem oppetiverunt;¹³⁸ atque alibi quae universos corripuit rabies, ira deum appellatur ideo, ut pro se quemque inde excusationem petere intellegamus et communi se morbo abreptum dicere.¹³⁹

Quae cum ita sint, manifestum est non habuisse Tacitum id solatii, ut a divino numine extra hominem posito crederet universas res humanas regi, sed a communi hominum voluntate et consensu, non a divinis aeternisque consiliis omnia pendere statuebat; in tanta autem vitiorum colluvie, quibus Romanum imperium laborare intellegebat, reperire non poterat, unde possent tantis malis remedia afferri; adeo enim hominum animos labes penitus insederat, adeo spes omnis et facultas pristinae virtutis recuperandae perierat, ut ne tum quidem, cum beatissimi saeculi ortum celebraret, in publico gaudio fracta hominum et oppressa ingenia esse oblivisceretur;¹⁴⁰ quid quod tum *urgentia* etiam *imperii fata* cogitavit,¹⁴¹ quasi recordatus quae puero ipso homines ex Capitolii incendio ominati erant;¹⁴² atque videbat quidem et noverat, quae aliquando imperio Romano interitum allatura erant;

tantum tamen tribuerit ut in ea ipse quasi acquiesceret suumque dolorem deleniret.

¹³⁸ Ann. XVI, 16.

¹³⁹ Ann. I, 39 extr.

¹⁴⁰ Vid. adn. 33.

¹⁴¹ Germ. c. 33.

¹⁴² Ea clades quam alte in animum Taciti descenderit, pluribus locis satis declarat vid. hist. III, 71—73. IV, 54. I, 2.

audiverat Druidas cecinisse, possessionem rerum humanarum transalpinis gentibus portendi;¹⁴³ Germanos vero tam periculosos hostes esse sciebat, ut nihil iam fortunam Romanis praestare maius posse fateretur quam eorum discordiam;¹⁴⁴ christianam quoque sectam aliquam esse cognoverat, cui exitiabilem superstitionem et humani generis odium inesse existimabat;¹⁴⁵ sed quis fieri potuisse credat, ut Romanus homo hoc in animum induceret, Germanorum illam feritatem et barbaram virtutem posse aliquando cum christianorum doctrina longe tum disiuncta in unum coire et ex incredibili hoc consortio novum imperium novumque rerum ordinem nasci? nam etiamsi divino consilio humani generis fata regi suspicatus esset, in Romano profecto imperio adeo omnia esse credidit, ut eo delecto videretur rerum omnium perturbatio ac perniciēs instare et humanitatis eruditionisque omnis interitus. Quare quamvis labentibus rebus Romanis et moribus peste mortifera infectis si quae tamen spes melioris vitae futurae erat, eam necesse est in ipso Romano imperio defixam et conclusam habuerit; quam cum non posset a diis repetere, posuit in ipsa humani ingenii mobilitate rerumque humanarum perpetua fluctuatione, ut quasi in orbem redeuntibus fatis qui iam ad interitum prope accessisse videbantur, eos aliquando in pristinum vigorem resurgere et virtutem patriam recuperare posse speraret.¹⁴⁶ Scilicet auxerat ei animum beatior Traiani principatus ac fortasse ingravescens ipsius aetas facilius patebat solatiis quamvis incertis; in Annalibus igitur et de futuro tempore spes eius aliquanto laetior est et mitius de praesente

¹⁴³ Hist. IV, 54.

¹⁴⁴ Germ. c. 33.

¹⁴⁵ Ann. XV, 44.

¹⁴⁶ Ann. III, 55. nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices ita morum vertantur.

iudicium quam in Historiis, adeo ut laudet etiam suam aetatem; nec omnia, inquit, apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda tulit;¹⁴⁷ et reprehendit hominum morem, qui vetera extollant, recentium incuriosi;¹⁴⁸ quamquam non adeo iam suis temporibus delectabatur, ut non etiam contrarium vitium eorum reprehenderet, qui veterum gloriam et virtutem celebrari aegre ferebant, quod illa laude diversos suos mores argui crederent.¹⁴⁹ Illud vero egregium, quod Tacitus quamvis modica suae aetatis laude sic utitur, ut excitet homines ad laudis studium et virtutis certamina, ne nimia sui seculi desperatione inertiae se dedant;¹⁵⁰ est enim hoc inprimis Tacito propositum, ut quamvis sint eius de divinis humanisque rebus iudicia tristia aut parum probabilia, ex omnibus tamen quaerat materiam detestandi vitia et adhortandi ad virtutem strenue colendam.

Iam vero ut cunctis rebus velut orbem quandam inesse statuit, cuius nec divina lex reperiri possit nec humana, propterea quod nec dii ulli praeter hominum conspirantem voluntatem mundum regant, neque in tanta hominum inconstantia morum ingeniorumque vicissitudines certum aliquem cursum teneant, ita etiam in rebus singulis parem inconstantiam et incertitudinem versari statuit, ut, cum et fiant saepe, quae prohibere, et non fiant, quae efficere homines summa ope summaque prudentia studuerunt, quasi occulta aliqua vis sapientissima consilia certissimasque spes fallere videatur; eam autem vim Tacitus non divinam esse arbitratur, sed casum appellat et fortunam, cuius vim magnam et admirabilem ex re-

rum gestarum memoria cognosci dicit; itaque ubi memorat, quam despectus olim Claudius fuerit, qui postea princeps factus est, mihi, inquit, quanto plura recentium seu veterum revolve, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis observantur; quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat.¹⁵¹ et alibi notat magna documenta instabilis fortunae summa et ima miscentis¹⁵² et demonstrat hominibus fortunam saepius affuisse quam rationem¹⁵³ vel fortunam fuisse pro virtutibus;¹⁵⁴ eiusmodi exemplis, eorum castigat vanitatem, qui fortunae donis nimium tribuunt; ipse ab iis vera bona, quae in virtutibus sita sunt, diligenter separat,¹⁵⁵ et in rebus gestis enarrandis hoc agit, quae verae historiae omnis lex esse debet, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur.¹⁵⁶ Ceterum in casu et fortuna non magis quam in eo quod fatum appellat, divini numinis vim aut consilium cerni arbitratur, sed videtur Stoicis fere consentiens ea quae praeter rationem eveniant mira et inexpectata, naturalium contineri causarum nexu statuisse; fatum autem tum dicit, cum infirmitas humana non potest per totum illum causarum ordinem usque ad principia mente ascendere sed proxima tantum intuenes adeo non intellegit, quomodo quae facta sunt, potuerint fieri, ut occulta in iis aliqua et plus quam humana vis versari videatur; itaque omnia quoque et prodigia veri aliquid habere non credit, quia plerumque illa non inter causas rerum futurarum referri possunt sed indicia tantum earum facere putantur; nec magis mathematicorum

147 Ann. I. c.

148 Ann. II extr. Ita iam olim Agric. c. I. incuriosam suorum aetatem reprehenderat, sed tum tempora saeva et infesta virtutibus dicebat.

149 Ann. IV, 33 extr.

150 Ann. III, 55 extr.

151 Ann. III, 18. cf. IV, 20.

152 Hist. IV, 47. III, 68. II, 70.

153 Hist. III, 59. cf. Ann. XVI, 1.

154 Hist. II, 82. I, 16. Ann. XV, 48. XVI, 6.

155 Agric. 44.

156 Hist. I, 4.

arte credit futura intellegi,¹⁵⁷ quippe quae eodem errore tenetur quo haruspicina et reliqua divinandia genera. Causarum vero occultarum quoniam necessarius et irrevocabilis effectus est, quae fato manent, vitari non possunt, quamvis prodigiis significata;¹⁵⁸ item quod fiunt saepe ea, quae propter ignotas causas expectari non possunt, *nihil arduum fati* est;¹⁵⁹ post eventum autem cum rerum nexus intellegitur, eventorum causae possunt fata dici propterea quod quid ex illis eventurum esset, antea sciri non potuit; ita cum Batavorum cohortes a Vitellio in Germaniam remittebantur, parasse fata dicit Tacitus principium interno externoque bello, quippe cui cohortes illae occasionem daturae erant.¹⁶⁰ Ac multis praeterea locis fatum aut fatalia ea appellat, quorum aut causa nulla apparebat aut quorum eventus longe alius sperabatur;¹⁶¹ et pertinet fatum ita ut deum ira ad excusandum hominum errorem.¹⁶² Maxime autem quae in rerum natura praeter expectationem accidunt, fato fieri dicuntur aut prodigia habentur sive ob imperitiam hominum sive ob timorem,¹⁶³ et frequentissime mors fatum appellatur, quia semper futura mors et incerta est et inevitabilis;¹⁶⁴ qui autem scelere hominum interfectus est, is non fato obisse dicitur, quia non naturalem causam mors habuit nec eum sic perire necesse fuit;¹⁶⁵ scilicet opponitur fatum libero hominum arbitrio, quod quamquam coercetur ipsa rerum natura causis-

que naturalibus, non tamen tolli Tacito videtur fatali necessitate, quam olim homines tamquam divinam et immutabilem voluntatem venerati erant; quare quotiens fatum pro illa necessitate dicit, non id facit proprie aut e sua mente.¹⁶⁶ Liberum igitur hominem Tacitus ita esse statuit, ut nullam extra eum libertatem esse credat; naturae quidem ille viribus, quae libera non est, suaque ipsius infirmitate constringitur, sed nulla aut deorum voluntate aut necessitate fati; quare etsi fieri potest, ut consilii hominis eventus non respondeat, in ipsis tamen certe consilii et in voluntate libera virtutem esse oportet, sine qua Tacitus nullam esse statuit spem immortalitatis, quae una summum est virtutis praemium. Sed de immortalitate quid senserit difficile est dicere; mihi nullam aliam hominum post mortem vitam intellexisse videtur nisi quam etiam diis tribuit, hominum illam viventium animis conclusam ac terminatam; et sicut dii non certae ac finitae personae sunt sed tantum divinum illud, quod hominum animis pro cuiusque captu inest aut virtute exercenda vicens et vim suam exserens aut vitiis oppressum et expulsum, ita homines quoque post mortem omne id quod mortale in ipsis fuit et quod personas certis finibus circumscriptas ipsis induit, amittunt nec ulla sui parte manent immortales nisi quae in hominum memoria et mentibus durat; quae pars illud ipsum divinum est, ex quo virtutes et praeclare facta originem habent; id enim natura sua aeternum est; unde apparet immortalitatem nullam aliam esse nisi quae gloria continetur neque eius participes esse nisi qui divini numinis plenos se vita et factis probaverint, id est viros illustres veraque gloria dignos; Stoicis igitur videtur Tacitus assensus esse, quibus placere dicit magnas animas non cum corpore

¹⁵⁷ Vid. Ann. IV, 58. VI, 22. XII, 52. hist. I, 22.

¹⁵⁸ Hist. I, 18.

¹⁵⁹ Hist. II, 82.

¹⁶⁰ Hist. II, 69.

¹⁶¹ Ann. V, 4. XI, 26. XIII, 12. XV, 61. hist. I, 50.

¹⁶² Ann. I, 39. 55. hist. IV, 72.

¹⁶³ Hist. I, 18. 86. IV, 26.

¹⁶⁴ Agric. c. 45. Ann. XI, 2. XIV, 12. 62. hist. III, 38. dial. c. 13.

¹⁶⁵ Ann. I, 3. II, 71. VI, 16 (10). XIV, 62. XVI, 6. hist. V, 10.

¹⁶⁶ Ann. VI, 28. XII, 64. hist. I, 71.

extingui;¹⁶⁷ nam etsi de assensu suo tacet, ut solet in talire, alteramque sententiam pariter commemorat, locum aliquem esse piorum manibus, scilicet ne importuna dubitatione luctum filiae et uxoris Agricolae laederet, ad quas oratio illa conversa est, nihil tamen aliud declarant quae deinceps illis praecipit, ut omnia facta dictaque Agricolae secum revolvant figuramque animi magis quam corporis complectantur; mentis enim formam aeternam nec simulacris mortalibus sed suis cuiusque moribus exprimendam esse; *quidquid*, inquit, *ex Agricola amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum; nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruit: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.* Manifestum est videri Tacito non modo inter homines Agricolam gloria immortalium esse, sed omnino alibi nusquam eum nisi in gloria superstitem esse; quem si praeterea aliquo modo manere statuisset, non puto omissurus erat consolandi genus, quod in promptu erat et mulieribus aptissimum, ut aliquem sacrum coetum animarum felicius fingeret in eoque illas quoque cum Agricola una fore diceret, id quod Seneca fecit.¹⁶⁸ Tacitus vero personam quidem nullam in immortalitate servari significat, sed unum, quod in homine divinum fuit, virtutes et bene facta dictaque mansura esse; atque qui est eius mos praeclarus, hac quoque persuasione ita utitur, ut eos, qui mortuo verum honorem ac pietatem praestare velint, ad contemplationem virtutum eius et imitationem adhortetur; itaque Germanos laudat, quod lamenta ac lacri-

mas cito, dolorem et tristitiam tarde ponant, quia feminis lugere honestum sit, viris meminisse;¹⁶⁹ item Senecam narrat¹⁷⁰ et amicis testatum esse se quod pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere, cuius si memores essent, bonarum artium famam et constantis amicitiae laturos, et hortatum esse uxorem, ut ipso mortuo in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti honestis solatiis toleraret; ipsamque eius uxorem praedicat laudabili in maritum memoria supervixisse.¹⁷¹ Ad virtutem igitur exercendam tota haec spectat de immortalitate persuasio, quippe quae non a natura homini concessa sit sed ab ipso suis cuiusque consiliis et factis paranda; in quibus si divina natura enituit, pietas est eam imitari eoque parem apud posteros immortalitatem et gloriam consequi. Dicet aliquis: quid igitur vulgo hominum fiet et feminis omnibusque iis, quibus quamvis probissimis non datum est famam nominis illustribus rebus gestis extendere? hi ergo ad immortalitatis spem adspirare non poterunt, quia memoria eorum non potest nisi inter suos nec admodum diu servari? Sane Tacitus nullam aliam novit vitam nisi humanam hanc et terrestrem, in qua quae sunt inter homines nobilitatis et potentiae et conditionis discrimina, eadem pertinere necesse est ad animarum vitam, quae in eadem terrestri vita, id est in memoria hominum viventium continetur; ac nimis paene inhumanus videri possit, quod optimatibus, quibus in civili vita favit, etiam post mortem immortalitatis spem faciliorem multo et certiore tribuerit quam reliquis hominibus; sed nimirum Romanus homo non potuit suam naturam exuere; ceterum

¹⁶⁷ Agric. c. 46. Non neglegendum est praeterea, quod qui alibi moriendi constantiam summis laudibus effert, in Iudaeis moriendi contemptum non laudat sed tanquam ex superstitione ortum despicit, quia illi animos proelio aut supplicis peremptorum aeternos putant. hist. V, 5.

¹⁶⁸ Dial. VI, c. 25.

Taciti vol. I.

¹⁶⁹ Germ. c. 27.

¹⁷⁰ Ann. XV, 62, 63.

¹⁷¹ ib. c. 64. cf. Ann. II, 71. non hoc praecipuum amicorum munus est prosequi defunctum ignavo questu, sed quae voluerit meminisse, quae mandaverit exsequi. nec dissimilis Tiberii oratio Ann. IV, 38.

probabile est sic eum iudicavisse, ut in quovis homine quamvis humili et obscuro aliquam certe virtutem et divinitatis partem inesse posse statueret, quae, quamvis in vita angusta et inter paucos, vim tamen suam exhiberet et ita per alios vel sine auctoris nomine in aeternum propagaretur;¹⁷² nam ipsam quidem virtutem non esse ex modo claritatis et famae metiendam in iis quoque existimavit, quorum et vita in luce hominum versata est et memoria non cum ipsis intercidit. Cum enim immortalitatem pro virtutis praemio habeat, immortalitas autem gloria contineatur, non tamen gloriam per se ipsam aut quovis modo parandam esse statuit, sed vituperat pariter et contemptum gloriae et nimiam cupidinem;¹⁷³ scilicet ante omnia *vera bona, quae in virtutibus sita sunt*, implenda docet, quod ut fieri possit, saepe etiam neglegenda est gloria et dissimulanda,¹⁷⁴ sed si bonis artibus quaesita veniat, non spernenda, quia contemptu famae ipsae etiam virtutes contemni videntur,¹⁷⁵ iique miserandi, quorum animis calamitate et miseria fractis decedit *certainem virtutis et ambitio gloriae, felicitium hominum affectus*;¹⁷⁶ perfecti igitur hominis est virtutem propter ipsam colere nulla praemii cupidine; et gloriae cupidinem exuere ita ut non simul virtutis studium deponatur, ea vero summa laus est, quam etiam sapientes et boni haud facile consequuntur.¹⁷⁷

172 Exemplum tale narrat hist. III, 23.

173 Ann. XV, 8. 28. hist. I, 49. *Galbae famae nec incuriosus nec venditator.*

174 Agr. c. 44. c. 8. *nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit: ad auctorem adducem ut minister fortunam referebat: ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam nec extra gloriam erat.* Ib. c. 9. *ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit.* Ib. c. 18. *nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus — sed ipsa dissimulatione famae famam auxit.*

175 Ann. IV, 38.

176 Ann. XV, 16.

177 Agr. c. 9. hist. IV, 6. *etiam sapientibus cupido gloriae novissima exiit.* ad quem

Haec omnia qui consideraverit facile intellet frustra esse si quis velit aliquam Taciti theologiae componere, quippe quae tota in ethicam conversa sit, propterea quod nec multos deos nec unum persona indutum et liberum esse statuit sed divinum aliquid, quod sola mente intellegi possit neque usquam sit nisi in mentis intellectu, nec id diversum a virtutis specie, quae humano animo insidet ac sola ex homine mortem non patitur sed manet et propagatur cum ab omnibus, qui virtutem vita sua expresserunt, tum maxime a magnis viris, quorum gloria aeterna. Virtutem igitur cum summum bonum iudicet ex eaque viros magnos aestimet, quaeritur quid de virtute senserit qualesque viros magnos habuerit; sed ne totam disciplinam moralem per omnes vitae partes et per omnia hominum genera persequamur, prohibet ipse Tacitus, qui publicam vitam praecipue spectat, privatam raro attingit; nam etsi non spernit eas virtutes, quae a privatis exerceri possunt, tamen non solum operum suorum natura sed sui etiam animi sententia adducitur, ut plus tribuat virtutibus civilibus neque virum magnum iudicet qui in privata vita delitescat quasi patriam non habeat aut publicarum rerum cura non ad se pertineat. Quare ut vult aetatem quamque universam cum prioribus seculis honesta virtutis certamina exercere,¹⁷⁸ ita ab unoquoque homine eam virtutem exigit, quae rebus agendis comprobetur, non eam quae nihil agendo nulla sui experimenta capiat; itaque vituperat *segnem innocentiam*,¹⁷⁹ et neque stu-

locum interpretes Platonem huius sententiae auctorem demonstraverunt, ad cuius verba propius accedit Fronto de eloq. p. 78. ed. Berol. *novissimum homini sapientiam contenti amiculum est gloriae cupido: id novissimum exiit; ipsi, ipsi, inquam, Platonem in novissimum usque vitae finem gloria amiculum erit.*

178 Vid. supra p. XXXI.

179 Ann. XIV, 51. cf. hist. I, 49. *Galbae*

diorum gravitate¹⁸⁰ neque metu temporum¹⁸¹ satis excusari inertiam et segne otium arbitratur; nam et olim videbat otii dulcedine Augustum pellexisse populum Romanum, ut libertate se privari pateretur, cum novis ex rebus aucti tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent,¹⁸² et suis temporibus hoc vel maximum damnus rei publicae illatum esse intellegebat, quod oppressis Domitiani aevitia ingenis studiisque subierat etiam ipsius inertiae dulcedo et invisita primo desidia postremo amari coepta erat.¹⁸³ Neque tamen hoc solum atrocitate temporum efficiebatur, ut pauciores essent, qui etiam cum suo periculo boni cives esse vellent, sed illud quoque sequebatur necessario, ut in his ipsis aut minor virtus esset aut certe non tam libere exerceri tamque illustria facinora edere posset; liberae enim rei publicae temporibus statuebat Tacitus virtutes et facilius genitas et melius aestimatas esse; tum agere digna memoratu pronum magisque in aperto fuisse;¹⁸⁴ postea tamquam ira numinum ingruisse morum pravitatem, in qua perfecta virtus etiam si aliquando existeret, ferri non posset nisi truncata quodammodo et ita deminuta ut non nimia exsuperantia inter homines aut pravos aut mediocres emereret. Itaque Galbae iudicat nocuisse antiquum rigorem et nimiam severitatem, cui iam, inquit, pares non sumus;¹⁸⁵ et veritatem non posse in omnibus re-

medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus.

¹⁸⁰ Hist. IV, 5. reprehendit philosophos, qui *magnifico nomine segne otium velant.*

¹⁸¹ Hist. I, 49 de Galba dicit: *claritas natalium et metus temporum obtentui, ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur.* In Agricola tamen facilius excusat quietem et otium, quem dicit *gnarum sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit.* Agr. c. 6. Similiter *sapientiora* dicit Ann. III, 55. cf. adnot. 1.

¹⁸² Ann. I, 2.

¹⁸³ Agr. c. 3.

¹⁸⁴ Agr. c. 1. hist. III, 51.

¹⁸⁵ Hist. I, 18.

bus retineri fatetur; neque enim reprehendit eos, qui etiam mendacio utantur adversus tyrannos,¹⁸⁶ si id salutis suae causa facere cogantur; item Memmiam Regulum ait auctoritate, constantia, fama in tantum clarum fuisse, in quantum praeumbrante imperatoris fastigio concessum sit;¹⁸⁷ quid quod etiam meliore principe Vespasiano Iulium Frontinum dicit virum magnum fuisse, quantum licuerit;¹⁸⁸ ducis boni vero virtutem adeo imperatoriam haberi viderat, ut qui ea excelleret, haud facile invidiam aut odium principis effugere possent, id quod Corbulonis et Agricolae exempla probant; et erant formidolosi paci viri insignes et ignavo principi praegraves.¹⁸⁹ Quare quod Corbulo beatos praedicavit veteris temporis imperatores, quippe quorum gloriae respublica non obstitisset, id profecto Tacitus ad omne virtutis genus pertinere statuit; non enim ferre poterant principes tales viros, qui sua laude supra ipsorum fastigium attolli viderentur, sed sibi volebant ministros esse qui neque virtute emerent et negotiis sine dedecore publico praecessent.¹⁹⁰ Quae cum ita sint, dubium non est, quin Tacitus crediderit felicis virtutem et maiore vi enitecscere potuisse libera re publica, neque tamen ideo eam plane aut desperandam aut deserendam esse statuit; sed posse etiam sub malis principibus magnos viros esse Agricolae exemplo docet;¹⁹¹ qui quamquam non totam magnitudinem suam explicare poterat et principis odio non solum e medio gloriae cursu revocatus

¹⁸⁶ Itaque neque Senecam reprehendit, quod Neroni gratias egit, neque Agricola, quod Domitiano, quamquam neuter eorum id ex animi sententia fecit; eumque finem esse dicit omnium cum dominante sermonem et consuetudinem servitii. Ann. XIV, 56. Agr. c. 42. hist. II, 71. Aliam causam habet *egregium mendacium*, quod memorat hist. IV, 50.

¹⁸⁷ Ann. XIV, 47.

¹⁸⁸ Agr. c. 17.

¹⁸⁹ Agr. c. 39. Ann. XI, 19.

¹⁹⁰ Ann. I, 80. VI, 45 (39).

erat sed fortasse etiam vita privatus, Tacito tamen visus est quantum ad gloriam, longissimum acutum peregrisse, quia et vera bona impleverat, quae in virtute sita sunt, et quia summos honores adempto nihil aliud adstruere fortuna poterat; unde apparet illud quidem in viro magno plane necessarium esse, hoc vero a fortuna pendere et posse pro temporum natura plus minusve esse. Non opus est communes laudes persequi, sine quibus nulla magna virtus esse potest, quod bonum publicum privato usui anteponendum est,¹⁹² quod vincenda potentiae cupido, quae cunctis affectibus flagrantior est,¹⁹³ quod gloriae studium temperandum,¹⁹⁴ quod fortuna non est pro virtutibus habenda,¹⁹⁵ et quae praeterea veris bonis comprehendendi intellegitur; illud vero gravius est quaerere, quale iter capessendae rei publicae sub malis principibus Tacitus eos ingredi voluerit, quos magnos viros esse statuit; quorum virtutem quoniam non desidem aliquam et otiosam esse vult sed gerendis rebus spectatam, hoc ante omnia praecipit, ut ne quis iis consiliis res gerendas suscipiat, quibus sibi ipse gerendarum rerum facultatem erepturus sit; id autem accidere necesse est iis, qui magis quid optabile sit et quid fieri debeat cogitant quam quid fieri possit; Tacitus itaque non philosophicam aliquam de optimo rerum statu doctrinam ita secutus est, ut non plus tribueret civili prudentiae et rerum usui,¹⁹⁶ neque maiorum gloria ita captus tenebatur, ut neglecta temporum hominumque diversitate illorum instituta per vim reduci vellet; principatum igitur du-

bium non est quin retineri voluerit, assensus Galbae sententiae,¹⁹⁷ non posse immensum imperii corpus sine rectore stare ac librari; sed abhorrebat non solum ab eorum industria, qui malorum principum libidini paratos se ministros praeberent et mala temporum sua culpa auferent, sed improbabat eos quoque, qui hac una de causa sua sponte nullius sceleris aut flagitii auctores vel adiutores essent, quod omnino nihil se sua sponte agere posse censerent, sed in rebus omnibus iussa principis aspectarent,¹⁹⁸ illius arbitrio cuncta permessa, sibi nullam in rebus publicis propriam vel auctoritatem vel voluntatem nulliusque virtutis exercendae facultatem relictam crederent praeter unam obsequii gloriam.¹⁹⁹ Amplius aliquid profecto et maius Tacitus postulat, neque eum virum magnum iudicat, quem dicit negotiis parem neque supra fuisse;²⁰⁰ nimirum iudicium ante omnia vult non a domini arbitrio pendere sed ita liberum esse, ut gerendae rei publicae consilia nullam aliam normam habeant nisi salutem civium et libertatem et eam imperii formam, quae ad liberae rei publicae similitudinem proxime accedat; sed haec consilia qui sequitur civis, eum vult simul prudentia ac moderatione uti et accomodare consilia ad temporum rerum-

197 Hist. I, 16. cf. Sen. de clem. I, c. 4. Eandem sententiam haud dubie pluribus defendit Maternus in ea oratione, cuius pars superest dial. c. 38 sqq.

198 Ann. I, 4. Tales etiam II, quibus omnia principum, honesta atque inhonesta, laudare mos est: Ann. II, 38.

199 Ann. VI, 14 (8). Non est nostrum aestimare, quem supra ceteros et quibus de causis extollas: tibi summum rerum iudicium di dedere, nobis obsequii gloria relicta est. cf. hist. IV, 8, ubi Marcellum Eprum pessimam industriam sic excusasse narrat ut diceret: se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres atque insituerint: ulteriora mirari, praesentia sequi; bonos imperatores voto exsuperare, qualescumque tolerare. Adde Ann. III, 75. locum de claris iuris consultis Ateio Capitone et Antistio Labeone. cf. Plin. ep. III, 20, 12. IX, 2, 3.

200 Ann. VI, 45 (39).

191 Agr. c. 42.

192 Ann. VI, 22 (16). hist. I, 15. sua cuique militas. ib. c. 19. privatae spes sine publica cura. ib. c. 12. II, 7, 101. rei publicae amor. I, 13, 26. 88. IV, 12. Ann. I, 10. rei p. cura.

193 Hist. II, 38. Ann. XV, 53.

194 Vid. adn. 172 sqq.

195 Vid. adn. 154.

196 Vid. adn. 111—116.

que conditionem; itaque ut iure suo vituperat importunam Musonii Rufi sapientiam, qui cum inter civilis belli rabiem armatos monere coepisset pacis bona ac belli discrimina disserens, proculcatus est a militibus, ita etiam ab iis dissentit, qui malis principibus adversando irritant eorum in se saevitiam sine ullo rei publicae usu, sicuti Paetum Thraseam scribit intempestiva libertate sibi causam periculi fecisse, ceteris non praebuisse libertatis initium;²⁰¹ contra laudat Pisonem, qui Tiberio imperante nullius servilis sententiae sponte auctor fuit et, quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans;²⁰² laudat item Lepidum virum gravem et sapientem, qui quamvis pleraque ab saevis aliorum adulationibus in melius flecteret, aequabili tamen auctoritate et gratia apud Tiberium viguit, ac simul significat non fato et sorte nascendi principum inclinationem in hos, offensivonem in illos evenire sed esse hoc in ipsorum hominum consiliis positum ac licere inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum.²⁰³ Hoc igitur iter illud est, quod ingredi vult viros magnos sub malis principibus; hoc idem ingressum Agricola esse praedicat, qui non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocaverat, sed moderatione prudentiaeque Domitianum leniverat et obsequio modestiae effecerat, ut industriae quoque ac vigoris praeclara specimina edere gloriamque non minorem sibi parare posset quam ii, qui dum illicita mirantur, per abrupta sed in nullum rei publicae usum ambitiosa morte inclaruerunt;²⁰⁴ idem denique iter Tacitus quoque ingressus est, quippe qui Domitiano imperante non avertit animum a

re publica neque Thraseae exemplo cum necessitas saeviarum adulationum ingrueret, curia excessit, sed obsequium modestiamque quantum necesse erat praestitit, ut servaret sibi bene merendi de patria facultatem.²⁰⁵ Ceterum non negat Tacitus illos quoque gloriam sibi parare, quos ambitiosa morte inlarescere dicit; intellegit autem Stoicos maxime, viros illa aetate integerrimos et fortissimos, quorum virtutem ipse quoque summis laudibus tollit,²⁰⁶ sed hoc unum in iis minus probat, quod nimio gloriae studio ducti dum vitam profundere quam placitorum rigorem prudentia temperare malunt, minus rei publicae profuerint quam poterant;²⁰⁷ ac fuerunt sane inter eos, qui vel ob temeritatem meliorum,²⁰⁸ vel ob inanem libertatis iactationem²⁰⁹ recte vituperari possent; nec vero credendum est aliam ob causam quam ob utilitatem pu-

²⁰⁵ Agr. c. 45. cf. supra p. IX sq. Consentit cum Tacito Plinius, qui quamquam honoribus gerendis sub Domitiano abstinit et temporibus illis inter moestos et paventes fuit, ut ipse ait paneg. c. 95, 4. 5. scilicet cui tum facilius esset latere quam Tacito Agricolae genero, idem tamen fatetur terrorem fuisse et metum et miseram illam ex periculis factam prudentiam, quae monuerit, ut a re publica oculos, aures, animum averteret, ib. c. 66, 4. cf. epp. VIII, 14, 8.

²⁰⁶ De Thrasea et Sorano vid. Ann. XVI, 21. de Rubellio Plauto XIV, 22. 57—59. de Aruleno Rustico hist. III, 80. Agr. 2. 45. Plin. ep. I, 5, 2. de Helvidio Prisco hist. IV, 5.

²⁰⁷ De Thrasea vid. Ann. XIV, 49. de Aruleno Rustico XVI, 26. De Helvidio Prisco l. c. lenius dicit: *erant quibus appetentior famae videretur.*

²⁰⁸ Tale fuit illud Aruleni Rustici, qui flagrans iuvenis et cupidine laudis cum tribunus plebis esset, offerebat se intercessurum senatus consulto, quo Thrasea damnabatur; sed cohibuit spiritus eius Thrasea, ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet. Ann. XVI, 26.

²⁰⁹ Exemplo est Lucanus poeta, de quo sic Suetonius refert in eius vita: *famoso carmine cum ipsum (Neronem), tum potentissimos amicorum gravissime prosodit. ad extremum paene signifer Pisonianae coniurationis exitiit, nullus in gloria tyrannicidarum palam praedicanda ac plenus minarum, usque eo intemperans, ut Caesaris caput proximo cuique iactaret: verum detecta coniuratione nequaquam parum animi constantium praestitit.*

²⁰¹ Ann. XIV, 12.

²⁰² Ann. VI, 16 (H).

²⁰³ Ann. IV, 20.

²⁰⁴ Agr. c. 42.

blicam Tacitum pericula ea vitari voluisse, in quae illi incautius incurrebant; neque enim fugiebat eum illud iter, quod ipse elegerat, tutius quidem aliquanto sed non tutum esse; quippe qui cum aliis exemplis multis, tum soceri sui periculis edoctus de suo seculo profiteatur: *nobilitatem, opes, omissos gestosque honores pro crimine fuisse et ob virtutes certissimum exitum*;²¹⁰ ultimi vero Domitiani anni tam graves ac luctuosi ipsi fuerant, ut Agricola felitem praedicet, qui opportuna morte abreptus eos non viderit.²¹¹ Quare non nimis prudens aut nimis cauta debet illa Taciti ratio videri, sed admiranda magis illa in virtute constantia, quod ne saevissimis quidem et periculosissimis temporibus statuebat ad segnitiam confugiendum esse, sed fortiter etiam indignissima toleranda, quae quidem neque culpa sua accidebant neque morte sua prohibere poterat. Sunt profecto de hac re pro cuiusque ingenio diversa hominum iudicia, et videri solent illi fortiores ac constantiores, qui mori malint quam ea ferre, quae tulisse se Tacitus fatetur; illud quidem dubium non est, quin consilium Taciti neque ignaviae suspectum sit et rei publicae longe utilius, in quo tamen opus est animo non nimis rigido, sed qui flecti et rerum necessitatibus accommodari possit, idque eo temperamento ac modo, ut non alienis flagitiis ipse per nimiam patientiam polluat.

Sed caeso Domitiano cum boni principes succederent, id ipsum visum est evenisse, quod maxime optaverat Tacitus, ut principatus ac libertas miscerentur, quae adhuc coniungi et inter se conciliari non potuerant, quo tempore iudice Tacito beatissimam seculi lucem exortam esse iam supra exposui.²¹² Quaerendum igitur est quid in prin-

cipatu mutari, quibus rebus libertatem firmari voluerit, ut rerum dissociabilium concordia aliqua ac societas institui ac retineri posset. Ac principatui quidem dubium non est quin nimiam antea et exitiosam vim fuisse crediderit; quam licet non plane appareat, quibus terminis circumscribendam, quibus legibus coercendam, quibus munimentis ipsas leges defendendas esse censuerit, supersunt tamen aliqua certe sententiae Taciti indicia et quasi fragmenta. Primum manifestum est noluisse eum principis personam ac dignitatem in eo fastigio esse, quod extra et supra senatum populumque Romanum esset, sed volebat principem senatorem esse, quamvis eum singulari et eximia potestate praeditum; ubi enim de origine principatus agit, dicit Augustum *munia senatus, magistratum, legum in se traxisse*; deinde *verso civitatis statu nihil usquam prisci et integri moris superfuisse, et omnes exuta aequalitate iussa principis aspectasse*;²¹³ haud obscure igitur significat aequalitatem aliquam retineri potuisse, et probat, quod Vitellius aliquando cum Priscus Helvidius praetor designatus in senatu contra studium eius censuisset, nihil novi accidisse dixerat, quod duo senatores in re publica dissentirent;²¹⁴ scilicet ante Nervam Traianumque haec persuasio superbissimis dominis fuerat, ut sibi viderentur principes esse desinere, si quid facerent tamquam senatores.²¹⁵ Tacitus autem illud

²¹³ Ann. I, 2. de aequalitate cf. III, 26.

²¹⁴ Hist. II, 91.

²¹⁵ Plin. paneg. 63, 6. cf. Traiani laudes illas apud Entrop. VIII, 2, 10: *gloriam militarem civilitatem et moderationem superavit, Romae et per provincias aequalem se omnibus exhibens, amicos salutandi causa frequentans vel aegrotantes, vel cum festis diebus habuissent, convivia cum iisdem indiscreta vicissim habens, saepe in vehiculis eorum sedens.* cf. ib. §. 15. et multa talia profert Plinius in panegyrico, veluti c. 71, quod Traianus candidatis osculo occurrit et spectatus est aequatus candidatis et simul stans; c. 76. quod in senatu nihil praeter consulem egit, quod domo progrediebatur sine ullo arrogantiac principalis apparatu, sine praecursorum

²¹⁰ Hist. I, 2.

²¹¹ Agr. 44 sq.

²¹² Vid. pag. XXV.

quoque desiderat, ut principum filii non maturius quam per leges liceat, magistratus petant,²¹⁶ ut modestos se in senatu gerant²¹⁷ nec licentiam tantum ex paterna fortuna usurpent.²¹⁸ Quae omnia apparet ad aequalitatem pertinere. Praeterea ipsum principem non vult legibus solutum esse neque munia senatus ac magistratum in se trahere sed potestate certis finibus circumscripta uti, quae neque senatus neque magistratum potestati officiat, ut fiat fere quod Tibertius dixit: *in civitate tot illustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent; plures facilius munia rei publicae sociatis laboribus exacturos; quam orationem Tacitus adeo non improbat, ut in ea plus dignitatis quam fidei esse iudicet.*²¹⁹ Item probat Neronis orationem, qua is formam futuri principatus praescripserat: *non se negotiorum omnium iudicem fore, ut clausis unam intra domum accusatoribus et reis paucorum potentia grasaretur; nihil in penatibus suis venale aut ambitioni pervium; discretam domum et rem publicam; teneret antiqua munia senatus; consulum tribunali-bus Italia et publicae provinciae assisterent; illi patrum aditum praeberent: se mandatis exercitibus consulturum.* Addit Tacitus non defuisse fidem et multa arbitrio senatus esse constituta, idque etiam adversante Agrippina.²²⁰ Nec dubium quin in tali principatus forma magistratus quoque potuerint libere potestate legitima ita uti, ut si non solum negotiis pares essent et obsequii laude contenti, sed eximia aliqua virtute praestantes, gloriam quoque insipientem quaerere liceret citra principis offensionem aut invidiam, at-

que officiebatur, quod Tacitus maxime exoptasse ex iis quae supra dixi,²²¹ satis intellegitur, ut viri magni existere possent sine periculo, neque esset certissimum ob virtutes exitium nec magnitudo aut claritas arbitrio principis et praesumbrante eius fastigio angustis terminis concluderetur; exemplo est, quod inter ipsa illa Neronis initia cum ad bellum in Oriente gerendum non pecuniosus aliquis et gratia subnixus dux per ambitum delectus esset sed vir amota invidia egregius, Domitius Corbulo, laetatum senatum scribit Tacitus, quod videbatur locus virtutibus patefactus.²²² Credibile est Tacitum praeter illa quae Nero promiserat, alia quaedam de principis potestate constitui voluisse, quibus cavere-tur, ne illa quoque, si a solo principis arbitrio penderent, nimis dubia et fragilia essent; sed ea qualia fuerint, incerta coniectura est; illud certum, in votis habuisse Tacitum ut libertas non quidem plena illa, quae liberae rei publicae fuerat, sed quae ad illam proxime accederet, restitueretur.²²³ Custodem autem et columnen libertatis solum senatum esse debere existimabat; neque enim de universo populo et plebe spem ullam habebat, nec verisimile est cum de comitiorum et iudiciorum ea forma, quae ante Augustum fuerat cogitasse; erat enim totus ab optimatium partibus, reliquam civium multitudinem servis, libertis, peregrinis mixtam suo iure non videtur idoneam iudicasse, cui aliqua in regenda re publica potestas concederetur. Populares enim partes, quae olim fuerant, postquam libertatem Caesari et Augusto prodiderant,

tumultu, quod nemo submovebatur; c. 77. quod praetores collegas appellabat, quod assiduus erat in tribunali.

²¹⁶ Ann. III, 29.

²¹⁷ Hist. IV, 40.

²¹⁸ Hist. IV, 2. Agr. 7.

²¹⁹ Ann. I, 11. IV, 6. XI, 5. cf. Plin. paneg. 77, 4. nullius a Traiano magistratus ius, nullius auctoritas imminuta est: aucta etiam.

²²⁰ Ann. XIII, 4. Similem laudem prioribus Tiberii annis tribuit Ann. IV, 6.

²²¹ Vid. p. XXXV sq.

²²² Ann. XIII, 8.

²²³ Ita Batavos tradit in eo acquiescere voluisse, quod libertati proximum esset hist. V, 25. et in L. Vetere laudat vitam praesertim libertatem aetam Ann. XVI, 11. ac fortasse volebat oligia senata princeps, quod loco libertatis esse dixit Galba hist. I, 16. Odit certe omnia, quae libertatem corrumpunt vel quae inane libertatis speciem habent; vid. Ann. I, 75. 81. III, 70.

nullae iam erant et in locum earum successerat incondita illa multitudo, cui nullus erat rei publicae amor, sed tantum spectaculorum et voluptatum cupido²²⁴ et una ex re publica annonae cura.²²⁵ Praeterea Tacitus saepe commemorat, quam ignavum fuerit, quam inconstans, quam imperitum inanibusque rumoribus deditum, quam rerum novarum cupidum atque ipsis etiam malis rei publicae laetum vulgus urbanum.²²⁶ Nam etsi *sordidam partem plebis* appellat²²⁷ ut videatur aliam partem honestiorem intelligere, non tamen huic propriam aliquam vim tribuendam esse satis declarat eo, quod alibi *partem populi integram* significat eam esse, quae *magnis domibus adnexa* sit;²²⁸ nam tribus urbanas populi ne suspicemur retinuisse aliquam rei publicae curam, obstat alius locus, quo non vulgo sed soli senatui et equitibus aliquam partem et curam rei publicae fuisse testatur;²²⁹ nec vero fieri potuit, ut sub imperatoribus si qua fuerunt civilia studia in honestiore populi parte, diversa essent ab iis, quae inter optimates vigeant. Hi adtem quamquam saepe aut inertiae se dabant aut servos se principum libidini addicebant, acceperant tamen a maioribus quasi per manus traditam libertatis curam ipsaque etiam nobilitate sua invisi erant principibus et ad omnem iniuriam eo magis expositi, quod opibus saevitiam irritabant; plerique legum et negotiorum publicorum peritia insignes ac gestis honoribus illustres, nonnulli etiam bellica gloria et militum civiumve studiis supra privatorum hominum locum elati; acce-

debat vetus senatus auctoritas quamvis saepe illa et a Caesaribus contumeliose proculcata et ab ipsis senatoribus turpiter proiecta, numquam tamen ita tota extincta ut non aliquid in ea libertatis praesidium superesse crederetur.²³⁰ Quare eorum omnium, qui libertatem defendere vel novis legibus institutisque firmare et augere vellent, unum hoc erat commune ac necessarium consilium, ut senatus dignitatem et auctoritatem foverent et quicquid de infinita principatus vi demi posset, id omne ad senatus potestatem augendam converterent. Hanc viam ingressus clarissimus vir Paetus Thrasea omni tempore ornare senatum eiusque libertatem et dignitatem tueri studuerat, cuius exemplum non modo reliqui Stoici sed omnes verae gloriae cupidi sequebantur,²³¹ interque eos cum Plinio etiam Tacitus, qui soli senatui et nobilibus libertatis studium fuisse satis declarat, cum et Augusti potentiae neminem adversatum esse ita demonstrat ut nulla facta reliquorum civium mentione de nobilibus tantum agat,²³² et post Domitiani quindecim annos atrocissimos dicit paucos superstites esse, non profecto omnem civium multitudinem intellegens sed senatores eos, qui inviti Domitiani saevitiam perpessi essent et Traiano principe rem publicam recte gerere possent;²³³ itaque per omnes historiarum annaliumque libros praecipua cura enarrat si quid in senatu memoria dignum actum est, sive cum laudabili libertate senatus pristinam auctoritatem et speciem reipublicae aliquam imaginem retinere visus est, sive cum in turpe servitium

²²⁴ Ann. XIV, 14. XV, 36. hist. III, 83. cf. Plin. ep. IX, 6, 3.

²²⁵ Hist. IV, 38. Ann. I, 2. II, 87. VI, 19. XII, 43. XV, 36.

²²⁶ Vid. hist. I, 4. 32. 35. 36. 40. 89. 90. II, 90. III, 55. 58. 64. 74. 83. 85. et alibi.

²²⁷ Hist. III, 74.

²²⁸ Hist. I, 4.

²²⁹ Hist. I, 50. Neque assentior Rittero qui hunc locum mutavit non aliam ob causam quam ne repugnaret iis, quae item minus recto de tribubus disputavit ad hist. III, 53.

²³⁰ Hinc S. P. Q. R. obliterata nomina, et tamen speciosa et numquam obscura, etiamsi aliquando umbrentur, hist. I, 55. 57. II, 32. et grande momentum in nomine urbis ac praetexto senatus. hist. I, 76. Et haud dubie e Taciti mente est praecleara illa senatus laus in Othonis oratione hist. I, 84.

²³¹ Ann. XIII, 49. XIV, 12. 48 sq. XV, 20 sqq. XVI, 26. hist. II, 91 extr.

²³² Ann. I, 2.

²³³ Agr. c. 3.

delapsus suam ipse dignitatem destituit²³⁴; atque adeo singulas sententias exsecutus est, siquidem per honestum aut notabili dedecore insignes essent; Pisonemque laudat, quod nullius servilis sententiae sponte auctor fuisset.²³⁵ Quare cum in senatu Tacitus omnem libertatis spem reponat, mirum non est quod non negligit si quid de legendo vel augendo eo actum est,²³⁶ et quod exhaustis fere patriciis gentibus generis nobilitati plurimum tribuit familiarisque senatoriis singularem memoriam debere statuit, quippe cupiens eorum stirpem servari, qui in maiorum gloria magna virtutis incitamenta haberent;²³⁷ in aliis, qui malis artibus se extulerant, non tacet dedecus natalium,²³⁸ sed qua est aequitate, eos quoque digna

laude celebrat, qui originis humilitatem suis virtutibus illustrassent.²³⁹ Sed optimatum iudicia adeo constanter sequitur, ut id etiam in iis rebus faciat, quae veteris rei publicae tempora spectant.²⁴⁰ Atque constantiam quidem iudicii et aequalitatem vitae quanti fecerit ex eo perspicitur, quod saepe homines a se ipsis discrepantes reprehendit,²⁴¹ constantes vero et propositi tenaces laudat,²⁴² nisi quod ab eorum pervicacia dissentit, qui ipsi etiam necessitati frustra obstiti constantis esse putent.²⁴³ Nullam autem pluris facit Tacitus constantiam quam moriendi, quippe quae omnis virtutis laudabilisque vitae et conditio sit et consummatio, sine qua nemo firmus adversus fortuita esse possit; non enim ab immortalitate animorum, quam non credit, repetit moriendi fortitudinem, sed ab animo eo, qui virtutem pluris facit quam vitam. Itaque exempla eorum haud facile silentio transit, qui prompte perierunt, neque damnat mortem voluntariam, quae videbatur Stoicis libertatis via;²⁴⁴ quare Othonis mortem egregium facinus appellat, quippe quo ille finem civili bello imponere voluerat;²⁴⁵ item Gracchum Iuliae adalterum dicit constantia mortis haud indignum Sempronio nomine, cum vita degeneravisset;²⁴⁶ et cum multi segner perirent, pro magna hoc calamitate reputat, quam ira

²³⁴ E multis exemplis vid. Ann. I, 11, 12, IV, 75, XIII, 28, I, 74, IV, 33, III, 60, ubi ait: *magna eius diei species fuit, quo senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam qui ante vim Romanam valuerant decreta ipsorumque numinum religiones introiecit, libero, ut quondam, quid firmaret mutaretque. ac tamen fatetur Tiberium hanc antiquitatis imaginem senatui praebuisse, cum sibi vim principatus firmaret. Non minus Plinio senatus dignitas curae est; vid. epp. II, 11, 1, 10, 18, III, 20, IV, 25, VI, 5, 13, 19, VIII, 6, 14, IX, 13, 21.*

²³⁵ Ann. III, 65, VI, 16 (10), cf. II, 32.

²³⁶ Ann. III, 55, XI, 23—25, XII, 52, hist. II, 82, 86.

²³⁷ Itaque Liviam hoc quoque nomine reprehendit, quod cum Selani matrimonium cuperet, municipali adultero maiores suos foederaverit Ann. IV, 3, et partem maeroris publici esse ait, quod Iulia, Drusi filia, denupsit in domum Rubelli Blandi Ann. VI, 23, cf. III, 29, Praedicat Furium nomen Ann. II, 52. Aemilium genus fecundum bonorum civium et malorum Ann. VI, 33 (27), illustrium domuum adversa et laeta memorat Ann. III, 24, paupertatem miseratur Ann. II, 37 sq. III, 32, IV, 13, plerumque in fine annorum obitus insignium virorum refert, et Ann. XVI, 18 ait: *delur hoc illustrium virorum posteritati, ut quomodo exequiis a promiscua sepultura separantur, sita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.* non tacet si qui nobiles maioribus suis se indignos praestabant, vid. Ann. III, 65, 66, I, 53, et alibi, nisi quod Ann. XIV, 14 nobilium familiarum posteros a Nerone foedatos ne nominatim tradat, maioribus eorum tribuendum putat; neque Ann. XV, 32 nomina senatorum ponit, quos per arenam foedatos narrat. Cf. Plin. ep. V, 17, 6.

²³⁸ Veluti Ann. III, 65 Iunil Othonis obscura initia memorat, ib. c. 75 Capitonis Attil avum centurionem, XI, 21 Curtii Rufi dedecus natalium, VI, 8 Togonii Galli ignobilitatem.

²³⁹ Veluti de Agrippa vid. Ann. I, 3, de Eprio Marcello et Vibio Crispo dial. 8, de Helvidio Prisco hist. IV, 5, de Epicuri Ann. XV, 67, de aliis alibi; quid quod servorum quoque virtutes praedicat; vid. hist. I, 3, IV, 50, Ann. XIV, 60.

²⁴⁰ Vid. Nipperd. ad Ann. III, 27.

²⁴¹ Exemplo sunt Tiberius Ann. VI extr.; L. Vitellius VI, 38 (32); C. Petronius XVI, 18, Mucianus hist. I, 10.

²⁴² Ita in Thrasea laudat suetam firmitudinem animi Ann. XIV, 49, et eundem refert XVI, 26 dixisse: *sibi actam aetatem et tot per annos continuum vitae ordinem non deserendum.* Item laudatur L. Vetus Ann. XVI, 11, qui vitam proxime libertatem actam novissimo servitio foedere.

²⁴³ Vid. supra p. XXVII. XXXVII.

²⁴⁴ Sen. epist. 70, 14.

²⁴⁵ Hist. II, 50.

²⁴⁶ Ann. I, 53.

deum accidisse dicit;²⁴⁷ milites autem eos, qui cum diu in fide perstissent, alimentis omnibus solitis insolitisque defecti Civili se dedicant et vitam oraverant, laudem egregiam iudicat sine turpi maculasse, scilicet quod non mortem praetulissent;²⁴⁸ contra Vitellianos milites laudibus tollit, qui non solum mortem fortiter subierunt, sed morientes etiam decori exitus eam curam habuerunt, ut omnes contrariis vulneribus caderent versi in hostem.²⁴⁹ Qua in re animadvertimus, quod etiam in aliis multis Tacitus declaravit, non solum hoc eum in quaque re spectasse, quam quis recte et probe ageret, sed etiam quam decenter; et vero convenit hoc Romano homini et senatori, in omni re etiam decoram dignitatis speciem et gravitatis et maiestatis observare.²⁵⁰

Iam vero si omnia quae adhuc de Taciti ingenio disputavimus, in unum colligamus, non obscurum esse credo inprimis eum idoneum et quasi natum et factum ad historiam scribendam esse; neque enim litteris solum et studiis ad id opus eruditus erat sed etiam clarorum et bonorum virorum consuetudine et vitae usu multiplici; quem cum primum quietis temporibus bonisque imperatoribus Vespasiano ac Tito parasset, acriore deinde disciplina inter atrocissimas saevae dominationis tempestates institutus, denique ad beatum otium Nerva Traianoque imperantibus traductus est quo pos-

247 Ann. XVI, 16.

248 Hist. IV, 60.

249 Hist. III, 84 extr.

250 Ita hist. III, 63 milites Vitellianos narrat non sine decore sed sub signis vexillisque in Vespasiani partes transisse; de qua re cf. Sen. dial. IX (de tranq. an.) 4, 1. *ne ego nequiverim aliquando cedendum, sed sensim relato gradu et salvis signis, salva militari dignitate.* Praeterea vid. Ann. III, 1 sqq. de Germanici funere. Hist. I, 25 de duobus manipularibus; ib. c. 36. de Othone protendente manus, adorante vulgum, faciente oscula, et omnia servilliter faciente pro dominatione; c. 74. de indecora simulatione; II, 11. de deformi auxilio gladiatorum; III, 81 et IV, 2 de incesso dediturum, et alia eius generis plurima. Cf. Plin. ep. III, 20, 4.

set omnia, quae inter varias rerum vicissitudines cognoverat aetate matura et tranquilla mente repetere et complecti et ad scribendi diligentiam adhibere; cum vero animum afferret sapientiae studiis excultum et unius virtutis amore veraeque et excelsae gloriae specie supra ambitionem et cupiditatem et pectoris angustias elatum, summa eum par erat aequitate et de hominibus et de rebus gestis iudicare; neque enim aut eorum partibus se addicebat, qui solo principatu, neque eorum, qui sola libertate omnem imperii Romani salutem contineri statuebant, sed mediam quandam viam secutus, non illam consilii inopia aut animi debilitate arreptam sed ipsa rerum necessitate et varia temporum fortuna monstratam, rectissime quae in utrorumque consiliis bona, quae mala essent animadvertibat eoque effecit, ut plane ad effigiem iustae et perfectae historiae res Romanas componeret atque opera talia perliceret, quae hodie quoque post tot seculorum, tot gentium diversissima fata, aucta in immensum historiae materia et rerum cognitione etiam philosophorum multiplici opera illustrata, pariter et scribendi arte et iudicii maturitate cum omnibus utilia et iucunda, tum iis pro exemplo sint, qui in eodem genere elaborant.

Superest vero, ut demonstrem, quomodo praeclarum illud ingenium Tacitus ad ipsam historiam tractandam adhibuerit quibusque scribendi legibus usus sit.

Atque primum quidem quem finem et quam praecipuam historiae utilitatem esse voluerit vir virtutis studiosissimus, satis apparet atque ipse professus est: *praecipuum*, inquit, *munus annalium reor, ne virtutes sileantur utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit.*²⁵¹ Thucydidi igitur cum Plinio et Quintiliano consentiens opus suum voluit esse *κτῆμα ἐς αἰὲ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παροχρήσιμα ἀκού-*

²⁵¹ Ann. III, 65.

ei²⁵² non illud libidine adsentandi aut odio adversus dominantes nec praesentis commodi causa scriptum sed *cura posteritatis*;²⁵³ quam qui cogitat, animo integro esse debet et iusto; ac testatur Tacitus se *sine ira et studio* esse res traditurum, *quorum causas procul habeat; et incorruptam fidem professo nec amore quemquam et sine odio dicendum esse*.²⁵⁴ Scilicet debet historicus id agere quod actura semper est posteritas, ut res gestae recte aestimatae perpetua memoria conserventur; illa enim iudex est verissima et iustissima, quae corrumpi nullo modo possit; *socordiam eorum irridere libet, ait Tacitus, qui praesenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis aevi memoriam*; et de libris Domitiani iussu crematis: *scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur*;²⁵⁵ frustra; *suum enim cuique decus posteritas rependit*.²⁵⁶ Continetur autem memoria et iudicio posteritatis gloria hominum et immortalitas;²⁵⁷ itaque quasi sancto munere fungitur historicus, cuius ore clarorum virorum vera imago et quicquid in iis immortale fuit propagatur; oratio eius debet esse ut Thraeseae *quasi ex aliquo numine supra humanam*,²⁵⁸ quippe qua tamquam iudex quidam divinus nihil nisi iustissima iudicia proferat tanta veritatis vi ac gravitate, ut metum faciat iis, qui pravorum dictorum factorumque infamiam vel potentiae splendore vel callida virtutis simulatione effugere velint; qua in re cum summa posita sit utilitas, merito Tacitus parvi pen-

dit, si severa illa et sancta historiae scribendae ratio parum oblectationis habeat atque etiam mortuorum vel infamia vel gloria obtrectionem et offensas scriptori afferat.²⁵⁹

Tale igitur ac tantum cum sit historiae scribendae munus, scriptoris virtutem apparet tribus partibus contineri; debet enim materiam et eligere recte et iuste aestimare et orationis dignitate rerum gravitatem aequare. Quae omnia Tacitus praestitit cumulatissime. Nam primum in materia eligenda prudentissimo consilio non vetera Romanorum tempora enarrare instituit a multis iam auctoribus pari eloquentia ac libertate relata, sed servitutis memoriam ab Actiaca illam pugna usque ad Domitiani mortem pertinentem, quae rerum Romanarum pars neque a magnis ingeniis neque cum posteritatis cura tradita erat.²⁶⁰ In ipsa autem hac parte ex infinita rerum multitudine summo consilio eas elegit, quibus enarrandis satisfieri posset gravissimo illi muneri, ut virtutes non silerentur et pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus esset; non erat igitur legentium oblectatio quaerenda nec res fabulosae aut frivolae et minutae eligendae, sed eae potius, quae ad vitam civium recte instituendam et regendam et ad mores emendandos aliquam vim habere possent; quare ipse ait se res illustres tantum memorare velle, non ea, quae diurnis urbis actis mandari soleant, veluti si amphitheatrum Caesar aedificaverit;²⁶¹ item Neronis insanam luxuriam, qui publicis locis convivia struebat totaque urbe quasi domo utebatur, uno tantum exemplo insigni demonstrat, *ne saepius eadem prodigientia narranda sit*.²⁶² In universum igitur

252 Thucyd. I, 22 extr. Plin. epp. V, 8, 11. Quintil. X, 1, 31.

253 Hist. I, 1.

254 Ann. I, 1. hist. I, 1.

255 Ann. IV, 35. Agr. c. 2.

256 Ann. IV, 35. cf. XVI, 25. *distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium perennitium*. hist. I, 21. *mortem omnibus ex natura aequalem oblivione apud posteros vel gloria distingui*. hist. II, 47. *hinc Othonem posteritas aestimet*.

257 Vid. supra p. XXXII sq.

258 Ann. XVI, 25.

259 Ann. IV, 33.

260 Vid. supra p. XXII sq.

261 Ann. XIII, 31. cf. hist. II, 50. *ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim, ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim*.

262 Ann. XV, 37.

ea tantum memoria digna iudicat, quae ad publicam populi Romani vitam pertinent et quorum aliquod momentum est in illam rerum summam, ad quam Annalium et Historiarum opera descripta et divisa esse supra exposui;²⁶³ quae praeterea quasi extra continuum rerum cursum memoratu digna visa sunt, ea in fine anni cuiusque adiunxit, Livii quidem exemplo et aliorum puto qui annales scripserant; neque tamen ut Livius longos magistratum ordines recenset, nullos enim praeter consules ordinarios appellat, nec prodigia et alia id genus, quae in annalibus pontificum relata erant, commemorat, nisi ubi singularis causa est cur a more suo recedat; sed ea tantum refert, quae ad urbanae vitae faciem describendam pertinent, maxime celebria iudicia et illustrium virorum mortes, quorum originem et virtutes vel vitia breviter perstringit; quae omnia non sunt ab operis dignitate aliena.

Alterum diximus historici officium, ut et homines et res recte aestimet, qua in re plane admirabilis est Taciti et diligentia et sagacitas. Nam in hominibus quidem cum recte intellexisset non tam rerum gestarum eventus spectandos esse quam consilia et eas causas, quibus ad agendum adducti sunt,²⁶⁴ hoc ante omnia efficere studet, ut ipsam hominum naturam et ingenium et proprios cuiusque mores et studia vere et accurate pernoscat et quid cuique verae virtutis fuerit aut quibus vitiis laboraverit, aequo iudicio constituat. Tradidit autem tempora ea, quibus veritas et simplicitas rarae essent et contemptae tamquam hominum imperitorum et parum callidorum virtutes, plerique simulationis artifices, totos se componerent in virtutis speciem, ut turpissimas cupiditates occultarent, mira etiam dicendi arte non ad proferendos sed ad tendendos animi

sensus accommodata. In tanta perfidia difficillimum profecto est nec nisi magna adhibita cautione, summo acumine, insigni humanorum ingeniorum peritia perfici potest, ut fraus et mendacium a veritate discernatur, praesertim cum ex rerum gestarum fama, ex partium studio aliisque rebus fortuitis plurimae saepe aliae oriuntur causae, quibus vera hominum voluntas obtegatur. Tacitus vero haud scio an nulla alia arte praestantior sit quam hac, quae est in indagandis hominum consilii consiliorumque causis: adeo ille vel abditissimos animorum recessus scrutatur et remotis speciosis veritatis involucris nudat occulta, fugientia indagat. Documento est Tiberius, quo vix unquam quisquam tyrannus extitit dissimulandi arte insignior, consiliis tector, verbis obscurior, sed non magis cuiquam suus Tacitus obvenit, qui occulti pectoris secreta recluderet, dissimulata consilia aperiret, suspensae et ambiguae orationis vim exploraret, idque tam manifestis veritatis indicibus, ut dubitatio nulla relinqueretur.²⁶⁵ Quid quod tam alte descendit in reconditos animorum motus, ut non modo simulationem eam introspeciat, qua quis alios decepit, sed etiam eam, qua se ipsum; neque enim in alia re ingeniosiores homines sunt quam in inveniendis artificiis, quibus se ipsos ad male agendum inducant; veluti Otho cum nefaria consilia de occupando imperio et Galba occidendo agitare et vellet sibi excusator videri tamquam confugiens ad necessariam et honestam suae salutis defensionem, *fingebat et metum, quo magis concupisceret.*²⁶⁶ Sed

²⁶⁵ Non opus est dicere quam frustra fuerint illi qui Velleiis Paterculis et Valeris Maximis aliquam fidem adversus Tacitum vindicare conati sunt; neque nuper felicior quamquam accuratior *Sievers*, qui Tiberium defendere studuit duabus scriptonibus scholasticis: *Tacitus und Tiberius*. Hamb. 1850 et 1851.

²⁶⁶ Hist. I, 21. Neque credendum est esse haec ingeniosa somnia probabiliter ficta: nam et oratione talia prodi potuerunt, et magna est etiam carum rerum, quae testem nullum

²⁶³ Vid. supra p. XXII.

²⁶⁴ Vid. supra p. XXXI sq. XXXIII sq.

quanta fuerit in toto hoc genere Taciti prudentia, demonstrat longus illustrium virorum ordo, quorum mores et ingenia non communi aliqua vel laude vel reprehensione descripsit sed ita ad vivum expressit, ut quae cuiusque propria indoles fuerit, intellegamus;²⁶⁷ idem demonstrant sententiae plurimae rebus narrandis interpositae, quibus res ipsas ex ingenii humani natura repetit et illustrat;²⁶⁸ neque tamen id ita facit, ut ambitiose suam sapientiam ostendet pluribus cam verbis exornans et inculcans, sed simplicissime et brevissime rerum causas indicat legem aliquam vel consuetudinem communem humani ingenii commemorans, verbis plerumque ita rei ipsi adiectis et subiunctis, ut ne plenam quidem per se sententiam efficiant;²⁶⁹ ac tamen si quis ad hanc Taciti diligentiam attendat, facere non poterit, quin singularem eius prudentiam et acumen admiretur,²⁷⁰ quo

habuerunt, certitudo, si quis prudenter et diligenter indicia omnia colligat et inter se comparet, e quibus verus animi habitus intellegatur.

267 Tacito duce virorum illustrium ingenia descripsit Hoffmeister p. 134—187, vehementer is tamen errans de Tacito ipso, quem p. 188 cum Thræsea et Helvidio coniungit, non autem, quod debuit, in eodem virorum genere posuit, in quo est Agricola.

268 Eius generis sententias collegit Rupert. vol. I. p. XLV sqq.

269 Valuti hist. I, 22. *Otho tamquam peritiam et monitu fatorum praedicta accipiebat, cupidine ingenii humani libentius obscura credendi.* cf. hist. I, 90. *mors adulandi.* hist. IV, 50. Ann. XIV, 58. *mors famae.* Ann. I, 39. IV, 64. hist. I, 7. 69. *ut mos vulgo, vel ut est mos vulgo, vel qui mos vulgo.* Atque ita etiam in uno adiectivo tota sententia latet, veluti cum dicit *muliebrem impotentiam* Ann. I, 4. XII, 57. *superbiam* XIII, 14. *aemulationem* II, 43. *muliebres causas* XII, 64. *offensiones* I, 33. *il-lecebras* XII, 2. *consilium muliebri ac deterris* XV, 54. *novercalia odia* Ann. I, 6. XII, 2. *novercalis stimulus* I, 33. *militares facitias* Ann. I, 23. *militarem iactantiam* Agr. 25.

270 Pariter copiosus et acutus in hoc genere est L. Seneca, sed is adeo non sine artis ostentatione prudentiam magnam ingerit, ut utram magis approbare legentibus voluerit, saepe dubites; documento est longissimus locus illud IX (de tranq. an.) c. 1 et 2. Neque aliter historici characterismo et aetologia et othopoeia figuris, quas Rutilius Lupus appellat, modo serio usi sunt rei demonstrandae causa,

is perfecit sane quod voluit, ut qui tamquam in speculo artes suas et simulationes nudatas et apertas conspiciant, metu ex posteritate et infamia commoveantur, videturque ea verissima causa esse cur omnium minime ii Tacito delectentur, qui dominationis suae arcana perspici nolunt; nec mirum si qui ex illis Napoleonis exemplo Tacitum legi vetent, quamvis eum neque principatui adversum et virtutis veritatisque studiosissimum fuisse constat.

Non minorem vero Tacitus operam in rerum quam hominum indaganda natura posuit, quippe quarum tanta saepe vis sit ac tanto hominum spe et voluntate validior, ut qui eas non accurate norit, falsam plerumque historiam aut certe obscuram et mancam proditurus sit; a quo vitio quam alienus sit Tacitus, ipso statim historiarum initio declarat, ubi sic ait: *Antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur.* Non dissimili exordio in Annalibus utitur; neque aliam causam habent quae fusius in hist. lib. V. de Iudaeis, in Agric. de Britannis, item quae aliis locis brevius de Parthis, de Sarmatis exposuit;²⁷¹ nec ubi bella narraturus est praetermittit explicare, quibus ea qualibusque copiis suscepta sint.²⁷² Sed maxime civilium rerum peritiae studet, quippe qui aliis rerum Romanarum scriptoribus inscitiam reipublicae ut alienae vitio vertat;²⁷³ atque ipse qui-

modo ut rhetorico artificio legentes delectarent. Sed certe magna illa morum peritiam imperatorum demum temporibus enituit, nec sine causa; habuit enim hoc boni rei p. commutatio, quod cum a rebus publicis homines cogitationes averterent et privatae vitae angustiis includerent, singulorum hominum animos altius scrutari coeperunt, cuius rei principem fere et signiferum esse Horatium arbitror.

271 Ann. II, 1—4. hist. I, 79.

272 Ann. XIII, 25. hist. I, 51. II, 4 et al.

273 Hist. I, 1.

dem non solum usu rerum, sed etiam doctrinae studiis leges institutaque populi Romani et institutorum varias mutationes et mutationum causas et occasiones tam accurate cognoverat et perspexerat, ut nulla alia fere laude clarior sit; ac fuerunt etiam qui eum tamquam uberrimum fontem civilis prudentiae commentariis politicis illustrarent,²⁷⁴ quamquam nemo eorum praestantiam Macchiavellii attingit, qui eius rei exemplum in Livio proposuerat. Ceterum Tacitus ubi de commutata aliqua rei publicae parte agit, saepe priorum temporum memoriam repetit et varias cuiusque instituti formas componit, veluti ubi de luxu coercendo agit,²⁷⁵ item de modo faenoris,²⁷⁶ de praefecto urbi,²⁷⁷ de quaestura,²⁷⁸ de aerarii administratione,²⁷⁹ de Sibyllinis libris,²⁸⁰ de

vacationibus militum;²⁸¹ quae omnia quamquam utilissima sunt et ad res recte aestimandas gravissima, magis tamen tum ingenium Taciti splendet, cum paucis verbis sed quo solet acumine veram cuiusque rei vim aperit, praesertim si quid speciem diversam habet aut nomine appellatur falso,²⁸² aut cum id quod factum narrat, sententia aliqua ex rerum usu similiumque eventorum comparatione ducta illustrat; quarum sententiarum magna est copia, forma plerumque brevissima, veritas mira.²⁸³ Quare cum tanto studio Tacitus tantaque animi intentione in hoc elaboraverit, ut et de hominum et de rerum natura recte et accommodate iudicaret, iniuriam paene ei facere videamur, si illud quoque comprobare velimus in enarrandis rebus gestis pari eum veritatis amore versatum esse atque in aestimandis; nec vero gravior ullus auctor repertus est, qui eum falso professum esse fidem in corruptam et animum ab ira et studio alienum argueret; nam ne ii quidem, qui eum tristi quadam animi inclinatione facilius quam par erat peiora de hominibus credidisse iudicaverunt, certis id et fide dignis argumentis demonstrare potuerunt, quamquam nos quoque fatemur fieri posse ut in nonnullis fortasse rebus iusto severiora sint iudicia Taciti;²⁸⁴ didicerat enim in iis quidem temporibus, in quibus eius historia versatur, si quid non satis exploratum esset, minus saepe errare qui mala quam qui bona crederet; ceterum si qua in realiquando erravit, humanae id naturae im-

274 Memoria digni sunt hi maxime: *Scipio Ammirati, discorsi sopra Tacito*. Flor. 1598. qui liber saepius editus atque etiam in latinum sermonem translatus est. *Malvezzi, discorsi sopra Tacito*. Venet. 1622. *Thomas Gordon, political discourses*. Lond. 1728. qui liber gallice editus est Amstelod. 1742. et germanice hoc titulo: *Die ehre der freyheit der Römer und Britten nach Gordons staatsklugen betrachtungen über den Tacitus*. Nürnberg. 1764. de eo vid. Herder opp. phil. et hist. vol. XIII, p. 196 sqq. qui ib. p. 201. laudat Chr. Forstneri in XVI. libros *Annalium C. Corn. Taciti notas politicas*. Francof. 1662. Doctissimi sunt et maxime congestis locis similibus insignes I. Gruteri *varii discursus; sive prolixiores commentarii ad aliquot insigniora loca Taciti atque Onokandri*. in biblhop. Commelin. 1604. et Lips. 1679. Herder l. c. p. 196 sic scribit: „Nicht leicht hat ein schrifsteller so viele gemüther tiefer an sich gezogen als dieser Römer; wer ihn studirte, ward mit geist und sinn der seine. Daher so viele commentatoren des Tacitus; je redlicher es jemand meinte, je mehr er die politische welt aus eigener erfahrung kennen gelernt hatte, desto mehr liebte er den alten geschichtschreiber und ward gar selbst sein kommentator.“ Adde his placet I. Mariae iudicium, qui de regis instit. lib. II, c. 6. sic ait: *Tacitus — horrida oratione atque spinosa, sed arguta inprimis, magnum rerum thesaurum legens, consilia principum, artes fraudesque aulae. — idoneus auctor, quem nunquam principes, nunquam aulici deponant de manibus, diu noctuque versent.*

275 Ann. III, 52—55.

276 Ann. VI, 22 (16).

277 Ann. VI, 17 (11).

278 Ann. XI, 22.

279 Ann. XIII, 29.

280 Ann. VI, 18 (12).

281 Hist. I, 46.

282 Hist. I, 45. *Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum scelus: inbere iam poterat*. hist. IV, 46. *preces erant, sed quibus contradici non posset*. Ann. IV, 19. *proprium id Tiberio fuit scelera nuper reperta priscis verbis obtegere*. XIV, 21. *pluribus ipsa licentia placebat, ac tamen honesta nomina praetendebant*.

283 Collegit eas Rupert. vol. I. p. XLVI sq.

284 De duobus eius generis exemplis dixi in Encyclop. univ. scient. et art. in vita Othonis p. 342. a. et in vita Paeti Thrascae p. 239. a.

becillitati, non ipsius alicui malo studio tribuendum est, neque locupletioribus testibus convinci potest; certe quam cautus sit vel in tali scelere credendo, quod constanti rumore eoque satis verisimili ferebatur, simul quam ne proprii quidem odii causae eum transversum egerint, unum illud satis docet, quod socerum suum a Domitiano veneno interceptum esse non ausus est affirmare;²⁸⁵ nimirum non fugiebat eum atrociorē semper famam esse erga dominantes; atque etiam in Tiberii rebus curae habuit, ut *claro sub exemplo falsas auditiones depelleret*; qua in re petit ab iis, quorum in manus cura sua venerit, nisi qua incredibilia divulgata sint, ea *avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant*.²⁸⁶ In tanto igitur veritatis studio dubitari non potest, quin in colligenda historiae materia diligentissime et cautissime auctores plurimos conquisiverit eorumque fidem examinaverit, quamquam diserta eius laboris indicia raro deprehendimus; neque enim tamquam umbraticus magister doctrinae suae et assidui studii copias ambitiose explicat, sed praestantissimorum scriptorum exemplo plerumque ibi tantum auctores suos nominatim excitat, ubi ipse de fide eorum dubitans quid verum ac certum esset reperire non potuit, id quod ipse testatur;²⁸⁷ ceterum diligentiae eius testimonium est, quod bis se fecisse profitetur et quod saepe factum esse credibile est, ut ea traderet, quae a reliquis scriptoribus ommissa erant;²⁸⁸ neque enim vulgatis tantum libris utebatur, sed conquirebat etiam privatim materiam non profecto a solo Plinio,²⁸⁹ sed etiam ab aliis, qui rebus gerendis interfuisent; adhibebat praeter

terea monumenta publica, acta diurna,²⁹⁰ acta senatus,²⁹¹ orationes et epistulas principum,²⁹² nec inscriptiones eum neglexisse verisimile est;²⁹³ tum commemorat commentarios Iulii Caesaris,²⁹⁴ Agrippinae Neronis matris ab annalium scriptoribus neglectos,²⁹⁵ et Domitii Corbulonis;²⁹⁶ ex iis autem qui proprie historias scripserant, Aufidium Bassum et Servilium Nonianum haud dubie non neglexit,²⁹⁷ quamquam nusquam eorum testimonio nominatim utitur; sed appellat Plinium maiorem,²⁹⁸ Fabium Rusticum,²⁹⁹ Cluvium Rufum,³⁰⁰ Vipstanum Messallam;³⁰¹ e vetustioribus Sisennam, Sallustium,³⁰² Livium;³⁰³ nec dubitabit quisquam quin multos praeterea libros varii generis in suum usum converterit, quos tum extitisse novimus vel quorum etiam memoria intercidit.³⁰⁴

291 Ann. XV, 74. Plin. VII, 33, 3. *demonstro, quamquam diligentiam tuam fugere non possit, cum sit in publicis actis.*

292 Ann. I, 81. II, 63. V, 2. VI, 12. XI, 24.

293 Ann. XI, 14. hist. IV, 40. Quae *acta publica* dicit XII, 24, videntur acta diurna esse, quibus non minus quam inscriptionibus memoria aucti pomerii continebatur. Etiam Plinius adnotabat inscriptiones; vid. epp. VII, 29, ubi eam refert, quae erat in monumento Pallantis; eandem deinde VIII, 6 illustrat postquam quaevisit S. C. scilicet in actis senatus; eandem memorat Tac. Ann. XII, 53.

294 Germ. 28. Agr. 13.

295 Ann. IV, 53.

296 Ann. XV, 16.

297 Dial. 23.

298 Ann. I, 69. XIII, 20. XV, 53. hist. III, 28.

299 Ann. XIII, 20. XIV, 2. XV, 61. Agr. 10.

300 Ann. XIII, 20. XIV, 2.

301 Hist. III, 25. 28. cf. ib. II, 101.

302 Hist. III, 51. Ann. III, 30. et apud Oros. VII, 10.

303 Agr. 10. cf. Ann. IV, 84.

304 Nonnullos ipse Tacitus commemorat, veluti Cassii Severi famosos libellos Ann. I, 72. IV, 21. Sextii Paconiani carmina in Tiberium Ann. VI, 45 (39). Antistii probrosa carmina in Neronem Ann. XIV, 48. XVI, 14. item Curtii Montani Ann. XVI, 28. 29. Fabricii Ventonensis codicillos Ann. XIV, 50. Neronis probrosorum carmen in Afranium Quintianum Ann. XV, 49. alia Neronis aliorumque carmina, quae se legisse significat Ann. XIV, 16. carmina Domitiani hist. IV, 86. Graviores sunt Crenutii Cordi annales, Ann. IV, 34. Aruleni Rustici de Paeto Thrasaea, Herennii Senecionis de Fulvidio Prisco libri, Agr. 2. Iulii Secundi de ... Asiatico, dial. 14. Senecae

285 Agr. 43.

286 Ann. IV, 11.

287 Ann. XIII, 20. nos *consensum auctorum secuturi, quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus.*

288 Ann. IV, 53. VI, 13 (7).

289 Vid. supra. adn. 46.

290 Ann. III, 3. XIII, 31.

Sed ut praestantissima quoque ingenia habent quosdam virtutis suae terminos, quos excedere vel nequeant vel nolint, ita Taciti quoque ars et diligentia non ad omnia pariter pertinet; nam cum in iis rebus, quae mores hominum et ingenia et civilem vitam spectant, vix quicquam desideraveris, quia in haec praecipuo studio intentus fuit, minus satisfacere potest iis, qui ex uno aliquo rerum genere, quod ipsi reliquis omnibus praeferunt, totum scriptorem aestimant; veluti si quis rerum militarium egregie peritus ad has omne studium converterit, non ille quidem plane imperitum Tacitum iudicare poterit, sed fortasse tamen in hac parte reprehendet eum propterea quod in quibusdam proeliis describendis paulo obscurior est eius oratio nec omnia satis illustrare videtur, ad quae vir militaris animus advertat. Item si quis chronologicae diligentiae imprimis deditus est, accusabit nonnumquam tempora non satis definita aut etiam numeros aliquotiens, si accuratissime calculum subducas, a vero quamvis exiguo discrimine discrepantes; qua in re etsi difficile est dicere quid librariorum erroribus debeat, quid ipsi Tacito imputandum sit, ego tamen huc potius inclino, ut ab eius animi magnitudine leves quosdam errores non abhorere putem quam ut ab librorum optimorum memoria recedam.³⁰⁵ Verum haec atque talia exagitare frigidae cuiusdam et iniquae diligentiae est neque ita quicquam aliud efficietur nisi ut fateamur et hominem fuisse Tacitum nec magnum in iis, in quibus magis necessitati paruit quam suo obsecutus est ingenio.

ultima verba in vulgus edita, Ann. XV, 63. 67. Omitto alios ex Plinio et aliunde notos. cf. *Pruiz*, de fontibus quos in conscribendis rebus inde a Tiberio usque ad mortem Neronis gestis auctores veteres secuti videantur. Hal. 1838.

³⁰⁵ Haec causa est cur ego aliquotiens intactos reliquerim numeros falsos, quos cum alii emendandos statuerunt tum maxime Nipperdelius.

Reliqua est quam supra tertiam feci partem, orationis dignitas et ars compositionis, de qua re facile est dicere, si nihil aliud demonstrare velis nisi hoc unum, quod nemo dubitat, diversum esse dicendi genus Taciti et Ciceronis: ita enim agere plerumque soliti adhuc sunt grammatici, ut Ciceronem tamquam normam ponant et regulam, ad quam reliqui scriptores exigantur, quae autem ab illa regula discrepant, ea ut vitiosa iudicent et aut nondum satis excolta et perpolita aut iam ingruente latinae orationis labe et pernicie infecta et corrupta. Quare haud pauci fuerunt, qui pessime scripsisse Tacitum faterentur, neque illi falso iudicantes, si quidem recte negant cuiquam permittendum ut ab norma illa recedat. Sed quamquam contuitur fere eorum iniusta accusatio, qui soloecum scriptorem et plane de manibus iuvenum excutiendum clamabant,³⁰⁶ haeret tamen adhuc norma illa ita fixa et immota, ut ad eam libri de arte grammatica scripti omnes componantur, e quibus rursus fluunt plerumque de singulis scriptoribus iudicia. Speramus tamen fore ut tandem aliquando excusso illo errore inveterato Romanorum linguam non Ciceronis paucorumque aliorum consuetudine contineri statuamus, a qua quae recedunt tamquam foeda quaedam errorum vitiorumque farago precarium quendam appendicis locum obtineant coniuncta cum poetarum variis licentiis, sed ut quemadmodum populi ita etiam linguae historiae esse intellegamus, in qua temporum diversitas et certis signis indicisque distinguenda et causis suis explicanda est. Iam

³⁰⁶ Vide quae de Raim. Lullo, Alc lato, Ferreto refert Vossius de hist. lat. I, 30. Multus est praeterea in reprehendendo Tacito Caspar Sclopplus, maxime in libro de stilo historico et de historici officio; item Monbodo *von dem ursprunge u. forrgange der sprache, übers. u. abgekürzt von Schmid*, vol. II, p. 340 sqq. Item iniqua sunt de Tacito iudicia Morhofii de pura dict. lat. p. 289 sq. et de Patav. Liv. c. 5. Schurzleischil in *Analectis styli* p. 124.

vero ingens ille animorum motus, quo rei publicae forma commutata est, non potuit non linguae quoque novam faciem induere, quae novis rebus conveniens esset. Itaque cum magnae illius rerum conversionis haec potissimum causa fuerit, quod Graecorum maxime litteris artibusque deleta vetere divinarum humanarumque rerum disciplina et soluto priscorum morum vinculo, quo olim cives constricti tenebantur, ingeniorum libertas ea orta est, ut suo quisque arbitrata suoque comodo vitam agere vellet, non autem in medium conferre et pro rei publicae salute et gloria profundere quicquid quisque vel animi vel corporis viribus valeret, factum est ut cum vita vetere etiam vetus dicendi ars sperneretur; nova autem ars cum proficisceretur ab iisdem illis ingeniis, quae nolebant communi aliquo vinculo et publica norma adstringi sed omnium rerum legem in suo arbitrio ponere, hoc primum insigne habuit, quod non passa est se eius orationis terminis includi, quae proprie *latina* visa erat, et quam magno concordique studio Caesar, Cicero multique alii ita coluerant, ut sine ea eloquentiam veram ac sanam nullam esse posse iudicarent; sed tamquam in libertatem se vindicantes coeperunt oratores pro se quisque ab illo genere desciscere et arbitraria quadam dicendi novitate delectari, quippe in qua sola posset sui quisque acuminis vim ostentare et inauditorum artificiorum copia audientium vel legentium animos allicere; itaque ante omnia numerum oratorium, cuius summus artifex Cicero fuerat, aspernati sunt tamquam aliquem cantus modum uniformem et multo usu iam fere gratia privatum et molestum; eademque opera respuerunt eiusdem Ciceronis artem admirabilem ampliores verborum ambitus apte et numerose iungendi et concludendi, sed incidentes orationem et in minuta frustra dissecantes sententiosum dicendi genus exco-

luerunt, in quo breves et argutae sententiae regnarent rara iunctura ita ut etiam particulac, quibus antea sententiae vinciri solebant, raro usu essent. Praeterea eadem licentia in verborum delectu usi translationum audacia et crebro figurarum usu et verbis multis e poetarum lingua ad prosam orationem tractis, aliis e foro vel schola et declamandi consuetudine petitis, aliis denique vel ad imitationem Graecorum accommodatis vel propria inventionem effectis adeo novum et diversum dicendi genus protulerunt, ut veteris illius latinae orationis rara vestigia superessent. Atque in toto hoc studio tanto diligentius elaborarunt quod soluti civilis vitae negotiis et contentionibus Caesarique permittentes summarum rerum omnium potestatem et curam ac gloriam in vitam eam detrusi erant, in qua nulla magnorum consiliorum facultas esset, nulla animorum generosa elatio, nulla virtutis certamina; proinde inanis vita protulit artem inanem; amissa enim vita, quae materiam arti magnam et animos penitus moventem subiecerat, solutus est praeclarus ille materiae et formae concentus, quo perfecta ars censetur, et relicta una formae cura, in qua materiae electio arbitraria esset et sine affectu, adeo ut vel ineptissima et ab rerum usu remotissima satis placeret, modo formae artificis occasionem praeberet;³⁰⁷ itaque factum est ut nova illa eloquentia non rerum cupiditatem facere studeret sed sui,³⁰⁸ vel ut se quisque cuperet approbare non causam.³⁰⁹ Denique quoniam eloquentiae laus semper in summo pretio fuerat, tota illa industria in declamationes conversa est, quarum post Asinium Pollionem, T. La-

³⁰⁷ Quid quod adeo nullus fuit dignitatis materia prae formae artificio, ut furiosus homo Caligula soleret, *prout stultus censebat*, vel onerare sententia sua reos vel sublevare. Suet. Callig. c. 53.

³⁰⁸ Sen. epist. 52, 14.

³⁰⁹ Votienus Montanus apud M. Sen. contr. lib. IV praef.

bienum et Cassium Severum³¹⁰ tam eminens studium fuit, ut non solum in foro actiones declamandi consuetudine corrumperentur,³¹¹ sed omnia litterarum genera, historia, philosophia atque ipsa etiam poesis in totidem declamationum genera converterentur, adeo ut, quomodo Ovidii olim cum apud Arellium Fuscum declamaret, oratio nihil aliud poterat videri quam solum carmen,³¹² ita Lucani Pharsaliam haud absurde dicas esse declamationem versibus adstrictam. Atque tale quidem fuit illud dicendi genus, quod post rei publicae interitum sub Caesaribus floruit. Sed sicut non defuerunt, qui indignantes triste et saevum servitium aliquo modo libertatem restituere inanemque vitam et necessariam inertiam excutere et aliquem virtuti locum vindicare cuperent, ita etiam reperti sunt, qui inanem illam dicendi facultatem emendare student; qua in re usi sunt diversis rationibus; nam alii ipsam illam artem noviciam retinentes traducere conabantur ad res magnas et severas, ut eloquentia

310 Illi enim cum liberas adhuc rei publicae spiritus retinerent, veterum oratorum more non publice declamabant; de Pollione vid. Sen. exc. contr. IV. praef. p. 412 ed. Bip. de Labieno contr. V. praef. p. 319. *mutabat turpe ac frivola iactationis. Cassius Severus ib. exc. contr. III. praef. inter alia sic dixit p. 398. : assuevi non auditorem spectare sed iudicem; assuevi non mihi respondere sed adversario. non minus devoto supervacua dicere quam contraria: in scholastica quid non supervacuum est cum ipsa supervacua sit? Indicabo tibi affectum meum: cum in foro dico, aliquid ago: cum declamo — videor mihi in somnis laborare.*

311 *Sequitur hoc usque in forum declamatores vitium, ut necessaria desorant, dum speciosa sectantur.* Sen. contr. IV. praef. p. 265. Saepe etiam fiebat, ut quod Petronius ait Sat. I, 2. cum in forum venissent, putarent se in alium terrarum orbem delatos, turpiterque labarent; talia exempla sunt Porcii Latronis ap. Sen. l. c. p. 266. Albutii ib. III. praef. p. 200. Suet. de clar. rhet. c. 6. Cestii Pii ap. Sen. exc. contr. III. praef. p. 399 sq.

312 Sen. contr. 10. §. 21. p. 154. *Praeterea cf. dial. c. 20. exigitur iam ab oratore etiam poeae decor, non Accii aut Pacuvii vetero inquinatus sed ex Horatii et Vergilii et Lucani sacrario prolatus.* Quintil. X, 2, 21 sq.

adhuc rerum vacua impleretur quasi et decoraretur digna aliqua materia; e quo numero sunt philosophi Fabianus Papirius et L. Seneca, e poetis Lucanus et Seneca tragicus, quorum haec erat natura, quae illis temporibus haud dubie multorum fuit, ut animi per se non admodum firmi et constantes ipsa orationis arte et verborum fortitudine quasi impetu quodam in generosos affectus et virtutis amorem extollerentur, laudabili quidem consilio sed effectu exiguo et tam cito evanescente quam ortus erat.³¹³ Alii rursus cum intellegerent in ipso illo orationis genere sedem habere vanitatem et angusti pectoris ambitionem, aut arte omnino abstinentes soli se rerum totos dederunt, ut Plinius maior,³¹⁴ aut reversi ad liberae rei publicae exempla veteres scriptores imitari coeperunt, Ciceronem plerique, nonnulli Sallustium, inani hi quoque conatu,³¹⁵ nisi simul efficeretur, ut quam verbis praeferebant priscam virtutem et severitatem, eandem rebus gerendis exercere possent; hoc autem propositum fuit Plinio et aliis haud dubie pluribus Quintiliani discipulis, qui simul sui seculi et eloquentiam et rei publicae statum damnabant, simul et Ciceronem imitabantur et infinitam principatus vim coerceri volebant; idem Tacito quoque propositum fuisse antequam ad historiam scribendam se contulit, supra demonstravi.³¹⁶ Sed

313 Hinc est, quod *fortia verba*, quae cum irrisione dixerunt Tibull. II, 6, 12. Propert. I, 5, 14. magno in honore sunt apud Senecam; vid. epist. 100, 10. dial. II, 15, 4. et de effectu eiusmodi orationum vid. ep. 108, 7. 12 sqq. hinc est, quod in laude ponitur, si quis quae dicit, sentire videtur; vid. Sen. ep. 75, 3. 100, 11. 115, 1. Quintil. X, 1, 129. XII, 1, 25. 29. Tac. Ann. I, 52. hinc est quod Lucano morienti subitus fortitudinis impetus natus est recitandis versibus; vid. Tac. Ann. XV, 70.

314 Vid. adnot. 1.

315 Ciceronianos intellego et antiquos oratores tales, quos describit Aper dial. c. 23. cf. Quintil. X, 2, 17 sq. ex eo genere sunt auctores orationum Ciceroni suppositarum; Sallustii autem imitator est auctor epp. de rep. ord. et Arrantius, de quo Seneca epist. 114, 17—19.

316 Vid. supra p. VIII. XVI sqq.

cum maturiore aetate relicto oratorio studio, cui ab ineunte aetate deditus fuerat, aliud litterarum genus illustrandum susciperet, non profecto casu quodam aut inconsiderato animi impetu sed certo consilio novum dicendi genus elegit et effinxit, cuius hoc primum proprium erat, quod id ab aequalium consuetudine non minus recedebat quam illud alterum, quo adhuc usus erat; sed in Ciceronis imitatione cum subsistere non liceret, quia is nullum historicis exemplum proposuerat, non unum aliquem alium ex veteribus imitari instituit, sed ut erat natura propensus, inter diversas partes medio quodam itinere incedere, quemadmodum neque a principatu abhorrebat neque a libertate, ita noluit neque veterem neque novam dicendi artem aut totam abicere aut totam retinere,³¹⁷ sed ex utroque genere tertium aliquid composuit, quod utriusque virtutes coniungeret. Quare plurima sunt in eius dicendi genere ex novicio illius seculi more derivata, multa ex veterum ac maxime ex Salustii imitatione petita, multa etiam, id quod tum fieri solebat, ex poetis et maxime ex Virgilio adscita, denique multa ex graecarum litterarum studio traducta; sed omnia haec quamvis diversa et discrepantia ita copulavit inter se et sui ingenii vi perfudit, ut quamvis saepe appareat, unde aliquid sumptum sit, aliud tamen esse appareat, quam unde sumptum est, effecitque, quod Seneca praecepit,³¹⁸ ut adhibita ingenii sui cura et facultate in unum saporem varia illa libamenta confunderet et unum quiddam fieret ex multis, una illud quasi forma percussum, par sibi ubique et constans et aequale.

Iam vero diversa illa et aliunde adscita per se tractare longum est nec plane huius loci, quamquam optandum est, ut qui de Taciti elo-

quentia acturi sunt, diligentius et accuratius illa persequantur et distinguant, quam adhuc factum est.³¹⁹ Sed quid Taciti praeter ipsam illam diversorum libamentorum coniunctionem maxime proprium sit qualisque ea forma sit, qua cuncta percussit, paucis dicendum est. Ac primum quidem orationem necesse est accommodatam esse consilio ei, quod in historia scribenda Tacitus sequi se professus est et de quo supra exposui; in quo cum virtutis studium insigne sit et vitiorum severissima exagitatio, facile apparet non aliud dicendi genus ingenio tam sancto probari potuisse nisi ipsum illud *σεμνόν* vel grave, quod in oratione eius a. 100. habita eximium fuisse scribit Plinius;³²⁰ ac fieri potest, ut illo iam tempore oratio Taciti declinaverit aliquantum a priore consuetudine et colorem quendam duxerit similem ei, qui est in libris paulo ante editis. In gravitate autem illa³²¹ hoc maxime inest, quod rerum dignitatem et magnitudinem non destituit oratio nec est sensuum amplitudine ac severitate inferior; itaque in verborum delectu hoc maxime agit, ut vulgaria et levia devitet; itaque, ut exemplo utar, quoniam graecae voces admixtae afferunt familiaris sermonis similitudinem et levem quandam habent

³¹⁹ Multa plerumque qui adhuc de Taciti stilo scripserunt tribuunt ei, quae non ipsius propria sunt sed dudum Caesarum aetate frequentata. Praeterea Virgillii quoque et Sallustii et Graecorum imitatio casu magis hic illic indicata est quam constanter et de industria observata, nisi quod Kiesslingius in Historiarum editione Virgilianos locos diligenter adnotare coepit; ac tamen ea res nonnumquam magni momenti est; veluti hist. II, 76 ne quis forte putet Muciani orationem non solum rebus sed etiam verbis fere convenire cum ea, quam ipse Mucianus habuerat, sciendum est initium expressum esse ex epistula Mithridatis ap. Sallust. hist. IV, 19. ed. Kritz.

³²⁰ Vid. supra adn. 37.

³²¹ Extat libellus vel Clugit vel potius Bergeri sic inscriptus: *Τὸ σεμνόν in oratione Corn. Taciti ad Plin. L. II. ep. 11. ex Hermogenis disciplina expensum*. Vitemb. 1726. de quo breviter refert Niclas ad Heinzeil fundam. stili p. 220—223. Ceterum Tacitus ipse *gravitatem* operis sui appellat hist. II, 56.

³¹⁷ Vid. adn. 67. et cf. quae Aper praedial. c. 23 extr. et Maternus ib. c. 41 extr.

³¹⁸ Epist. 84, 5—10.

eruditionis ostentationem, ab his Tacitus diligentissime abstinuit.³²² Item non permisit sibi iis dicendi artificii uti, quae legentium animos in se convertere et a rerum ipsarum cogitatione abducere possint, a qua vanitate Tacitus si quis alius alienus est;³²³ documento est quod cum declamatores et scriptores atque etiam poetae sententiosum dicendi genus ita sectarentur, ut eandem sententiam non contenti semel bene dixisse saepius mutata forma repeterent, scilicet ambitiosa argutia ingenii sui admirationem excitantes nulla rerum ipsarum cura, quibus brevius satisfieri poterat,³²⁴ Tacitus quamvis illo artificio exercitissimus tamen unum tantum eius exemplum habet;³²⁵ alibi una cuiusque sententiae forma contentus est neque ea oporose ornata sed simplice et brevissima.³²⁶ Acumen inesse sententiis et descriptio-

nibus eius non nego, sed id tale est, ut in laude ponendum sit; neque enim ludit acumine aut argutiae oblectationem captat, quod ii faciunt, qui magis verborum ornatum serviunt quam rerum veritati; itaque abhorret ab eiusmodi verborum lusibus, quibus creber est L. Seneca, qui saepe totam vim sententiae et diversarum rerum discrimen molesta subtilitate in unius litterae vel syllabae discrepantiam confert varias polyptoti formas frequentans.³²⁷ aut duplicis significationis verba semel posita ita cum aliis iungit, ut in pari iunctura praeter expectationem diversa significatio sit,³²⁸ aut utitur aliis figuris, quae paene per vim lectoris admirationem extorqueant.³²⁹ Talia artificia

322 Platonis verba Ann. VI, 12 (6) non graece posuit; vid. adn. 13; item Tiberii pauca verba graeca latine rettulit Ann. III, 65. Illud magis mirum, quod ne Soteris quidem nomen graeco dicere voluit Ann. XV, 71. Philosophos quoque appellat sapientiae doctores vel professores vel sapientes; vid. hist. IV, 6. 40. Agr. 2. 46. Ann. VI, 28. XVI, 19. 34. XIV, 59. XV, 71. nisi ubi proprie studii genus indicat; vid. hist. III, 81. Agr. 4.

323 Iniustissima est Monboddonis accusatio vol. II, p. 342. ed. Germ., cui salebrosa videbatur et obscura oratio Taciti, ad quam intellegendam necesse sit verba magis advertere quam res; scilicet ne sic quidem verba Taciti satis intellexit, idque sua culpa, non Taciti; vid. p. 350.

324 Id vitium Scaurus in Ovidio, M. Seneca in Votieno Montano, Fronto in L. Seneca et Lucano notavit; vid. Sen. controv. IV, 28. p. 307 et 308. Fronto de oratt. p. 124 sqq. ed. Berol. in Velleio ego notavi, Allg. Lit. Z. 1837. Nr. 109, p. 202, et deinde Kritiz in prolegg. ad Vell. p. LV sqq. Rara sunt apud veteres exempla, ut C. Graechi ap. Gell. XI, 10, 2. Cic. de Rep. I, 4, 7. quamquam nostri casus plus honoris habuerunt quam gloriae, neque tantum molestiae quantum gloriae, maioremque laetitiam ex desiderio bonorum percipimus quam ex laetitia improborum dolorem.

325 Ann. VI, 38 (32). L. Vitellius — regendis provinciis prisca virtute egit: unde regressus et — iurpe in servitium mutatus exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur, cesseruntque prima postremis et bona iuventae senecius flagitiosa obliteravit.

326 Vid. adn. 269.

327 De exemplis plurimis ponam pauca speciminis causa: Ep. 78, 17. *brevis morbus ut praeceps alterutrum faciet: aut exstinguetur aut exstinguet. quid autem interest non sit an non sim?* Ep. 9, 7. *hoc interest inter eum, qui amicum paravit et qui parat. — artificii incunius pingere est quam pinxisse.* Ep. 120, 6. *eiusdem animi fuit auro non vinci, veneno non vincere.* Ep. 79, 6. *inventuris inventa non obstant.* Ep. 98, 11. *habere eripitur, habuisse nunquam.* benef. I, 9, 4. *nemo uorem duxit nisi qui abduxit.* ib. V, 25, 3. *magis tempestive repetendum est beneficium quam petendum.* Ep. 24, 20. *tunc ad mortem pervenimus, sed diu venimus.* Ep. 49, 10. *effice ut ego mortem non fugiam, vitam non effugiat.* Ep. 27, 7. *stultorum divitum adrosor et, quod sequitur, adrosor, et, quod duobus his adiunctum est, derisor.* Ep. 88, 44. *Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit.*

328 Ep. 94, 66. *Marinus exercitus, Marium ambitio ducebat.* dial. II, 2, 3. *Caioni in putas iniuriam feri potuisse a populo, quod aut praeturam illi detraxit aut togam?* dial. VI, 3, 2. *ut primum intulit tumulo (Drusum), simul et illum et dolorem suum posuit.* dial. I, 3, 19. *de morte disputavit saepe ad ipsam.* dial. VI, 16, 4. *acerbam mortem filii tam magno animo tulit, quam ipse leges tulit.* Ep. 70, 17. *quemadmodum sus finis venit in mentem omnia sine fine concupiscentibus?* Ep. 82, 21. *vita potius quam loco cedere.*

329 Veluti de antimetabole, de qua figura dixi in prooem. Ind. lect. univ. Vratisl. acct. 1862. p. 10. ad dial. III, 18, 1. cf. illa dial. II, 2, 3. *neque enim Cato post libertatem rixit neque libertas post Catonem.* Ep. 81, 29. *non enim quia concupiscenda sunt, laudantur, sed concupiscuntur quia laudata sunt: et cum singulorum error publicum fecerit, singulorum errorem facit publicum.* Ep. 94, 7. *optimam doloris esse naturam, quod non potest nec qui extenditur, magnus esse, nec qui est*

apud Tacitum nulla reperias; neque hoc dico, figurarum eum usu plane abstinuisse, sed usus iis est ut virum gravem decebat, quo maiorem rebus vim adderet, non ut circa res ludibundus suam argutiam in conspectum daret; quo fit ut sententiae eius et figurata oratio non frigeant, sed ipsum legentis animum veritatis vi permoveant; veritatem autem fieri non poterat quin quasi armata acumine produceret, ne aut dubitatio relinqueretur aut prave factis excusatio et effugium. Quare vituperari non debet quod saepe contraria ita inter se iungit, ut vel oxymori figura oriatur vel in epigrammatis modum aculeata sit oratio; non enim potest saepe vera rerum natura aliter aperiri, nisi ut quae in iis sit repugnantia perspicue significetur, atque id videtur aptius et gravius fieri in Taciti brevitate, quae eandem repugnantiam plane ad vivum expressam ante oculos ponit, quam si idem pluribus verbis enarretur. Veluti quod de mathematicis scribit hist. I, c. 22: *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et velabitur semper et retinebitur*, non debebat reprehendi quasi generosa simplicitate destitutum; neque enim generosior erit oratio, verum haud paulo languidior, si dixeris: *quod quamvis vetetur semper, tamen semper retinebitur*. Simili arte in eadem re usus est Ann. XII, 52. *de mathematicis Italia pellendis factum S. C. atrox et irritum*. Nec magis reprehendi debuit ille de Galba locus hist. I, c. 49. *maior privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset*. Neque enim vitiosa oratio videri potest, quae rem ita ut est exprimit.³³⁰ Ceterum est eius artis longe

magnus, extendi. Ep. 104, 26. *non quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt*. Unum simile ap. Tac. hist. II, 37. *neque Paulinum sperasse tantam vulgi moderationem reor, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate dederent*.

³³⁰ Nominatim illos locos reprehendit Mon-

crebrior usus in Historiis quam in Annalibus.

Illud praeterea insigne est in Tacito, quod enunciationum membra pari loco et dignitate posita non facit forma aequalia sed quaerit etiam inaequalitatem; quae consuetudo quamquam a Ciceronis usu discrepat, Taciti aetate ad gravitatem dicendi aptissima erat atque etiam necessaria, postquam desierant Romani numeris Ciceronis delectari et arte illa placida et tranquilla acquiescere, qua sententiae tamquam aedificii partes structura et ornatu pari inter se convenientes componi solebant; molestum enim videbatur et taedium plenum, si aequalitatis regula observata ex antecedente sententiae membro mente praecipere poterat sequentis membri forma; atque ipse etiam scriptor cavere debebat, ne quae partes orationis expectatione praesumptae nimis neglegerentur aut fastidium crearent toti orationi periculosum; itaque Tacitus inaequalitate membrorum providet ne quid impatientia legentium pereat, idque non solum sine sensus detrimento facit, sed eadem opera plerumque subtiliter aliquid rerum discrimen indicat, quod servata membrorum aequalitate adverti non poterat.³³¹

Sed nihil magis, nihil frequentius in Tacito reprehensum est quam obscuritas et nimia brevitatis; videtur autem tota haec criminatio e-

boddo p. 353. Similia haud pauca reperiuntur, veluti illud hist. III, 32 extr. *tamquam signum incendendae Crimoniae dedisset, quae iam flagrabat*. cf. Ann. II, 41, 52. hist. I, 36. *omnia serviliter pro dominatione*. hist. II, 60. III, 58, I, 88 extr. *per incerta tutissimi*, quod comparandum est cum illo Thucydides IV, 18. *οὐκ εἰς ἀγὰθὰ ἐς ἀμφοτέρων ἀσφαλῶς εἶθ' ἐν τοῖς*. nam hunc quoque oxymoro uti demonstravi in Lucubratt. Thucyd. p. 82 sqq.

³³¹ Similiter in iis, qui nulla incisa interponunt sed omnia periculis concludunt, ait Demetr. π. ἐρμην. c. 15. *οἱ ἀκούοντες ναυτιῶσι διὰ τὸ ἀπίθανον, τοῖς δὲ καὶ ἐκρωνοῦσι τὰ τέλη τῶν περιόδων προειδότες καὶ προαναβροῶσι*. cf. Aquila Rom. de figg. c. 19. De toto illo genere inaequalitatis primus diligenter egit Roth ad Tac. Agr. Exc. XXXIII, pag. 276 sqq.

nimia Ciceronianae linguae admiratione fluxisse; neque recusamus quominus cuiquam vel Caesaris emendata et elegans perspicuitas vel Livii lactea ubertas praeferenda videatur; Tacito vero cum indignum esset nihil aliud quam vetera exempla diversis temporibus imitatione exprimere, non minus quam oratori novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus erat, per quae fastidium aurium effugeret³³² et delicatis hominum iudiciis satisfaceret, qui in antiquitate nihil magis asperrantur quam lentitudinem et teporem et veterum; quare ut artificii noviciis abstinerebat, quae ex oratorum vanitate orta et ad voluptatem audientium comparata a sanctitate et severitate ipsius abhorrebant, ita in antiquorum imitatione ea diligenter devitavit, quae sua quidem aetate orationis gravitati nocerent. Hinc est, quod cum in universum Sallustii maxime exemplum secutus est, quippe qui omnium iudicio orationis gravitate maxime excelleret, tum nihil eius magis expressit, quam *immortalem illam velocitatem et brevitem*,³³³ qua ille maxime in descriptionibus usus erat; nec vero ut imitator in iis, quae sequebatur, modum excessisse putandus est,³³⁴ sed ut homo ingeniosus illius exempli arte nutritus dicendi genus novum effinxit, quod certis regulis descriptum suum in se habet modum nativamque et constantem proprietatem. De qua sperandum est aequiora hominum iudicia fore, quanto magis cognitum et demonstratum erit, non libidine quadam et fluctuante arbitrio modo hoc modo illud omittere Tacitum, quod ad legitimam orationis formam requirebatur, sed certas esse eum et constantes leges

³³² Dial. c. 19.

³³³ Quintil. X, 1, 102. cf. ib. §. 32. IV, 2, 45.

³³⁴ Iniqua haec est Monboddonis criminatio, in qua hoc unum recte intellexit, a Sallustii potissimum exemplo repetendam esse brevitem et velocitatem Taciti.

secutum, longe illas diversas ab iis, quas e Ciceroniani aevi usu petitas plerique solas norant, qui Taciti obscuritatem et brevitem damnaverunt. Nam quae frequentissima querendi causa est, quod saepissime desunt aut particulae, quibus sententiarum vel verborum iunctura indicetur, aut quod verbum *esse* et alia, quae ad eius sensum prope accedunt, non adiecta sunt, non credendum est haec sine regula aut poni aut omitti, neque hoc fuit Taciti studium, ut orationem abruptam faceret et amputatis sententiis legentium expectationem falleret; sed brevitate hac una usus est, quae et aetatis suae consuetudine permixta erat, et quae rerum gravitati recte exprimendae conveniebat, neque alias orationis partes praetermisit nisi quae omisae nullum sententiae damnum, positae nullam vim aut etiam languorem illaturae erant. Neque numero caret eius oratio,³³⁵ sed is quoque alius est quam Ciceronianus; nam etiam periodos si quando admittit, longe diversas struit, frequente et multiplici participiorum usu, raris particulis et sententiis interpositis, neque tamen deest varietas et summa est in iungendis et discernendis iis quae gravitate eminent et quae secundaria ad illa explicanda et describenda accedunt diligentia et perspicuitas; cuius rei illustre exemplum est Ann. I, 2, ubi una sententia describit quomodo Augustus ad principatum pervenerit eumque nullo adversante retinere potuerit.

Sed haec atque reliqua omnia quae ad eloquentiam Taciti pertinent quoniam non possunt hoc loco singulatim enarrari, illud in summa dixisse sufficit, esse orationem eius gravitate plane admirandam et illius animi magnitudinis plenam, quae insignis est in Tacito, eandem in summa brevitate illustrem et

³³⁵ Recte Wolfio ad Ann. I, 1. Tacitus audit hic tantus masculorum numerorum artifex.

alacrem, suis legibus constantem, arte vero et diligentia eximia elaboratam et pro rerum diversitate variam, sententiis et figuris ornatam et distinctam, acumine insignem, nullis tamen eiusmodi artificiis oneratam, quae a rerum cogitatione legentium animos abducant, sed severam et compositam, quae denique generosum et prudentem scriptoris animum et testetur et commendet.

Denique sicut in singulis sententiis rerum verborumque ordo praeclarus est, ita etiam maiores partes facile animadvertimus summa arte esse ex temporum ordine et pro rerum natura per libros digestas. Nam quod Thucydidis et aliorum multorum exemplo formam annalium qui proprie dicuntur hactenus retinuit Tacitus, ut in suum quamque rem annum referret, id quod sibi destinatum esse ipse testatur Ann. IV, 71. — neque id minus fecit in Historiis quam in Annalibus — non credendum est arti scriptoris diligentiam eam officere; neque enim discerpit materiam sed ordinat, neque annorum descriptionem ita pro summa lege habet, ut non diligentius etiam eum ordinem observet, qui rebus ipsis inest. Quo fit, ut librorum finem saepe non in anni fine constituat sed in eo rerum gestarum articulo, in quo acquiescere narrationem par erat. Itaque ne de Historiis dicam, quarum qui supersunt libri ob nimiam rerum molem singularem rationem habent, in Annalibus librum XI in Messalinae, XIV in Octaviae morte, XV in oppressa coniuratione Pisoniana terminavit; item librum V in Seiani, VI in Tiberii exitu finitos esse probabile est; vid. adn. 350. Praeterea ubi annorum separatio importune rebus interventura erat, aut tamquam in parenthesi novos consules commemorat (III, 2), aut duorum atque etiam plurium annorum res coniungit (VI, 44. XIII, 9. XII, 40), aut ubi id commode fieri non potuit,

certe brevi sequentium mentione interposita efficit, ut quae tempore locisque disiuncta sunt, cogitatione tamen et memoria facile coniungi queant (I, 58. IV, 31. VI, 28. 54. XI, 5). Proinde quamquam materiae genera saepe mutanda sunt, dum modo res domesticae persequitur, modo bella in provinciis gesta aliasque res externas enarrat, non tamen aut nimis diu in uno genere moratur aut nimis festinanter ad diversa transiit, eoque modo et taedium legentium devitat nec exspectantes subito destituit, sed efficit ut suspensio semper et attento animo sequantur; atque ita per varias partes prudenter et electas et dispositas absolvit universam illam servitutis memoriam, admirabile opus et unum, cuius et totius quae summa sit et quae prima partitio, supra exposui p. XXIII sqq.

Restat hoc unum, ut qua fortuna Taciti opera per tot secula usa sint, paucis commemorem. Atque inter eiusdem quidem aetatis homines quale de iis iudicium fuerit, nullo testimonio cognoscimus; coniectura autem haud improbabilis sit non potuisse admodum placere illi aetati tam acerbam et severam virtutem; ac Tacitus ipse indicare videtur haud paucos historiarum suarum reprehensores extitisse;³³⁶ itaque iam tum raros fuisse credibile est, qui tantam praestantiam intellegent et recte aestimarent; sequentibus vero temporibus cum Frontones regnarent et servilis priscorum scriptorum imitatio ingrueret et tanquam effeta Romana civitate fertilis ingenii gloria ad provinciales homines transiret, denique historicis, si unum Ammianum Marcellinum, graecum hominem, excipias, tam imminuta mens esset ut et Suetonium sibi tamquam summum exemplum proponerent³³⁷

³³⁶ Ann. IV, 33. cf. adnot. 70.

³³⁷ Flav. Vopisc. in Probo c. 2. et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Li-

et ne in hac quidem imitatione felices essent, facile existimabimus gloriam quidem Taciti et nomen non intercidisse sed defecisse intellectum et studium, ut magni viri opera tamquam alieni seculi bona e longinquo venerarentur, raro ipsi attingerent. Quare mirum non est quod tam paucis exemplis vulgata sunt, ut post unum et dimidium seculum M. Claudius Tacitus imperator cavendum putaverit, *ne lectorum incuria deperirent*; itaque decies ea per annos singulos scribi et in bibliothecis poni inssit una cum Taciti effigie.³³⁸ Qui id narrat Flavius Vopiscus in hac re *Cornelium Tacitum scriptorem historiae Augustae* appellat eiusque opera singulari numero usus non *libros* sed *librum* appellat, unde manifestum est, nisi id antea iam factum erat, illo certe tempore in unum coniunctos esse Annalium Historiarumque libros, ut unam Historiae Augustae opus efficerent; et verisimile admodum est eodem tempore imperiti alicuius librarii consilio, cum una inscriptione utrumque opus comprehendendum esset, continuato librorum numero inscriptos esse *Actorum diurnalium historiae Augustae libros XXX*; atque tale volumen postea constat Hieronymum vidisse, quippe qui in comment. in Zachariam c. 3, 14 de Tacito dicat: *qui post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta voluminibus exaravit*; tale denique volumen illud quoque fuerit necesse est, unde qui nunc supersunt codices mss. omnes fluxerunt, excepto, ut videtur, uno illo, quo primi sex Annalium libri continentur, in quo id ex librorum

vios, Tacitos, Trogos atque omnes disertissimos imitaret viros in vita principum et temporibus disserendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargilium Martialem, Iulium Capitolinum, Aelium Lampridium ceterosque, qui haec et talia non tam diserte quam vere memoriae tradiderunt. Idem in Aureliano c. 2 exempli causa rursus Livium, Sallustium, Cornelium Tacitum, Trogum commemorat.

³³⁸ Flav. Vopisc. in Tacito c. 10.

numeris intellegi non potest, inscriptionem certe, quam is nullam habet, aliam fuisse probabile est, ut supra p. XXII demonstravi. Reliqui autem codices omnes, qui postremos Annalium libros et Historias continent, librorum utriusque operis numeros continuant; inscriptionem unum vetus codex nullam habet, scilicet casu omissam, ut deinde diligentius pingeretur a rubricatore; reliqui libri recentiores habent plerique illam quam dixi, quae quamquam est ineptissima et mirum quantum a Taciti mente abhorrens, simul tamen ita docta est et ita digna insulso ingenio alicuius vel librarii vel bibliothecarii, qui Tacito imperatori operam fecit, ut non debeat medio aevo ficta videri.³³⁹ Ceterum ut verisimile est huic imperatoris curae libros illos deberi, ita nec multa eius iussu exempla scribi potuerunt, quia ipse sex menses tantum, frater Florianus duos regnavit, nec statim deleta sunt eius generis vetustiora exempla, in quibus separatim habebantur Annales et Historiae; nam et Tertullianum videmus distinctis utriusque operis libris locum proferre ex quinto Historiarum libro, qui est in Actorum diurnalium historiae Augustae corpore vigesimus primus, et satis probabile est Orosium solas Historias, Severum Sulpicium solos Annales habuisse;³⁴⁰ denique ipse codex Corbeiensis videtur ex illo vetustiore genere codicum esse. Sed etiamsi multos annos regnasset Claudius Tacitus, non tamen potuisset effici potuit, ut repugnante seculorum natura delectabilis scriptor fieret Cornelius Tacitus; pauci eum cum laude memorant,³⁴¹ Cassio-

³³⁹ Cf. supra adn. 261. Illud unum mibi medio aevo fictum videtur, quod in nonnullis libris est *Actionum pro Actorum*.

³⁴⁰ Vid. supra adn. 90. et de Orosio et Severo Sulpicio Ritteri prolog. p. XXXIII sq.

³⁴¹ Praeter Tertullianum, Flavianum Vopiscum, Orosium, Iornandem, quem supra p. XXII indicavi, praedicat eum Sidon. Apollin. carm. II, 192. XXIII, 154. epist. IV, 14 et 22. Prae-

dorus ut paene ignotum appellat *quendam Cornelium*,³⁴² grammatici plane ignorant;³⁴³ nec deinde per medium aevum ulla est eius memoria ne apud eos quidem, qui multorum veterum librorum notitia excellunt, veluti apud Vincentium Bellovacensem, Bartholomaeum Anglicum, Walterum Burleium, alios; nam quod eum nomine tenentur Freculphus et Ioannes Sarisberiensis, Orosio debent.³⁴⁴ Unus tamen fuit monachus Fuldensis Ruodolfus, mortuus a. 863, qui in parte ea Annalium Fuldensium, quam ipse scripsit, ab a. 838 usque ad a. 863 pertinentem, Visurgis nomen testatur se nosse ex „Cornelio Tacito scriptore rerum a Romanis in ea gente gestarum,“ indicans haud dubie Annalium libros I et II, in quibus solis id nomen legitur; hic igitur codicem aliquem horum librorum viderit necesse est, et quidem talem, qui inscriptione careret; aliter enim non bene intellegitur, cur non hanc potius posuerit, quam verba illa, quibus parum accurate exiguum totius operis particulam indicat. Quare cum unus omnino vetus codex extet, qui priores sex Annalium libros comprehendat, isque repertus sit in monasterio Corbeiensi, facile conicias hoc ipso codice Ruodolfum usum esse sive Corbeiae sive Fuldae; constat enim ut ipsos monachos ita saepe etiam libros inter haec et alia monasteria commea-

terea conicit Ritter proll. p. XXX sqq. usos esse Taciti libris Eumenium, Aurelium Victorem, Paulinum Nolanum, de quibus incerta res est.

³⁴² Cassiod. Var. V, 2. ubi de succini origine ex Tac. Germ. 45 refertur. Cornelium Nepotem intellegi male credidit Freudenberg in Quaest. histor. in Corn. Nep. part. II. p. 15 sq. sicuti apud Iornandem quoque, qui item uno nomine Cornelium appellat Annallium scriptorem, proferens locum ex Agr. c. 11 et 12, fuerunt olim qui Cornelium Nepotem intellegent.

³⁴³ Exciplendus tamen schollasta ad Iuven. II, 99 et ad XIV, 102, utroque loco Historiis usus; altero appellat Cornelium uno nomine; idem ad sat. V, 36 nam ante oculos habuerit Ann. XVI extr. incertum est.

³⁴⁴ Vid. Ritteri prolegg. p. XXXVI sq.

se; atque ita ego statuo, si credere licet codicem Corbeiensem iam seculo IX ante Ruodolfi aetatem extitisse; at eum Bandinius undecimo, Massmannus et Keilius (praef. ad Plin. epp. p. V.) decimo seculo scriptum esse iudicant, de qua re nos decernere non audemus, qui codicem non novimus nisi ex paucis lineis amici manu fideliter representatis; itaque si illi recte iudicant, superest ut Fuldensem aliquem codicem extitisse censeamus, qui perierit, postquam Corbeiensis ex eo descriptus erat; certe causa nulla est, cur hunc ipsum Corbeiensem librum potius Fuldensem fuisse et Fulda ablatum suspicemur.³⁴⁵ Nam illud quidem constat, Corbeiae fuisse cum a. 1513, cum est in Italiam auctus; atque iam multo ante cum Poggius vel vi vel gratis per monachum quendam Hersfeldensem pecuniam egentem volumen aliquod Taciti ex aliquo Germaniae monasterio se adepturum speraret, de qua re complures sunt eius epistolae inter a. 1425 et 1428 scriptae, nihil impedit quominus de eodem Corbeiensi volumine actum esse credamus; ³⁴⁶ postea vero librum praestantissimum furto ablatum esse Corbeiensi monasterio, ipse testatur Leo X, pontifex maximus, qui eum per plures manus ad se delatum dicit et Corbeiensibus exemplum editionis ex illo codice expressae magnifice ligatum ac praeterea etiam indulgentiam perpetuam misit, ³⁴⁷ consolans scilicet furtum,

³⁴⁵ Id frustra contendit Ritter in prolegg. p. XXXVII sqq.

³⁴⁶ Locos ex Poggii epistulis post Bandinium collegit Ritter l. c. p. XXXIX sqq. ac fuisse tum magnam in Italia librorum Corbeiensium famam ipsa illa Poggii epistula satis declarat, qua spem Nicolai de iis minuire studet. Ceterum in toto illo negotio fraudem aliquam versatam esse et Poggii ipsius et fortasse etiam monachi Hersfeldensis, neminem fugit.

³⁴⁷ Epistolam Leonis protulit Bayle in diction. v. Leo; verba haec sunt: „De quo etiam dilecti filii Abbas et Conventus Monasterii Corwienensis Ordinis S. Benedicti Paderbornensis dioeceseos nostri dilectissimi pos-

cuius idem et fructu delectabatur, et occasionem praebuerat; Beroaldus enim in ea editione, quam Leone iubente curaverat, ad ipsum scribit haec: *Age vero quanta hoc ipsum laude dignum est, quod prope modum praeconis voce ingentia praemia indagatoribus librorum proposuisti, si quos libros vetustas nobis invidit, alicunde e latibus eduxissent? Quae venatio Cornelii Taciti hos primos quinque libros, qui per longum seculorum ambitum latuerant, in saltibus Germaniae invenit. Quam tu praedam ad te allatam ac magna mercede comparatam non velut aliqua librorum sepultura occultasti sed tamquam verus omnium pater utilitati omnium consultum esse voluisti.* In venatione autem illa et in furto quae partes fuerint Quaestoris cuiusdam Pontificii, quem scribit Beatus Rhenanus³⁴⁸ e Dania redeuntem reperisse codicem in Corbeiensis bibliotheca et detulisse secum Romam ad Leonem X. et ab illo quingentos ducatos accepisse, item num ille Quaestor fuerit Ioannes Angelus Arcemboldus Mediolanensis, cum Tezelio tum indulgentias pretio vendens, aut quis alius rem gesserit, plano ignoratur.³⁴⁹ Certe postquam codex Cor-

sunt esse testes, ex quorum Bibliotheca cum primi quinque libri Historiae Augustae Cornelii Taciti, qui desiderabantur, furto subtracti fuissent, illique per multas manus ad nostras tandem pervenissent, nos recognitos prius eosdem quinque libros et correctos a viris praedictis literatis in nostra Curia existentibus cum aliis Cornelii praedicti operibus, quae extabant, nostro sumptu imprimi fecimus. Deinde vero, re comperta, unum ex voluminibus dicti Cornelii, ut praemittitur, correctum et impressum, ac etiam non inordinate ligatum, ad dictos Abbatem et Conventum Monasterii Corviensis remisimus, quod in eorum Bibliotheca loco subtracti reponere possent. Et ut cognoscerent ex ea subtractione potius eis commodum quam incommodum ortum, misimus eisdem pro Ecclesia Monasterii eorum indulgentiam perpetuam.³⁵⁰ Cf. Vogel, Serap. VII, p. 294.

348 in adnot. ad Ann. IV, 43. pag. 125.

349 Arcimboldi nomen Ernestium primum in hac re posuisse, missum autem illum esse exeunte anno 1514 et e Dania demum circa a. 1518 vel 1519 rediisse, cum codicem ipsum iam a. 1513 aut certe 1514 Romam pervenisse constet, monuit Ritter p. XLIII sq. Mihi ali-

beja Romam avectus est, traditus primum est Francisco de Soderinis Cardinali, et deinde privatae Leonis bibliothecae illatus, quam ille iam Cardinalis magno studio colligere coeperat, denique a Clemente VII cum illa Florentiam traductus, ubi nunc quoque servatur in bibl. Laurentiana vel Medicea Plut. LXVIII. cod. I. Est autem is liber perspicue et satis emendate scriptus, nec ullo graviore damno affectus; nam lacuna illa, quae est post lib. V, c. 5, fuerat iam in eo codice, unde hic transscriptus est; dicebatur autem olim quinque libros Annalium continere, donec primus Lipsius animadvertit, ultimam partem sexti libri esse; sed eum quoque erravisse, cum posuit sexti libri initium non in ipsa illa lacuna sed in lib. VI cap. 7. nuper demum a me animadversum est.³⁵⁰ Postremos Annalium libros et Historiarum quae supersunt cum Apuleii libris de magia, metamorphoseon et Floridorum continet vetus unus codex ms. qui item est Florentiae in eadem bibliotheca Plut. LXVIII. cod. II. membran. inscriptione carens, seculo XI scriptura Longobardica in Casinensi, ut videtur, monasterio³⁵¹ exaratus, vitiis multo pluribus oblitus quam Corbeiensis, inter quae sunt etiam scholia e margine in ipsam Taciti orationem illata, par-

quando princeps Gustavus de Hohenlohe-Schillingsfürst, vir humanissimus, in cuius familia hereditarium est Corbeiae dominium, cum el ipsum primum Annalium librum enarrarem, testatus est nunc quoque Corbeiae famam ferri, Taciti codicem esse in dolio occultatum et ita noctu per furtum ablatum.

350 Exposul de ea re in Philologo vol. III, p. 152 sq. et secuti me sunt Halmus et Nipperdelius; Ritter vero Lipsii errorem frustra defendere maluit.

351 Vid. Kell, Observatt. crit. in Cat. et Varr. p. 77. cui fidem habeo propterea quod ipse scripturae similitudinem comparare potuit. Ritter prolegg. p. XLV. infelici industria testimonium petivit e Chronico Casinensi, in quo quod abbate Dionysio inter alios libros scripta narratur *historia Cornelii cum Omero*, non est illa Cornelii Taciti sed Nepotis quae ferebatur sive Daretis historia de bello Troiano.

tim illa iam olim, partim a nobis expulsa, nonnulla fortasse nondum animadversa; de aliis dubitatur; addita illa esse ab homine christiano post sec. VII, ex eo intelligitur, quod crebra sunt in Iudaeorum rebus hist. lib. V. et quod unum ex Isidoro petitum hist. II, c. 98. Eorundem librorum plusquam triginta codices recentiores numerantur, quorum nullus videtur ante a. 1400 scriptus, plerique nondum satis explorati sunt;³⁵² nec dubium quin pars eorum fluxerit ex ipso illo Mediceo, non tamen crediderim omnes, si quidem vera sunt illa, quae supra de inscriptione dixi; accedunt inter magnam et inutilem discrepantium scripturarum farraginem, quae ex errore vel negligentia et inscitia aut prava emendatione ortae sunt, nonnullae, quas vix credas talem originem habere; quare mihi verisimilius est partem codicum derivatam esse ex codice admodum simili Mediceo sed tamen alio, ut eos, de quibus id demonstratum fuerit, in subsidium nonnumquam advocare liceat, praecipua tamen et prima auctoritas Mediceo tribuatur.

Difficilior res est in minoribus Taciti libris, quorum nullus extat codex vetustus; atque in Agricola tanta est etiam recentiorum paucitas, ut de nullo constet praeter duos Vaticanos seculo XV scriptos, quorum alter multa habet imperiti et negligentis librarii vestigia, alter longe emendatior est a manu Pomponii Laeti; hunc non quidem ex illo sed ex eius simili fluxisse probabile est, qui periit. Tertium vero aliquem librum fuisse, ex quo Pomponius in margine et supra lineas nonnulla adiecit, et quartum, e quo Fulvius Ursinus quasdam scripturas protulisse creditur, e quidem animum inducere non possum. Pu-

³⁵² Quod Kell scripsit in Mus. Rhénan. philol. vol. VI. a. 1848. p. 145. exempla ex vetere codice transcripta esse iam seculo XII, id non videtur ad Tacitum, sed ad solum Apuleium pertinere.

teolanum denique ne codice diverso aliquo usum esse credamus, Wexii opera effectum est.³⁵³

Germaniae codices plus quam viginti³⁵⁴ noti et plerique collati sunt, recentiores omnes, inter quos non dicam integritate eximii sed certe vitiis aliquanto minus depravati sunt Perizonianus et qui sunt ei maxime similes; Perizonianus scriptus est manu Ioviani Pontani a. 1460, Germaniam una cum dialogo et cum Suetonii de grammaticis et rhetoribus libellis continens; ac Pontanus quidem magna cura et diligentia expressit exemplum id, quod ipse testatur tempore Nicolai V. pont. max. allatum esse ab Eno Asculano, qui conquirendorum librorum causa in Galliam et inde in Germaniam profectus erat; sed id non dixit vetustate excellere; mendosum esse bis conqueritur; accedit quod mendae ipsae et scribendi consuetudo non sunt eiusmodi, ut seculi IX. fuisse aut simile Corbeiensi Annalium credi possit; quare nimius est in fingendo Ritterus, qui quoniam constat eundem Ruodolfum, Fuldensem, de quo supra dictum, a. 863 in conscribenda Translatione S. Alexandri aliquo Germaniae codice usum esse, opinatus est ipsum hoc Ruodolfi exemplum Fuldense ab Eno Asculano Romam delatum et a Pontano fideliter expressum esse.

Dialogi denique pauci codd. mss. extant et hi quoque omnes recentiores, quos verisimile est nullum

³⁵³ Vereor tamen ne saepe allquanto quam nunc Wexium secuti fecimus, ipsa illa inscitia alterius librarii praefenda sit Pomponii Laeti scientiae, quae multo maior est quam fides; veluti Agr. c. 9. in illis: *credunt plerique militaribus ingenii subtilitatem deesse*, et c. 42. *nec Agricolae consilium deerat*, deterior ille codex habet *adesse* et *aderat*, unde concitas potius *abesse* et *aberat* scribendum, scilicet usu paulo rariore et minus trito; pariter legitur et sine discrepantia c. 12. *quidam artem abesse legentibus arbitrantur*.

³⁵⁴ Ad undeviginti illos, quos Massmannus et Tagmannus recensuerunt, accedit Grimmonsensis unus, qui Weichert fuit, et Middlehillensis ille, de quo vid. Pertz, Archiv. vol. IX, p. 501.

alium fontem habere nisi exemplum illud ab Enoc Asculano in Italiam allatum; de Germaniae codicibus ne idem existimemus, obstat si non aetas eorum et numerus, at certe scripturae discrepantia magna et varia.

Editionum indices repetere parum utile arbitror; illud in univ-ersum dicere sufficit post immortalia I. Lipsii merita cum Curtius Pichena, Th. Ryckius, alii minoribus gradibus in emendandis et explicandis Taciti operibus proficerent, editiones a Gronovii primum institutas et auctas, deinde ab Ernestio, Wolfio, Oberlino, Bekkero repetitas et locupletatas et correctas complecti fere plurima et optima, quae a prioribus collata erant; maiore mole idem consilium secutus Rupertus, cum Waltherus maxime in colligendis copiis criticis diligens fuisse; Bachius, Kiesslingius, Doederleinus, Duebnerus editiones adnotatione apte et utiliter selecta instruxerunt; nunc vero postquam Orellii consilio, opera Baiteri Florentini codices veteres denuo et accuratissime excussi itemque ab aliis minorum librorum codices diligentissime conquisiti et examinati sunt, nisi quid in sperati auxilii emergat prompta fere esse et parata videntur, quae nobis ad emendandos Taciti libros adiumenta antiquitus tradita suppetunt, ut angustioribus iam et certioribus finibus divinandi audacia coercenda sit, qua quamquam ne nunc quidem careri potest in iis maxime libris, qui non Corbeiensi codice continentur, plus aliquanto operae ponendum erit et in rebus cognoscendis, quas Tacitus tradidit, et in linguae Taciti eloquentiaeque legibus explicandis; atque in illo quidem genere multum

profutura speramus quae nunc cum maxime vigent studia epigraphica, in altero vero hoc post Rothii utilissimam diligentiam optandum est ut simul adhibeatur accuratio eius orationis cognitio, quam inde ab Augusti aetate rhetores maxime et declamatores excoluerunt. Nec defuerunt sane post Orellium multorum studia variis nominibus utilia; omnia vero Taciti opera diligenter ediderunt Ritter et Halmius, edere coepit Nipperdeus. Nobis quidem in hac editione propositum fuit ut neque in scribendi ratione neque in emendandis verbis admitteremus quicquam, quod non posset sine commentario vel intellegi vel excusari. Itaque cum in priore volumine Nipperdeii potissimum exemplo uterer, quippe qui accuratissime veterum librorum auctoritatem secutus videbatur, in orthographico genere saepe et ab illo et a codicibus discedendum fuit, non tamen omnia ad unum modum exaequavimus, sed ipsam etiam scribendi inconstantiam eam retinuimus, quae a vulgari consuetudine non nimis recederet; coniecturas vero, quibus nos quoque ante Orellium crebro indulseramus, cum alias codicum testimoniis comprobatas, alias, quae certae videbantur, ab aliis praereptas intellexissemus, reliquas vel nostras vel alienas plurimas damnavimus, paucas admisimus, inclinatis litteris significantes eos locos, in quibus a codicibus discessum est. Denique ut uno conspectu quicquid nostro consilio mutatum est, comprehendi possit, breviter eos locos omnes recensimus in quibus cum aliquo verborum aut sententiae discrimine nostra editio a Nipperdeii exemplo differt.

HUIUS EXEMPLI SCRIPTURA. NIPPERDEIANI EXEMPLI
SCRIPTURA.

ANN. LIB. I.

- | | |
|---------------------------------------|---|
| c. 3. proiceret | proiecerit (proieceret p. 302.) |
| c. 4. exulem egerit, aliquid quam | exul egerit, aliud quam |
| c. 5. ignarum id Caesari | Gnarum id Caesari |
| c. 8. passus nisi | passus est nisi |
| praet. coh. militibus singula | praet. coh. militibus singula num- |
| nummum milia, legionariis | num milia, <i>urbanis quingenos</i> , le- |
| aut coh. | gionariis ac coh. |
| insignes visi | insignes [visi] |
| c. 9. multa Antonio, cum | Multa Antonio, dum |
| c. 10. Q. Tedi et Vedii | [que tedi et] Vedii |
| c. 14. in his quae | in iis quae |
| c. 15. ne plures | ne <i>praeturae</i> plures |
| mox celebratio post * annum | Mox celebratio [annum] ad |
| ad | |
| c. 16. ob iustitium aut gaudium | ob iustitium [aut gaudium] |
| c. 19. pervicacia victa | pervicacia victi |
| c. 20. intentus operis | vetus operis |
| c. 26. numquamne nisi ad se filios | Numquamne ad se nisi filios |
| c. 28. accepit, [a] suis laboribus | accepit, suis laboribus |
| cessura quae pergerent | cessurum qua pergerent |
| ii vigiliis | Hi vigiliis |
| c. 31. impellere ceterorum | implere ceterorum |
| c. 32. quod [neque disiecti] nil pau- | quod neque disiecti nec paucorum |
| corum | |
| c. 34. seque et proximos et Belg. | Sequanos, proximas et Belg. |
| c. 35. opposuerant | Opposuerunt |
| c. 38. M. Ennius | M. Ennius |
| c. 41. quod tam triste? | quid tam triste? |
| c. 43. vos quoque, quorum | Vosque, quorum |
| c. 44. retinebat ordines | retinebat ordinem |
| c. 55. gener invisus; inimici soceri; | gener invisus, inimicus soceri; |
| c. 58. testis illa nox mihi, utinam | Testis illa nox, mihi utinam |
| c. 59. sacerdotium, dominum: | sacerdotium hostium: |
| c. 61. equorumque artus. lucis — | equorumque artus. simul truncis |
| mactaverant; simul truncis | arborum antefixa ora. Lucis — |
| arborum antefixa ora. et | mactaverant. Et cladis |
| cladis | |
| c. 63. legiones classe — reportat; | [legiones classe — reportat;] |
| manum [in]tendentis | manum intendentis |
| „en Varus est eodemque ite- | En Varus et eodem iterum |
| rum | |
| c. 66. esse docuerant. | esse docuerunt. |
| c. 69. adversus externos militum | adversus externos militem quaeri |
| gratiam quaeri | |
| c. 75. dum severitati consulitur | dum veritati consulitur |
| c. 80. causae varie traduntur | Causae variae traduntur |

LIB. II.

- | | |
|--------------------------------------|-------------------------------------|
| c. 1. Tauro | [Tauro] |
| c. 6. huc intendit: missis ad census | huc intendit, missis ad census Gal- |

I.XII SCRIPTURA HUIUS EXEMPLI.

NIPPERDEIANI EXEMPLI.

Galliarum P. Vitellio et C. Antio Silius et Anteius et Caecina

liarum P. Vitellio et C. Antio. Silius et Apronius et Caecina

c. 8. classis Amisiae relicta — erratumque in eo quod non subvexit [transposuit] militem

Classis [Amisiae] relicta — erratumque in eo quod non [subvexit] transposuit militem

*** Metanti castra Caesari Angrivariorum

Metanti castra Caesari Ampsivariorum

c. 11. atque ipsi densissimis inruens

atque ipse densissimos inrumpens

c. 13. eundem animum laudibus

eundem in animum, laudibus

c. 14. sanguine sacri

sanguine sacro

c. 20. libitoresque

libitoresque

c. 22. Angrivarios

Ampsivarios

e. 24. vasto [et] profundo Angrivarii

vasto et profundo Ampsivarii

c. 26. ultioni consultum est

ultioni consultum esset

c. 32. datae his

datae iis

L. P** et

L. Piso et

c. 33. erat quippe — promere. sed ut locis

[Erat quippe — promere.] sed ut, *qui* locis

c. 47. visa in arduo

enisa in arduo

Mosteni aut Macedones

Mosteni et qui Macedones

c. 49. aedes a Germanico

aedes Germanico

c. 53. Tiberium tertio

Tiberium tertium

c. 57. discesserantque

discesseruntque

c. 60. deiectus [est].

deiectus est.

c. 68. inde [in] Albanos

inde Albanos

c. 69. tabe oblit

tabe oblit

c. 79. sextae legionis

sextae legionibus

c. 83. in quis coleretur

in quis colerentur

LIB. III.

c. 3. praeferre visu

perferre visu

c. 21. locos et inligatus

locos, inligatus

e. 22. quae velut reicere

quae velut nescire

c. 31. nam biennio

Nam triennio

c. 34. adsidere urbem

obsideri urbem

c. 42. frustratus, postremo visis

frustratus postremo, visis

c. 44. an et Sacrovirum

An Sacrovirum

c. 47. turbet, omissam urbem

turbet. ... omissa urbe

c. 55. verum haec nobis [maiores] certamina

Verum haec *nos*; nobis maiores: certamina

c. 58. impediretur. duobus et

impediretur. Quinque et

c. 62. Cyprii tribus delubris

Cyprii tribus *de* delubris

c. 66. Bruttidius

Bruttidius

ansis *ultro* polluebat. Bruttidium

ansis provolvebat. Bruttidium

c. 68. quippe * alia parente geniti [quippe alia parente geniti]

c. 71. quotiens *non* valitudo — ut pontificis

quotiens valitudo — ut. ... pontificis

LIB. IV.

c. 3. adferebant; et quia vi

adferebant, quia vi

c. 5. litus rostratae naves

litus constratae naves

	coloniis antiquitas	colonis antiquitas
c. 10.	quod is Lygdus	quod is [Lygdus]
c. 11.	venerit, divulgata aequè incredibilia ne avidè accepta	venerit, ne divulgata atque [incredibilia] avidè accepta
c. 12.	inter intimos aviae et consiliis	inter intimas aviae, consilii
c. 13.	claritudine infausti	claritudini infausti
c. 26.	gens ut culpae nescia	gens et culpae socia
c. 27.	ex more calles evenerant	ex more Cales evenerat
c. 32.	veteris populi R. res composuere	veteres populi R. res composivere
c. 33.	easdem exitu causatum, quod antiquis Romanasve ad incepta redeo.	easdem exitii causas Tum [quod] antiquis Romanasve ad inceptum redeo.
c. 35.	nec victor quidem	ne victor quidem
c. 37.	per omnes provincias	omnes per provincias
c. 39.	malle; ac tamen	malle. Attamen
c. 41.	vera potentia augeri	veram potentiam augeri
c. 44.	innocenter paratae	innocenter paratae
c. 45.	habetur, quia pecunias	habetur; qui pecunias
c. 46.	editis incultu	editis sine cultu
c. 50.	Neque ignobiles—sententiis, verum	c. 49. [neque ignobiles—sententiis.] c. 50. Verum
	properum per finem	properum finem
c. 51.	defecto promptissimo	deleto promptissimo
c. 53.	esse in civitate [qui divo Augusto ortam] Germanici	esse in civitate. ... Germanici
c. 55.	Pergamenos, quo ipso nitebantur, aedem Augusto ibi sitam, satis adeptos	Pergamenos (eo ipso nitebantur) aede Augusto ibi sita satis adeptos
c. 57.	Caesar [concessit] in Campaniam	Caesar in Campaniam
c. 60.	voces procedebant	voces procedebant
c. 61.	quoad	quoad
c. 62.	in sordidam mercedem	in sordida mercede
c. 65.	auxilium appellatus tulisset	auxilium tulisset
c. 67.	occultior in luxus	occultos in luxus
c. 72.	terga urorum	terga taurorum

LIB. VI.

c. 5. (V, 10).	agnitus per dolum; quis comitantibus alliciebantur nominis; et promptis... et mira — quippe ... exercitus Aegyptum ... credebantque — iam	(V, 10) agnitus; per dolumque comitantibus. alliciebantur nominis et promptis... et mira: quippe ... exercitus: Aegyptum ... credebantque. iam
c. 8.	moderans neque ut ultra	c. 2. moderans, neve ultra
c. 9.	militibus? quos neque dicta imperatoris neque	c. 3. militibus. quos neque dicta nisi e praetorio neque
c. 10.	noxiam conscientiae pro foedere habere	c. 4. noxae conscientiam pro foedere haberi
c. 11.	neque cuncta	c. 5. Quae cuncta
c. 17.	Piso viginti	c. 11. Piso quindecim

LXIV SCRIPTURA HUIUS EXEMPLI. NIPPERDEIANI EXEMPLI.

- | | |
|--|--|
| c. 18. quindecimvirum
neque habere | c. 12. quindecimvir
neve habere |
| c. 24. Mitylanaeum, proavum | c. 18. Mitylanaeum, patrem aut
avum |
| c. 28. longius abierim | c. 22. longius aberrem. |
| c. 29. sponte vel necessitate | c. 23. sponte an necessitate |
| c. 32. continuus principis | c. 26. continuus principi |
| c. 34. formam eius effinere | c. 28. formam eius definire |
| c. 37. virilitatis (non...habet): ii | c. 31. virilitatis. Non...habet. Ii |
| c. 41. quos super equites et | c. 35. quos super eques, et |
| c. 43. Caesaris quaeque utrobique
damnatus. | c. 37. Caesaris, quae utrobique
damnatus est. |
| c. 57. quoad privatus | c. 51. quoad privatus |

LIB. XI.

- | | |
|--|---|
| c. 1. [C.] Caesaris; non extimuisse | C. Caesaris non extimuisse |
| c. 4. [at] causa | At causa |
| c. 6. obstrepentibus his
cogitavissent pulcherrima:
alioquin
negotia <i>agantur</i> , | obstrepentibus iis
cogitavissent. Pulcherrimam alio-
quin
negotia eant, |
| c. 7. subsidium [prae]parari
se modicos senatores, qui
quieta
petarent. | subsidium praeparari
Se, modicos senatores, quieta
petere. |
| c. 8. Armeniis [<i>iussu C.</i>] Caesaris
haberi [nam] inter Gotarziis
pleraque saeva, qui necem
[prae]paraverat; unde metus
[eius] in
stadiorum pervadit | Armeniis ... C. Caesaris
haberi. Nam Gotarzes inter plera-
que saeva necem
paraverat; unde metus in
stadiorum invadit |
| c. 9. fluxere, quamquam atrociozem
repente faciunt | fluxere, atrociozem
repente iciunt |
| c. 11. hisque intentius | lisque intentius |
| c. 12. operiri futura | operire futura |
| c. 14. publico [publicandis plebis
scitis] per fora | publico per fora |
| c. 15. retinenda firmandaque haru-
spicum. | retinendae firmandaeque haruspi-
cinae. |
| c. 16. Roma petivit | Romae petivit |
| c. 17. ab his qui | ab is qui |
| c. 20. fossam praeduxit
Oceani vetarentur | fossam perduxit
Oceani vitarentur |
| c. 21. in urbem et largitione | in urbem, largitione |
| c. 23. velut capta <i>sit</i> civitas
eorum moveretur
et ara Romana manibus eo-
rundem per se satis ***?
fruerentur | velud captivitas
eorum oreretur
et arce Romana manubias deorum
deripere conati sint? Fruerentur |
| c. 25. adactus, ut | adactus est, ut |
| c. 26. operiretur; | opperirentur. |
| c. 27. obsignarent, velut | obsignarent, [velut] |
| c. 29. Narcissus, ut solum id impu-
tans, ne quo — facerent | Narcissus, consilium dissimulans,
ne quo — faceret |

- | | |
|--|--|
| c. 30. idem opperians
quod ei cis Vettios, cis Plautios
nedum domum, servitia
his: at redderet | id opperians
quod ei Vettios, Plautios
nedum servitia
his et redderet |
| c. 31. potissimos amicorum | potissimum quemque amicorum |
| c. 32. hortorum eripiuntur | hortorum excipiuntur |
| c. 33. minus a Caesare | minus at Caesarem |
| c. 35. equites Romanos cupidos ma-
turae necis fecit: [et] Titium | equites Romani. [Cupido matura
necis fuit.] Et Titium |
| c. 38. levissimum fastidiis eius, cum
supra
ageret * honesta —
orerentur, * tristitiis multis*. | levissimum fastidio eius, cum super
ageret. Honesta —
orerentur! |

LIB. XII.

- | | |
|--|---|
| c. 2. traheret, dignum p. i. fortuna:
stirpem—coniungeret, ne fe-
mina expertae fecunditatis | traheret: dignum p. i. fortuna stir-
pem—coniungere: ne femina ex-
perta fecunditatis |
| c. 7. cupitor, T. Alledius | cupitor, Alledius |
| c. 12. Cassia ratus per
Armeniam petunt | Cassia per
Armeniam petivit |
| c. 13. et * castellum
religione Herculis | et castellum
religione Herculi |
| c. 15. Aorsorum genti praesidebat | Aorsorum genti .. praecellebat |
| c. 17. arduum: at belli
quasdam, quae mari remea-
bant, | arduum: belli
quasdam (quippe mari remcabant) |
| c. 20. foret: hinc dolor | foret. Hue dolor |
| c. 24. sacellum Larundae; forum-
que Romanum et | sacellum Larum, inde forum Ro-
manum: forumque et |
| c. 25. evictus biennio | evictus triennio |
| c. 26. in ludibria | in ludibrium |
| c. 30. adipiscerentur dominationis | adipiscerentur dominationes |
| c. 31. qui restiterant
ad Avonam | qui restiterunt
ad Avonam |
| c. 33. tum [astu] locorum | tum astu locorum |
| c. 36. praeiacet; tunc | praeiacet. Tum |
| c. 37. foedere pacis accipere
deditus traderet
vinclis [ab]soluti | foedere pacem accipere
deditus traheret
vinclis exsoluti |
| c. 38. ni citis nuntiis e castellis pro-
ximis subventum | ni cito nuntiis ex castellis proximis
missis subventum |
| c. 39. nostros [ipsos] missasque
temere, provisum
ducibus, [ac] praecipua | nostros ipsos missasque
temere provisum
ducibus. Ac praecipua |
| c. 40. auctaque et apud
aeque illo | auctaque est apud
atque illo |
| c. 41. Servio Cornelio Orfito | Servio Cornelio [Orfito] |
| c. 43. proruptae domus | proruptae domus |
| c. 45. [at nobis ea pars m. m. gnara
est]: | at nobis ea pars m. m. gnara est. |
| c. 47. sanguis [in] artus | sanguis artus |
| c. 48. cum gloria adeptus foret. | cum gloria depulsus foret. |
| c. 52. crimini Vibia, mater | crimini Iunia, mater |

LXVI SCRIPTURA HUIUS EXEMPLI. NIPPERDEIANI EXEMPLI.

- | | |
|---|--|
| c. 54. seditione, postquam [a C. Caesare iussi erant effugiem eius in templo locare; et quamquam] cognita | seditione postquam cognita |
| c. 55. Troxoboro | Troxobore (bis) |
| c. 56. structo cis Tiberim | structo trans Tiberim |
| c. 58. fabulis [vetera] | fabulis vetera |
| c. 65. pares iterum a. causas esse Britannico successore | [pares iterum a. causas esse]
[Britannico successore] |

LIB. XIII.

- | | |
|---|---|
| c. 2. simul Claudio | simul ut Claudio |
| c. 3. quae deceret
meditata dissererentur | quaeque deceret
meditata dissereret |
| c. 6. tum quoque bellum
pluraque in summa | tum bellum quoque
Pleraque in summa |
| c. 7. filius Vardanis | filius Vardanes |
| c. 8. quae apud Cappadociam
ut famae instaret | quae in Cappadocia
ut famae inserviret |
| c. 9. recentem gloriam et inclinationem quandam etiam hostium in Corbulone | recentem gloria et inclinatione quadam etiam hostium Corbulonem |
| c. 14. inde villis rursus | inde debilis rursus |
| c. 16. spiritus eius raperentur.
ignaram fuisse atque Octavianam sororem Britannici | spiritus raperentur.
ignaram fuisse [Octavianam sororem
Britannici] |
| c. 17. cui plerique [et]iam defendit, a maioribus | cui plerique etiam defendit, maioribus |
| c. 18. coniugi imperatoris solitum, et quae Antoniae | coniugi imperatoris olim, tum ut quae proaviae Antoniae |
| c. 19. pari ac Nero gradu eius et iam imperio | pari ac Neronem gradu eius et imperio |
| c. 20. refutare tenebras | Reputaret tenebras |
| c. 21. Neronem meum certaret: nunc per—componit; Baia- rum suarum—praepararentur. At exsistat | Neronem meum certaret; Baia- rum suarum -- praepararentur: nunc per — componit. Aut exsistat |
| c. 25. Nero tum metuentior | Nero tamen metuentior |
| c. 26. ille [an] auctor constitutionis fieret, ut inter paucos ei sententiae adversos quibusdam — fremtentibus, ut vine an aequo cum patronis iure agerent [sententiam eorum] consultarent ac verberibus manus ultro intenderent; impetere vel poenam suam dissuadentes; quid | ille an auctor constitutionis fieret cum inter paucos et sententiae diversos consultaret, quibusdam — fremtentibus, ut ne aequo quidem cum patronis iure agerent ac verberibus manus ultro intenderent, sententiam eo impulere ut poenam sancendam suaderet. Quid |
| c. 35. munia Romanorum | munia castrorum Romanorum |
| c. 39. libritoribus
pari undique metu. | libratoribus
pari undique motu. |
| c. 40. productiores cornu sinistro | productiores in sinistro |
| c. 41. quia nec teneri sine cuncta extra, tecto hactenus | quia nec teneres sine cuncta [extra tectis] hactenus sole |

- | | | |
|--------|---|---|
| | sole, repente illustria fuere;
quod m. cingebatur, ita atra
n. c. fulgoribusque | illustria fuere; quod m. cingeba-
tur, ita repente atra n. c. fulguri-
busque |
| c. 43. | peculatum detulerant | peculatum detulerunt |
| c. 46. | seque ire | sese ire |
| c. 48. | progressa ne necem et | progressa ne caedem et |
| c. 49. | aliis Romana continentur | aliis res Romana continetur |
| c. 50. | attinnere senatores | attinnere seniores |
| c. 55. | Tiberio, Germanico
quo tantam partem | Tiberio et Germanico
Quantam partem |
| c. 56. | „deesse nobis terra in vitam:
in qua | Deesse nobis terra, in qua |
| | pericula defendentibus | pericula deserentibus |
| c. 58. | octingentos et quadraginta | octingentos et triginta |

LIB. XIV.

- | | | |
|--------|---|--|
| c. 1. | incusare principem et p. vocare | incusaret principem et p. vocaret |
| c. 4. | collocata; tam pluribus | collocata. Iam pluribus |
| c. 5. | tectum <i>hodi</i> multo | tectum loci multo |
| c. 7. | obiciendo: quod contra
nisi quid Burrus et Seneca ex-
pedirent; quos st. acciverat,
incertum an et ante ignaros. | obiciendo, quod contra
nisi quid Burrus et Seneca;
acciverat, incertum an aperiens,
et ante ignaros. |
| | Burrum ac [si] sciscitaretur | Burrum ac sciscitaretur |
| c. 8. | adflixit; nam in mortem | adflixit. Iam in mortem |
| c. 9. | responderant Chaldaei | responderunt Chaldaei |
| c. 11. | luisse eam poenam conscien-
tia qua | luisse eam poenas conscientia, quas |
| c. 15. | in spem potentiae | in spe potentiae |
| c. 16. | nec dum insignis auctoritas:
hi cenati considerare | nec dum insignis claritas. Hi consi-
dere |
| c. 17. | in vicem ingredientes | in vicem incessentes |
| c. 18. | quos regi Apionis quondam
avitos
concedere rescripsit. | quos regi Apioni quondam habitos
concedere scripsit. |
| c. 20. | consideret teatro, dies totos | consideret, teatro dies totos |
| c. 22. | stagna in villa cui Sublaqueum | stagna, a quis Sublaqueum |
| c. 23. | inmitis his qui | inmitis is qui |
| c. 26. | quosque nobis <i>adversos aut</i>
ambigere animis cognoverat | quosque nobis adversantis cogno-
verat |
| c. 29. | neque A. Didius legatus
equites vado secuti | neque Didius legatus
equites vadosa secuti |
| c. 31. | Boudicca
praecipui quique Icenorum
avitis bonis — Camulodu-
num recens ducti, quasi
cunctam r. m. accepissent,
pellebant | Boudicca (<i>et sic infra</i>)
praecipui quique Icenorum [quasi
cunctam r. m. accepissent] avitis
bonis — Camulodunum recens
ducti pellebant |
| c. 32. | vallum praeduxerant | vallum praeduxerunt |
| c. 33. | sociorum his quae
ac praerepta | sociorum iis quae
at praerepta |
| c. 34. | animo adeo fero ut | animo adeo feroci, ut |
| c. 35. | nec senectam quidem | ne senectam quidem |
| c. 37. | ac primum legio | Ac primo legio |

LXVIII SCRIPTURA HUIUS EXEMPLI. NIPPERDEIANI EXEMPLI.

- | | | |
|------------|--|---|
| | se ipsum gladio | se ipse gladio |
| c. 38. | destinant; gentesque | destinant..... gentesque |
| c. 40. | proavo clarus neque
tabulas iis quos | proavo clarus erat neque
tabulas ascitis quos |
| c. 41. | teneretur ac si publico | teneretur ac publico |
| c. 43. | hodie evenit
non profuit? quem n. s. tue-
bitur | hodie venit
non profuerit? quem n. s. tueatur |
| c. 44. | sane consilium occultavit
servi si prodant, p. s. i. p. t. i.
a. postremo, si pereundum.
sit, non inulti | Sane: consilium occultit
ut condemnatum sit, ni prodant,
p. s. i. p. t. i. a. postremo non
inulti |
| c. 47. | in quo potissimum | in quo post illum |
| c. 48. | ut condemnatus—eximeretur. | ut condemnatum — eximeret. |
| c. 49. | paucis exceptis | paucis exemptis |
| c. 51. | flagitia [adulteria]: quippe | flagitia. Quippe |
| c. 54. | iube procuratores tuos admi-
nistrare in t. f. recepta.
annos visum fastigii regimen:
possumus s. a. quietem re-
poscere. | iube rem per procuratores tuos ad-
ministrari, in t. f. recipi.
annos fultum fastigii regimen pos-
sumus s. a. quiete reponere |
| c. 55. 56. | plura tenuerunt, nisi forte
aut — non potest. pudet —
antecellis. verum et tibi | plura tenuerunt. Pudet—antecellis,
nisi forte aut—non potest. Verum
et tibi |
| c. 57. | praesenti ope:
perlatum caput | praesenti opera:
Relatum caput |
| c. 59. | „cur“ inquit **** Nero, et
posito | Cur, inquit, Nero, et posito |
| c. 60. | gravioribus tam
sapientia et ex mediocritate
his quamquam Nero paeni-
tentia flagitii [non mutatus
cunctari tamen coepit. unde
maesta Poppaea et falsus per
urbem rumor, mox concursus
et clamor:] „coniugem re-
vocavit Octaviam.“ exim | gravioribus iam
sapientia, ex mediocritate
His tamquam Nero paenitentia
flagitii coniugem revocavit Octa-
viam. Exim |
| c. 61. | datura sit, malle | datura sit? Malle |
| c. 62. | quam iussum erat | quam iussum erat |
| c. 65. | C. Pisonis socium | C. Pisonis amicum |

LIB. XV.

- | | | |
|-------------|---|---|
| c. 4. et 6. | Tigranocertam | Tigranocerta |
| c. 10. | sustentavisset. ** et aegre | sustentavisset. Aegre |
| c. 12. | ubi par eorum numerus api-
sceretur | ubi per eorum numerum oprueretur |
| c. 13. | ignavia, aut Corb.
exemplis Caudinae Numanti-
naeque cladis; neque
populo, aut Poenis, | ignavia, ut Corb.
exemplis Caudi et Numantiae. Ne-
que
populo, ut Parthis, |
| c. 14. | missi posthac a Pacto
testis his quae | Missi post a Pacto
testis is quae |
| c. 18. | annonae sustentaret | annonae ostentaret |
| c. 21. | gentes de aestimatione | gentes de existimatione |

- | | | |
|--------|--|---|
| | ambitio cohibetur. | ambitio cohibebitur. |
| c. 28. | erant, tum barbaris delectus | erant, barbaris delectus |
| c. 33. | fama acciverat | fama civerat |
| c. 35. | novis esse, cui innoxiae viles;
habere | novis esse. Quin ne occultet, habere |
| c. 38. | paventium [feminarum], fessa
[aetate] aut rudis [pueritiae] aetas, quique | paventium feminarum, fessa aetate
aut rudis pueritiae, quique |
| c. 40. | proruptis per
necdum positus metus auctus
redibat: saevus rursus | prorutis per
Necdum positus metus, et rediit
haut levius rursus |
| c. 44. | petita a dis
igitur primum
aut flammandi | petita dis
Igitur primo
aut flammati |
| c. 46. | custos adesset | custos adest |
| c. 49. | Lateranus [consul designatus] vivida | Lateranus vivida |
| c. 50. | cum abscedens domo
testis pulcherrima, animum | cum ardente domo
testis pulcherrimum <i>ad facinus</i> animum |
| c. 51. | orditur. neque serum aliquid
manere, sed | orditur. † neque senatui quod manere. Sed |
| c. 54. | sanguis, petebat, quae eundem | sanguis, parare eundem |
| c. 58. | introissent, non celatus tantum
erga coniuratos sed fortuitus | introissent, laetatum erga coniuratos, fortuitus |
| c. 62. | nominatus, sed quo
cuius si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis | nominatus, et quo
cuius si memores essent bonarum artium, famam constantis |
| c. 63. | matrem fratremque
praesentem fortunam
oratque temperare dolori <i>neve</i>
aeternum susciperet, sed | matrem fratresque
praesentem formidinem
oratque, temperaret dolorem aeternum suscipere, sed |
| c. 66. | accensis [quoque] indicibus | accensis indicibus |
| c. 67. | quam visam Flavus | quam Flavus |
| c. 71. | Caedicia — et Caesonius | Caedicia — et Caesennius |
| c. 72. | Nymphidio [de quo] quia | Nymphidio quia |
| c. 73. | Nero vocato senatu | Nero [vocato senatu] |
| c. 74. | Tum [decreta] dona et
egresso, et — merito: [<i>Nero prohibui, ne</i>] quorundam dolus ad omnia sui | Tum dona et
egresso, at — merito, quorum admonitu ad votum sui |

LIB. XVI.

- | | | |
|--------|---|--|
| c. 2. | celebrabatur; adulatoribus oratoribusque
minore adulatione | celebrabatur; ab oratoribusque
minores adulatione |
| c. 3. | elusum admirans | elusum affirmans |
| c. 9. | non remittere percussori | non remittere percussori |
| c. 10. | Pollucia | Pollitta |
| c. 14. | Luccio Telesino | Lucio Telesino |
| c. 17. | Crispinus, [ac] T. Petronius | Crispinus ac T. Petronius |

LXX SCRIPTURA HUIUS EXEMPLI. NIPPERDEIANI EXEMPLI.

	addit[ur] codicillis querens ita scripsisset	Additur codicillis querens, ita scripsisse
c. 21.	parum expectabilem operam	parum spectabilem operam
c. 26.	per immanitatem adgesturi <i>sint</i>	per immanitatem ausuri sint
c. 29.	carminis, <i>sed</i> quia	carminis, quia
c. 30.	et quo discrimini	et quot discrimini
c. 34.	Thræsea neu pericula	Thræsea nec pericula


*Adiungo hoc loco coniecturas quasdam fortasse iniuria a me spre-
tas; nam melius fortasse scribas lib. II, 33. sed ut et locis, ordinibus, d.
antistent, et aliis. ib. c. 41. arrigebat intuentium visus. c. 42. si ad de-
precandum veniret. c. 68. ad Armenios, dein Albanos. III, 20. simul
exceptat vulnera, quod coniecit Held. IV, 6. locus ille: res suas Caesar —
negotiis insenescerent ponendus videtur ante prima verba cap. 7. rari per
Italiam Caesaris agri. ib. c. 13. ob atrocitatem tormentorum. c. 25. et cir-
cumfusis undique Romanis. c. 34. et uterque opibus aequae atque honori-
bus. ita et ego et Doederl.; in cod. enim est opibusque. c. 51. proxima
sponte ipsorum recepta. XI, 21. in spem sublatus regressusque in
urbem. ib. c. 35. eadem constantia et illustres equites Romani cupida
maturae necis fuerunt. XII, 6. quo uxorem imperator a republica acci-
peret. ita ego ante Orellium conieceram; idem nuper probavit Wurmius; cf.
Plin. ep. IV, 15, 10. — ib. 11. quanto ignara barbaris, tanto laetiora capes-
seret. nam quod est in codice toleratiora, ortum videtur ex toletiora, prima
syllaba male repetita, ut XIII, 40 scripsi cornu sinistro pro eo quod est in
cod. cornusin sinistro. ib. c. 14. ex quis Izates Adiabenum. c. 45. ex-
utumque castris Mithridatem. c. 47. id foedus aeternum habetur. XIII,
8. qui cura famae, quae in novis coeptis validissima est. XIV, 7. incer-
tum an rei tantae ignaros. c. 28. quoniam acriore ambitu exarserant.
c. 57. cui cavere utcumque ab urbanis insidiis praesenti copia. cf. IV, 47.
c. 56. effugeret segnem mortem, inertium suffugium. XV, 4. qua fluvio
defendebatur. c. 33. adhuc per domum aut hortos cecinerat aut
lustralibus ludis.*

CORNELII TACITI

ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

QUAE SUPERSUNT.



CORNELII TACITI
ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER PRIMUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Taciti de historia Romana suoque consilio praefatio. 2. Augusti artes et via ad imperium. 3. varii ab eo destinati successores. 4. status rerum et affectus civium sub Augusto. iudicia de successoribus. 5. morbus Augusti et mors celata. accitus ad successionem Tiberius. 6. caedes Postumi Agrippae. 7. Roma prona in servitutem. iuratum in verba novi principis. eius simulata tergiversatio. 8. Augusti testamentum et honores eximii in funere. 9. 10. de Augusto iudicia in utramque partem. 11. Tiberius imperium adole renuit urgente senatu. rationarium imperii. 12. Aginio iratus Tiberius. 13. mox Arruntio, Haterio, Scauro. 14. senatus adulatione in Liviam a Tiberio temperata. 15. ratio comitiorum. ludi Augustales. 16. seditio Pannonicarum legionum VIII. IX. XV. concitor Percennius. 17. huius seditiosae contiones. 18. furit miles, quem coercere conatur Blaesus. 19. legatio ad principem. 20. recrudescit seditio. 21. Blaesus frustra obnititur. 22. Vibulenti fallaci facinore paene oppressus. 23. tribuni mil. pulsus, Lucilius caesus. 24. Drusus seditioni sedandae missus a Tiberio. 25. 26. Drusus litteras Tiberii recitat, militum postulata differt. clamor. 27. hinc tumultus acrior. Lentuli periculum. 28. lunae defectio seditiosos terret, nec deest occasione Drusus. 29. miles ponit ferociam. 30. capita tumultus caesa. legiones hibernis suis redditae. 31. gravior oritur seditio legionum octo Germanicarum. 32. saevitia in centuriones. Chaereae facinus. 33. Germanicus Caesar ad legiones e Gallia properat. 34. quas ad fidem cohortatur. 35. eae querelas promunt: pars imperium offerunt acriter abnuenti. 36. remedia quaesita. 37. oblata missio et pecunia: sic paullum oppressa seditio. 38. vexillarii turbant: quos fortiter coercet M. Ennius. 39. denuo legiones I. et XX. turbant. Caesari vim, Planco mortem intentant. 40.—43. Germanicus, filio et uxore dimissis, militi poenitentiam inicit, tum eum facunda oratione alloquitur. 44. mutati poenas in se ultro poscunt, noxios ipsi puniunt. centuriones novi suffecti. 45. in turbidos vis adhuc paratur. 46. trepidae urbis rumores. 47. Tibe-

rius iter simulat. 48. 49. Germanici minis territi milites turbatores suos caedunt. 50. furorem expiaturi in hostem eunt. Marsi oppressi. 51. Tamfanae templum dirutum. insidiae in reditu irritae. 52. Tiberius maligne laudat Germanicum. 53. Iuliae mors et mores. Gracchus caesus. 54. sodales Augustales instituuntur. histrionum turbae.

55. Proximo anno in Chattos excursus. Arminius. Segestes. 56. Chatti improvise oppressi, Mattium incensum. 57. Segestem obsessum liberat Germanicus. uxor Arminii capta. 58. Segestis oratio. Segestes cum suis benigne habitus. 59. Arminius in eum et Romanos invehitur. 60. Cherusci aliique populi rebellant. Bructeri fusi. 61. monumenta cladis Varianae. 62. reliquiae illius cladis tumultatae improbante Tiberio. 63. pugna cum Arminio. 64. Caecinam loco iniquo aggreditur Arminius intrepidum. 65. milites consternati. Caecinae somnium infaustum. caesi paene Romani. 66. panicus terror repressus. 67. consilium Caecinae de recessu. 68. felix eruptio. Germanorum clades. 69. Agrippinae viriles curae Tiberium offendunt. 70. legiones aestu maris cum periculo revectae. 71. Segimerus in deditionem acceptus. exercitus damna suppleta. 72. 73. Tiberii ficta modestia. lex maiestatis revocata. delationum pestis ingruit. 74. Marcellus maiestatis postulatus. in eum ira Tiberii incautior. 75. Tiberii liberalitas. 76. Tiberis inundatio. Achaia et Macedonia levatae. Drusi munus. 77. theatri licentia coercita. 78. templum Augusti. centesima. 79. de Tiberis expeditionibus frustra consultatum. 80. Tiberius cur praesides raro mutavit. 81. comitiorum confusa ratio.

Haec fere biennio gesta coss. Sex. Pompeio et Sex. Apuleio, Nerone Claudio Druso Caesare et C. Norbano a. u. c. 767. et 768., p. Chr. n. 14. et 15.

1 Urbem Romam a principio reges habuere; libertatem et consulatum L. Brutus instituit; dictaturae ad tempus sumebantur; neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare ius diu valuit; non Cinnae, non Sullae longa dominatio; et Pompei Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit. sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt; temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur: Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt: inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema

tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

Postquam Bruto et Cassio caesis nulla iam publica arma, ² Pompeius apud Siciliam oppressus exutoque Lepido, interfecto Antonio ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux reliquus, posito triumviri nomine consulem se ferens et ad tuendam plebem tribunicio iure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus, magistratum, legum in se trahere, nullo adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur ac novis ex rebus aucti tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent. neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populi imperio ob certamina potentium et avaritiam magistratum, invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.

Ceterum Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum, sororis filium, admodum adulescentem pontificatu ³ curuli aedilitate, M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia et victoriae socium, geminatis consulatibus extulit, mox defuncto Marcello generum sumpsit; Tiberium Neronem et Claudium Drusum privignos imperatoris nominibus auxit, integra etiam tum domo sua; nam genitos Agrippa Gaium ac Lucium in familiam Caesarum induxerat necdum posita puerili praetexta principes iuventutis appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat. ut Agrippa vita concessit, L. Caesarem euntem ad Hispaniensis exercitus, Gaium remeantem Armenia et vulnere invalidum mors fato propera vel novercae Liviae dolus abstulit, Drusoque pridem extincto Nero solus e privignis erat, illuc cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur omnisque per exercitus ostentatur, non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu. nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum, Agrippam Postumum, in insulam Planasiam proiceret, rudem sane bonarum artium et robore corporis stolidè ferocem, nullius tamen flagitii conpertum: at hercule Germanicum Druso ortum octo apud

Rhenum legionibus inposuit adscirique per adoptionem a Tiberio iussit, quamquam esset in domo Tiberii filius iuvenis, sed quo pluribus munimentis insisteret. bellum ea tempestate nullum nisi adversus Germanos supererat, abolendae magis infamiae ob amissum cum Quintilio Varo exercitum quam cupidine proferendi imperii aut dignum ob praemium. domi res tranquillae; eadem magistratum vocabula; iuniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati: quotusquisque reliquus qui rem publicam vidisset?

4 Igitur verso civitatis statu nihil usquam prisci et integri moris; omnes exuta aequalitate iussa principis asperare, nulla in praesens formidine, dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit: postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur, aderatque finis et spes novae, pauci bona libertatis in cassum disserere, plures bellum pavescere, alii cupere; pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant: trucem Agrippam et ignominia accensum non aetate neque rerum experientia tantae moli parem; Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia, multaue indicia saevitiae, quamquam premantur, erumpere; hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice; congestos iuveni consulatus, triumphos; ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit, aliquid quam iram et simulationem et secretas libidines meditatum; accedere matrem muliebri inpotentia: serviendum feminae duobusque in super adolescentibus, qui rem publicam interim premant, quandoque distrahant.

5 Haec atque talia agitantibus gravescere validudo Augusti; et quidam scelus uxoris suspectabant: quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum electis consiliis et comite uno Fabio Maximo Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis spemque ex eo, fore ut iuvenis penatibus avi redderetur; quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae. ignarum id Caesari; neque multo post extincto Maximo, dubium an quaesita morte, auditos in funere eius

p. Ch. 14.

Marciae gemitus semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset. utcumque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris litteris accitit; neque satis conpertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nola an exanimem reppererit; acribus namque custodiis domum et vias saepserat Livia laetique interdum nuntii vulgabantur, donec provisio quae tempus monebat, simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.

Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae caedes, quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio aegre confecit. nihil de ea re Tiberius apud senatum disseruit: patris iussa simulabat, quibus praescripsisset tribuno custodiae adposito, ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandoque ipse supremum diem explevisset. multa sine dubio saevaque Augustus de moribus adolescentis questus, ut exilium eius senatus consulto sanciretur perfecerat: ceterum in nullius umquam suorum necem duravit, neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat: propius vero, Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis, suspecti et invisivi iuvenis caedem festinavisse. nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse quod imperasset, neque imperasse sese et rationem facti reddendam apud senatum respondit. quod postquam Sallustius Crispus, particeps secretorum — is ad tribunum miserat codicillos — comperit, metuens ne reus subderetur, iuxta periculoso ficta seu vera promeret, monuit Liviam ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad senatum vocando: eam conditionem esse imperandi ut non aliter ratio constet quam si uni reddatur.

At Romae ruere in servitium consules, patres, eques: quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac festinantes vul-
tuque composito, ne laeti excessu principis neu tristiores primordio, lacrimas, gaudium, questus, adulationem miscebant. SEX. POMPEIUS et SEX. APULEIUS consules primi in verba Tiberii Caesaris iuravere, apudque eos Seius Strabo et C. Turranius, ille praetoriarum cohortium praefectus,

hic annonae; mox senatus milesque et populus. nam Tiberius cuncta per consules incipiebat, tamquam vetere re publica et ambiguus imperandi; ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit sub Augusto acceptae; verba edicti fuere pauca et sensu permodesto: de honoribus parentis consulturum, neque abscedere a corpore, idque unum ex publicis muneribus usurpare. sed defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat; excubiae, arma, cetera aulae; miles in forum, miles in curiam comitabatur; litteras ad exercitus tamquam adepto principatu misit, nusquam cunctabundus nisi cum in senatu loqueretur. causa praecipua ex formidine, ne Germanicus, in cuius manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam exspectare mallet; dabat et famae, ut vocatus electusque potius a re publica videretur quam per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse: postea cognitum est ad introspectiones etiam procerum voluntates inductam dubitationem; nam verba, vultus in crimen detorqueus recondebat.

- 8 Nihil primo senatus die agi passus nisi de supremis Augusti, cuius testamentum, inlatum per virgines Vestae, Tiberium et Liviam heredes habuit: Livia in familiam Iuliam nomenque Augustum adsumebatur; in spem secundam nepotes pronepotesque, tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed iactantia gloriaque ad posteros; legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi quadringentes tricies quinques, praetoriarum cohortium militibus singula nummum milia, legionariis aut cohortibus civium Romanorum trecenos nummos viritum dedit. tum consultatum de honoribus; ex quis maxime insignes visi, ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, ut legum latorum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere. addebat Messala Valerius renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii; interrogatusque a Tiberio num se mandante eam sententiam prompsisset, sponte dixisse respondit, neque in iis quae ad rem publicam pertinerent, consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis: ea

p. Ch. 14.

sola species adulandi supererat. conclamant patres corpus ad rogam humeris senatorum ferendum: remisit Caesar adroganti moderatione; populumque edicto monuit ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Iulii turbassent, ita Augustum in foro potius quam in campo Martis, sede destinata, cremari vellent. die funeris milites velut praesidio stetere, multum inridentibus qui ipsi viderant quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii et libertatis inprospere repetitae, cum occisus dictator Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur: nunc senem principem, longa potentia, provisus etiam heredum in rem publicam opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura eius quieta foret.

Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana 9 mirantibus: quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus; quod Nolae in domo et cubiculo, in quo pater eius Octavius, vitam finivisset; numerus etiam consulatum celebrabatur, quo Valerium Corvum et C. Marium simul aequaverat; continuata per septem et triginta annos tribunicia potestas, nomen imperatoris semel atque vicies partum aliaque honorum multiplicata aut nova. at apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve: hi pietate erga parentem et necessitudine rei publicae, in qua nullus tunc legibus locus, ~~ad arma~~ civilia actum, quae neque parari possent neque haberi per bonas artes; multa Antonio, cum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse. postquam hic ~~hic~~ discordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriae remedium fuisse quam ut ab uno regeretur; non regno tamen neque dictatura, sed principis nomine constitutam rem publicam; mari Oceano aut amnibus longinquis saeptum imperium; legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa; ius apud cives, modestiam apud socios; urbem ipsam magnifico ornatu; pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset.

Dicebatur contra: pietatem erga parentem et tempora 10 rei publicae obtentui sumpta; ceterum cupidine dominandi concitos per largitionem veteranos, paratum ab adolescente privato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam

Pompeianarum gratiam partium; mox ubi decreto patrum fasces et ius praetoris invaserit, caesis Hirtio et Pansa, sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, sui milites Hirtium et machinator doli Caesar abstulerat, utriusque copias occupavisse; extortum invito senatu consulatum, armae quae in Antonium acceperit, contra rem publicam versa; proscriptionem civium, divisiones agrorum ne ipsis quidem qui fecere, laudatas. sane Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos, quamquam fas sit privata odia publicis utilitatibus remittere: sed Pompeium imagine pacis, sed Lepidum specie amicitiae deceptos; post Antonium, Tarentino Brundisinoque foedere et nuptiis sororis inlectum, subdolae adfinitatis poenas morte exsolvisse. pacem sine dubio post haec, verum cruentam: Lollianas Varianasque clades, interfectos Romae Varrones, Egnatios, Iulos. nec domesticis abstinebatur: abducta Neroni uxor et consulti per ludibrium pontifices, an concepto necdum edito partu rite nuberet; Q. Tedi et Vedii Pollionis luxus; postremo Livia gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum noverca. nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet. ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successorem adscitum; sed quoniam adrogantiam saevitiamque eius introsperit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse. Etenim Augustus paucis ante annis cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursus postularet, quamquam honora oratione, quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat, quae velut excusando exprobraret.

- 11 Ceterum sepultura more perfecta templum et caelestes religiones decernuntur. versae inde ad Tiberium preces: et ille varie disserebat de magnitudine imperii, sua modestia: solam divi Augusti mentem tantae molis capacem; se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse, quam arduum, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus. proinde in civitate tot inlustribus viris subnixi non ad unum omnia deferrent: plures facilius munia rei publicae sociatis laboribus exsecuturos. Plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat; Tiberioque etiam in

p. Ch. 14.

rebus quas non occuleret, seu natura sive adsuetudine suspensa semper et obscura verba: tunc vero nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. at patres, quibus unus metus si intellegere viderentur, in questus, lacrimas, vota effundi; ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere, cum proferri libellum recitarique iussit: opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes; regna, provinciae, tributa aut vectigalia et necessitates ac largitiones; quae cuncta sua manu perscripserat Augustus addideratque consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidiam.

Inter quae senatu ad infimas obtestationes procumbente 12 dixit forte Tiberius se ut non toti rei publicae parem, ita quaecumque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum; tum Asinius Gallus: „interrogo,“ inquit, „Caesar, quam partem rei publicae mandari tibi velis.“ percussus improvisa interrogatione paulum reticuit: dein collecto animo respondit nequaquam decorum pudori suo legere aliquid aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet. rursus Gallus — etenim vultu offensionem coniectaverat — non idcirco interrogatum ait, ut divideret quae separari nequirent, sed ut sua confessione argueretur unum esse rei publicae corpus atque unius animo regendum; addidit laudem de Augusto Tiberiumque ipsum victoriarum suarum quaeque in toga per tot annos egregie fecisset admonuit: nec ideo iram eius lenivit, pridem invisus, tamquam ducta in matrimonium Vipsania, M. Agrippae filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agitare Pollionisque Asinii patris ferociam retineret.

Post quae L. Arruntius haud multum discrepans a Galli 13 oratione perinde offendit, quamquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira; sed divitem, promptum, artibus egregiis et pari fama publice, suspectabat. quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent aut in pares vellent vel iidem possent cuperentque, M. Lepidum dixerat capacem sed aspernantem, Gallum Asinium avidum et minorem, L. Arruntium non indignum et, si casus daretur, ausurum. de prioribus consen-

titur, pro Arruntio quidam Cn. Pisonem tradidere; omnesque praeter Lepidum variis mox criminibus struente Tiberio circumventi sunt. etiam Q. Haterius et Mamercus Scaurus suspicacem animum perstrinxere, Haterius cum dixisset „quousque patieris, Caesar, non adesse caput rei publicae?“ Scaurus quia dixerat spem esse ex eo non inritas fore senatus preces, quod relationi consulum iure tribuniciae potestatis non intercessisset. in Haterium statim invecus est; Scaurum, cui inplacabilis irascebatur, silentio tramisit. fessusque clamore omnium, expostulatione singulorum flexit paulatim, non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negare et rogari desineret. constat Haterium, cum deprecandi causa palatium introisset ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius casu an manibus eius impeditus prociderat; neque tamen periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret eiusque curatissimis precibus protegeretur.

14 Multa patrum et in Augustam adulatio: alii parentem, alii matrem patriae appellandam, plerique ut nomini Caesaris adscriberetur Iuliae filius censebant: ille moderandos feminarum honores dictitans eademque se temperantia usurum in his quae sibi tribuerentur, ceterum anxius invidia et muliebri fastigium in deminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est aramque adoptionis et alia huiusmodi prohibuit. at Germanico Caesari proconsulare imperium petivit, missique legati qui deferrent, simul maestitiam eius ob excessum Augusti solarentur. quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa, quod designatus consul Drusus praesensque erat. candidatos praeturae duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum; et hortante senatu ut auget, iure iurando obstrinxit se non excessurum.

15 Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant; neque populus ademptum ius questus est nisi inani rumore, et senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus libens tenuit, moderante Tiberio ne plures quam quattuor candidatos commendaret, sine repulsa et ambitu designandos. inter quae tribuni plebei petivere ut

p. Ch. 14.

proprio sumptu ederent ludos qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur: sed decreta pecunia ex aera-rio, utque per circum triumphali veste uterentur; curru vehi haud permissum. mox celebratio *post** annum ad praetorem translata cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset.

Hic rerum urbanarum status erat, cum Pannonicas le- 16
giones seditio incessit, nullis novis eausis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum et ex civili bello spem praemiorum ostendebat. castris aestivis tres simul legiones habebantur, praesidente Iunio Blaeso, qui fine Augusti et initis Tiberii auditis ob iustitium aut gaudium intermiserat solita munia: eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cuiusque sermonibus praebere aures, denique luxum et otium cupere, disciplinam et laborem aspernari. erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua et miscere coetus histrionali studio doctus; is imperitos animos et quanam post Augustum militiae conditio ambigentes impellere paulatim nocturnis conloquiis, aut flexo in vesperam die et dilapsis melioribus deterrimum quemque congregare; postremo promptis iam et aliis seditionis ministris velut con- 17
tionabundus interrogabat: cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis in modum servorum oboedirent? quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent? satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes et plerique truncato ex vulneribus corpore tolerant. ne dimissis quidem finem esse militiae, sed apud vexillum tendentes alio vocabulo eosdem labores perferre; ac si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculca montium accipiant. enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam et corpus aestimari; hinc vestem, arma, tentoria, hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi: at hercule verbera et vulnera, duram hiemem, exercitas aestates, bellum atrox aut sterilem pacem sempiterna. nec aliud levamentum quam si certis sub legibus militia iniretur, ut singu-

los denarios mererent, sextus decumus stipendii annus finem adferret, ne ultra sub vexillis tenerentur, sed isdem in castris praemium pecunia solveretur. an praetorias cohortes, quae binos denarios acceperint, quae post sedecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? non obtrectari a se urbanas excubias: sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici.

- 18 Adstrepebat vulgus, diversis incitamentis, hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes; postremo eo furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agitaverint. depulsi aemulatione, quia suae quisque legioni eum honorem quaerebant, alio vertunt atque una tres aquilas et signa cohortium locant; simul congerunt caespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. properantibus Blaesus advenit: increpabatque ac retinebat singulos, clamitans „mea potius caede imbuite manus: levioere flagitio legatum interficietis quam ab imperatore desciscitis; aut incolumis fidem legionum retinebo, aut iugulatus paenitentiam adcelerabo.“
- 19 aggerabatur nihilo minus caespes, iamque pectori usque adcreverat, cum tandem pervicacia victa inceptum omisere. Blaesus multa dicendi arte non per seditionem et turbas desideria militum ad Caesarem ferenda ait: neque veteres ab imperatoribus priscis neque ipsos a divo Augusto tam nova petivisse; et parum in tempore incipientes principis curas onerari; si tamen tenderent in pace temptare quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditentur? decernerent legatos seque coram mandata darent. Adclamavere ut filius Blaesi tribunus legatione ea fungeretur peteretque militibus missionem ab sedecim annis: cetera mandatueros ubi prima provenissent. profecto iuvene modicum otium; sed superbire miles, quod filius legati orator publicae causae satis ostenderet necessitate expressa quae per modestiam non obtinuissent.
- 20 Interea manipuli ante coeptam seditionem Nauportum missi ob itinera et pontes et alios usus, postquam turbatum in castris acceperere, vexilla convellunt direptisque proximis vicis ipsoque Nauporto, quod municipii instar

p. Ch. 14.

erat, retinentis centuriones inrisu et contumeliis, postremo verberibus insectantur, praecipua in Aufdientum Rufum, praefectum castrorum, ira, quem dereptum vehiculo sarcinis gravant aguntque primo in agmine, per ludibrium rogitantes an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret. quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus, antiquam duramque militiam revocabat, intentus operis ac laboris, et eo immitior quia toleraverat. horum adventu redintegratur seditio, et vagi circumiecta 21 populabantur. Blaesus paucos, maxime praeda onustos, ad terrorem ceterorum adfici verberibus, claudi carcere iubet; nam etiam tum legato a centurionibus et optimo quoque manipularium parebatur: illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque cuius manipularis erat, cohortem, legionem, eadem omnibus imminere clamitantes; simul probra in legatum cumulant, caelum ac deos obtestantur, nihil reliqui faciunt quo minus invidiam, misericordiam, metum et iras permoverent. adcurritur ab universis, et carcere effracto solvunt vincula desertoresque ac rerum capitalium damnatos sibi iam miscent. flagrantior 22 inde vis, plures seditioni duces: et Vibulenus quidam, gregarius miles, ante tribunal Blaesi adlevatus circumstantium humeris apud turbatos et quid pararet intentos „vos quidem“ inquit „his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. responde, Blaese, ubi cadaver abieceris; ne hostes quidem sepultura invident. cum osculis, cum lacrimis dolorem meum implevero, me quoque trucidari iube, dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant.“ incendebat haec fletu, et 23 pectus atque os manibus verberans, mox disiectis quorum per humeros sustinebatur, praeceps et singulorum pedibus advolutus tantum consternationis invidiaeque concivit, ut pars militum gladiatores qui e servitio Blaesi erant, pars ceteram eiusdem familiam vincirent, alii ad quaerendum

corpus effunderentur: ac ni prope neque corpus ullum reperiri, et servos adhibitis cruciatibus abnuere caedem, neque illi fuisse umquam fratrem pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant. tribunos tamen ac praefectum castrorum extrudere; sarcinae fugientium direptae; et centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum „Cedo alteram“ indiderant, quia fracta vite in tergo militis alteram clara voce ac rursus aliam poscebat; ceteros latebrae texere, uno retento Clemente Iulio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus ob promptum ingenium. quin ipsae inter se legiones octava et quinta decima ferrum parabant, dum centurionem cognomento Sirpicum illa morti deprecatur, quintadecumani tuentur, ni miles nonanus preces et adversum aspernantis minas interiecisset.

24 Haec audita quamquam abstrusum et tristissima quaeque maxime occultantem Tiberium perpulere ut Drusum filium cum primoribus civitatis duabusque praetoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis, ex re consulturum. et cohortes delecto milite supra solitum firmatae. additur magna pars praetoriani equitis et robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant; simul praetorii praefectus Aelius Seianus, collega Straboni, patri suo, datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector iuveni et ceteris periculorum praemiorumque ostentator.

Druso propinquanti quasi per officium obviae fuere legiones, non laetae, ut adsolet, neque insignibus fulgentes, sed inlucie deformi et vultu, quamquam maestitiam imitarentur, contumaciae propiores. postquam vallum introiit, portas stationibus firmant, globos armatorum certis castrorum locis opperiri iubent; ceteri tribunum ingenti agmine circumveniunt. stabat Drusus, silentium manu poscens; illi quotiens oculos ad multitudinem rettulerant, vocibus truculentis strepere, rursum viso Caesare trepidare; murmur incertum, atrox clamor et repente quies; diversis animorum motibus pavebant terrebantque: tandem interrupto tumultu litteras patris recitat, in quibus perscriptum erat praecipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurima bella toleravisset; ubi primum a luctu re-

p. Ch. 14.

quiesset animus, acturum apud patres de postulatis eorum; misisse interim filium, ut sine cunctatione concederet quae statim tribui possent; cetera senatui servanda, quem neque gratiae neque severitatis expertem haberi par esset.

Responsum est a contione mandata Clementi centurioni 26 quae perferret. is orditur de missione a sedecim annis, de praemiis finitae militiae; ut denarius diurnum stipendium foret; ne veterani sub vexillo haberentur. ad ea Drusus cum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur: cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla beneficiis licentia? at hercule verbera et necem cunctis permitti. Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum rettulisse. numquamne nisi ad se filios familiarum venturos? novum id plane quod imperator sola militis commoda ad senatum reiciat; eundem ergo senatum consulendum quotiens supplicia aut proelia indicantur: an praemia sub dominis, poenas sine arbitro esse?

Postremo deserunt tribunal, ut quis praetorianorum 27 militum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes, causam discordiae et initium armorum, maxime infensi Cn. Lentulo, quod is ante alios aetate et gloria belli, firmare Drusum credebatur et illa militiae flagitia primus aspernari; nec multo post digredientem cum Caesare ac provisu periculi hiberna castra repetentem circumstant, rogitantes quo pergeret? ad imperatorem an ad patres? ut illic quoque commodis legionum adversaretur? simul ingruunt, saxa iaciunt: iamque lapidis ictu cruentus et exitii certus adcurso multitudinis quae cum Druso advenerat protectus est.

Noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit: 28 nam luna claro repente caelo visa languescere; id miles rationis ignarus omen praesentium accepit, [a] suis laboribus defectionem sideris adsimulans, prospereque cessura quae pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur; igitur aeris sono, tubarum cornuumque concentu strepere; prout splendidior obscuriorve, laetari aut maerere; et postquam ortae nubes offecere visui creditumque conditam

tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes, sibi aeternum laborem portendi, sua facinora aversari deos lamentantur. utendum inclinatione ea Caesar et quae casus obtulerat in sapientiam vertenda ratus circumiri tentoria iubet; accitur centurio Clemens et si alii bonis artibus grati in vulgus: ii vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. „quousque filium imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennius et Vibulenus sacramentum dicturi sumus? Percennius et Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? denique pro Neronibus et Drusis imperium populi Romani capessent? quin potius, ut novissimi in culpam, ita primi ad paenitentiam sumus? tarda sunt quae in commune expostulantur: privatam gratiam statim mereare, statim recipias.“ commotis per haec mentibus et inter se suspectis tironem a veterano, legionem a legione dissociant. tum redire paulatim amor obsequii: omittunt portas, signa unum in locum principio seditionis congregata suas in sedes referant.

- 29 Drusus orto die et vocata confione, quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita incusat auctora, probat praesentia; negat se terrore et minis vinci: flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri ut placatus legionum preces exciperet. orantibus rursus idem Blaeus et L. Apronius, eques Romanus e cohorte Drusi, Iustusque Catonius, primi ordinis centurio, ad Tiberium mittuntur. certatum inde sententiis, cum alii opperandos legatos atque interim comitate permulcendum militem censerent, alii fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum; terrere, ni paveant; ubi pertimuerint, inpune contemni: dum superstitio urgeat, adiciendos ex duce metus sublatis seditionis auctoribus. Promptum ad asperiora ingenium Druso erat: vocatos Vibulenum et Percennium interfici iubet; tradunt plerique intra tabernaculum ducis
- 30 obrutos, alii corpora extra vallum abiecta ostentui. tum ut quisque praecipuus turbator, conquisiti; et pars extra castra palantes a centurionibus aut praetoriarum cohortium militibus caesi; quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. auxerat militum curas praematura hiems imbri-

p. Ch. 14.

bus continuis adeoque saevis ut non egredi tentoria, congregari inter se, vix tutari signa possent, quae turbine atque unda raptabantur. durabat et formido caelestis irae, nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates: non aliud malorum levamentum quam si linquerent castra infausta temerataque et soluti piaculo suis quisque hibernis redderentur. primum octava, dein quinta decuma legio rediere; nonanus opperendas Tiberii epistulas clamitaverat, mox desolatus aliorum discessione imminentem necessitatem sponte praevenit. et Drusus non expectato legatorum regressu, quia praesentia satis considerant, in urbem rediit.

Isdem ferme diebus isdem causis Germanicae legiones 31 turbatae, quanto plures, tanto violentius, et magna spe fore ut Germanicus Caesar imperium alterius pati nequiret daretque se legionibus vi sua cuncta tracturis. duo apud ripam Rheni exercitus erant: cui nomen superiori, sub C. Sillio legato; inferiorem A. Caecina curabat; regimen summae rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui tum intentum. sed quibus Silius moderabatur, mente ambigua fortunam seditionis alienae speculabantur: inferioris exercitus miles in rabiem prolapsus est, orto ab uneticesimanis quintanisque initio et tractis, prima quoque ac vicesima legionibus: nam isdem aestivis in finibus Ubiorum habebantur per otium aut levia munia. igitur audito fine Augusti vernacula multitudo nuper acto in urbe dilectu, lasciviae sueta, laborum intolerans, impellere ceterorum rudes animos: venisse tempus quo veterani maturam missionem, iuvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum exposcerent saevitiamque centurionum ulciscerentur. non unus haec, ut Pannonicas inter legiones Percennius, nec apud trepidas militum aures alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque: sua in manu sitam rem Romanam; suis victoriis augeri rem publicam; in suam cognomentum adscisci imperatores. Nec 32 legatus obviam ibat: quippe plurium vaecordia constantiam exemerat. repente lymphati dstrictis gladiis in centuriones invadunt: ea vetustissima militaribus odiis materies et saeviendi principium: prostratos verberibus mulcant,

sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent; tum convulsos laniatosque et partim exanimos ante vallum aut in amnem Rhenum proiciunt. Septimius cum perfugisset ad tribunal pedibusque Caecinae advolveretur, eo usque flagitatus est donec ad exitium dederetur. Cassius Chaerea, mox caede C. Caesaris memoriam apud posteros adeptus, tum adulescens et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. non tribunus ultra, non castrorum praefectus ius obtinuit: vigiliis, stationes, et si qua alia praesens usus indixerat, ipsi partiebantur. id militares animos altius coniectantibus praecipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod [neque disiecti] nil paucorum instinctu, sed pariter ardescerent, pariter silerent, tanta aequalitate et constantia, ut regi crederes.

33 Interea Germanico per Gallias, ut diximus, census accipienti excessisse Augustum adfertur. neptem eius Agrippinam in matrimonio pluresque ex ea liberos habebat, ipse Druso, fratre Tiberii, genitus, Augustae nepos, sed anxius occultis in se patrum aviaeque odiis, quorum causae acriores quia iniquae: quippe Drusi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus; unde in Germanicum favor et spes eadem; nam iuveni civile ingenium, mira comitas et diversa ab Tiberii sermone, vultu, adrogantibus et obscuris. accedebant muliebres offensiones, novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis, atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat.

34 Sed Germanicus quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti; seque *et* proximos et Belgarum civitates in verba eius adigit: dehinc audito legionum tumultu raptim profectus obvias extra castra habuit, deiectis in terram oculis velut paenitentia. postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere; et quidam prensa manu eius per speciem exosculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret; alii curvata senio membra ostendebant. adsistentem contionem, quia permixta videbatur, discedere in manipulos iubet: sic melius audituros responsum; vexilla praeferrere, ut id saltem discerneret co-

p. Ch. 14.

hortes: tarde obtemperavere. tunc a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias triumphosque Tiberii, praecipuis laudibus celebrans quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiae inde consensum, Galliarum fidem extollit; nil usquam turbidum aut discors. silentio haec vel murmure modico audita sunt: ut seditionem 35 attigit, ubi modestia militaris, ubi veteris disciplinae decus, quonam tribunos, quo centuriones exegissent rogatus, nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant; mox indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum ac propriis nominibus incusant vallum, fossas, pabuli, materiae, lignorum adgestus, et si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quaeruntur. atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in isdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant. fuere etiam qui legatam a divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum omnibus; et si vellet imperium, promptos ostentavere. tum vero, quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit; opposuerant abeunti arma, minitantes, ni regrederetur: at ille moriturum potius quam fidem exueret clamitans ferrum a latere diripuit. elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. extrema et conglobata inter se pars conditionis ac, vix credibile dictu, quidam singuli propius incedentes feriret hortabantur; et miles nomine Calusidius strictum obtulit gladium, addito acutiorem esse: saevum id malique moris etiam furentibus visum, ac spatium fuit quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur.

Consultatum ibi de remedio; etenim nuntiabatur parari 36 legatos, qui superiorem exercitum ad causam eandem traherent; destinatum excidio Ubiorum oppidum, imbutasque praeda manus in direptionem Galliarum erupturas; augebat metum gnarus Romanae seditionis et, si omitteretur ripa, invasurus hostis; at si auxilia et socii adversum abscedentis legiones armarentur, civile bellum suscipi; periculosa severitas, flagitiosa largitio: seu nihil militi sive omnia concedentur, in accipiti res publica. igitur volutatis

inter se rationibus placitum ut epistolae nomine principis scriberentur, missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari qui sena dena fecissent ac retineri sub vexillo ceterorum immunes nisi propulsandi hostis; legata quae
 37 petiverant exsolvi duplicarique. Sensit miles in tempus conficta statimque flagitavit: missio per tribunos maturatur; largitio differebatur in hiberna cuiusque. non abscesere quintani unetvicesimanique, donec isdem in aestivis contracta ex viatico amicorum ipsiusque Caesaris pecunia persolveretur. primam ac vicesimam legiones Caecina legatus in civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, cum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas vererentur. Germanicus superiorem ad exercitum profectus secundam et tertiam decumam et sextam decumam legiones nihil cunctatas sacramento adigit; quartadecimani paulum dubitaverant: pecunia et missio quamvis non flagitantibus oblata est.

38 At in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum et praesenti duorum militum supplicio paulum repressi sunt; iusserat id *M.* Ennius, castrorum praefectus, bono magis exemplo quam concesso iure. deinde intumescente motu profugus reperi-tusque, postquam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari. simul exterritis qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, et si quis agmine decessisset, pro desertore fore clamitans reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos.

39 Interea legati ab senatu regressum iam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt. duae ibi legiones, prima atque vicesima, veteranique nuper missi sub vexillo hie-mabant; pavidos et conscientia vaecordes intrat metus: venisse patrum iussu qui inrita facerent quae per seditionem expresserant; utque mos vulgo quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum, consulatu functum, principem legationis, auctorem senatus consulti incusant; et nocte concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt, concursuque ad ianuam facto moliuntur fores, extractum cubili Caesarem tradere vexillum intento

p. Ch. 14.

mortis metu subigunt. mox vagi per vias obvios habuere legatos, audita consternatione ad Germanicum tendentes: ingerunt contumelias, caedem parant, Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat; neque aliud periclitanti subsidium quam castra primae legionis; illic signa et aquilam amplexus religione sese tutabatur, ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset. luce demum, postquam dux et miles et facta noscebantur, ingressus castra Germanicus perducere ad se Plancum imperat, recepitque in tribunal; tum fatalem increpans rabiem, neque militum sed deum ira resurgere, cur venerint legati aperit; ius legationis atque ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur attonitaque magis quam quieta contione legatos praesidio auxiliarum equitum dimittit.

Eo in metu arguere Germanicum omnes, quod non ad 40
superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia et contra rebellis auxilium: satis superque missione et pecunia et mollibus consultis peccatum; vel si vilis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam coniugem inter furentes et omnis humani iuris violatores haberet? illos saltem avo et rei publicae redderet. diu cunctatus aspernantem uxorem, cum se divo Augusto ortam neque degenerem ad pericula testaretur, postremo uterum eius et communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret perpulit. incedebat muliebri et miserabile agmen, profuga ducis uxor parvulum sinu filium gerens, lamentantes circum amicorum coniuges, quae simul trahebantur; nec minus tristes qui manebant. non florentis Caesaris neque suis in castris, sed velut in 41
urbe victa facies; gemitusque ac planctus etiam militum aures oraue advertere; progrediuntur contuberniis: quis ille flebilis sonus? quod tam triste? feminas inlustres; non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriae uxoris aut comitatus soliti; pergere ad Treviros et exterae fidei. pudor inde et miseratio et patris Agrippae, Augusti avi memoria; socer Drusus; ipsa insigni fecunditate, praeclara pudicitia; iam infans in castris genitus, in contuber-

nio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur; sed nihil aequè flexit quam invidia in Treviros. orant, obsistunt: rediret, maneret, pars Agrippinae occursantes, plurimi ad Germanicum regressi; isque ut erat recens dolore et ira, apud circumfusus ita coepit:

- 42 „Non mihi uxor aut filius patre et re publica cariores sunt; sed illum quidem sua maiestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent: coniugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus summoveo, ut quidquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur, neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciat. quid enim per hos dies inausum intemperatumve vobis? quod nomen huic coetui dabo? militesne appellem, qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis? an cives, quibus tam proiecta senatus auctoritas? hostium quoque ius et sacra legationis et fas gentium rupistis. divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando qui sacramentum eius detrectabant; divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit: nos ut nondum eosdem, ita ex illis ortos si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat: primane et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot proeliorum socia, tot praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? hunc ego nuntium patri, laeta omnia aliis e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos non missione, non pecunia satiatos; hic tantum interfici centuriones, eici tribunos, includi legatos; infecta sanguine castra, flumina, meque precariam animam inter infensos trahere. cur enim primo con-
- 43 tionis die ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis, o improvidi amici? melius et amantius ille qui gladium offerebat; cecidissem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius; legissetis duce, qui meam quidem mortem inpunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. neque enim di sinant ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud et claritudo sit, sub-

p. Ch. 14.

venisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos: tua, dive Auguste, caelo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria isdem istis cum militibus, quos iam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam irasque civiles in exitium hostibus vertant. vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi coniugem et filium redditis, discedite a contactu ac dividite turbidos: id stabile ad paenitentiam, id fidei vinculum erit.“

Supplices ad haec et vera exprobrari fatentes orabant 44 puniret noxios, ignosceret lapsis et duceret in hostem; revocaretur coniux, rediret legionum alumnus neve obses Gallis traderetur. reditum Agrippinae excusavit ob imminentem partum et hiemem; venturum filium: cetera ipsi exsequerentur. discurrunt mutati et seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primae C. Caetronium, qui iudicium et poenas de singulis in hunc modum exercuit: stabant pro contione legiones dstrictis gladiis; reus in suggestu per tribunum ostendebatur: si nocentem adclamaverant, praiceps datus trucidabatur. et gaudebat caedibus miles, tamquam semet absolveret, nec Caesar arcebat, quando nullo ipsius iussu penes eosdem saevitia facti et invidia erat. secuti exemplum veterani haud multo post in Raetiam mittuntur, specie defendendae provinciae ob imminentis Suevos, ceterum ut avellerentur castris truncibus adhuc non minus asperitate remedii quam sceleris memoria. centurionatum inde egit: citatus ab imperatore nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quae strenue in proeliis fecisset, et cui erant dona militaria, edebat; si tribuni, si legio industriam innocentiamque adprobaverant, retinebat ordines: ubi avaritiam aut crudelitatem consensu obiectavissent, solvebatur militia.

Sic compositis praesentibus haud minor moles super- 45 erat ob ferociam quintae et unetvicesimae legionum, sexagesimum apud lapidem — loco Vetera nomen est — hibernantium; nam primi seditionem coeptaverant; atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum; nec poena commilitonum exterriti nec paenitentia conversi iras retinebant. igitur Caesar arma, classem, socios de-

mittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus.

- 46 At Romae nondum cognito, qui fuisset exitus in Illyrico, et legionum Germanicarum motu audito trepida civitas incusare Tiberium quod, dum patres et plebem, invalida et inermia, cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles neque duorum adulescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat: ire ipsum et opponere maiestatem imperatoriam debuisse cessuris, ubi principem longa experientia eundemque severitatis et munificentiae summum vidissent. an Augustum fessa aetate totiens in Germanias commeari potuisse: Tiberium vigentem annis sedere in senatu, verba patrum cavillantem? satis prospectum urbanae servituti: militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint.
- 47 Inmotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit non omittere caput rerum neque se remque publicam in casum dare; multa quippe et diversa angebant: validior per Germaniam exercitus, propior apud Pannoniam; ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiae imminens: quos igitur anteferet? ac ne postpositi contumelia incenderentur. at per filios pariter adiri, maiestate salva, cui maior e longinquo reverentia; simul adulescentibus excusatum quaedam ad patrem reicere, resistantisque Germanico aut Druso posse a se mitigari vel infringi: quod aliud subsidium, si imperatorem sprevisset? ceterum ut iam iamque iturus legit comites, conquisivit impedimenta, adornavit naves: mox hiemem aut negotia varie causatus primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit.
- 48 At Germanicus, quamquam contracto exercitu et parata in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consularent, praemittit litteras ad Caecinam, venire se valida manu ac, ni supplicium in malos praesumant, usurum promisca caede: eas Caecina aquiliferis signiferisque et quod maxime castrorum sincerum erat occulte recitat, utque cunctos infamiae, se ipsos morti eximant hortatur; nam in pace causas et merita spectari: ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere. Illi temptatis quos idoneos rebantur, post-

p. Ch. 14.

quam maiorem legionum partem in officio vident, de sententia legati statuunt tempus quo foedissimum quemque et seditioni promptum ferro invadant; tunc signo inter se dato inrumpunt contubernia, trucidant ignaros nullo nisi consciis noscente quod caedis initium, quis finis. diversa 49 omnium quae umquam accidere civilium armorum facies: non proelio, non adversis e castris, sed isdem e cubilibus, quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela; clamor, vulnere, sanguis palam, causa in occulto; cetera fors regit; et quidam bonorum caesi, postquam intellecto in quos saeviretur, pessimi quoque arma rapuerant; neque legatus aut tribunus moderator adfuit: permissa vulgo licentia atque ultio et satietas. mox ingressus castra Germanicus, non medicinam illud plurimis eum lacrimis sed cladem appellans, cremari corpora iubet.

Truces etiam tum animos cupido involat eundem in hostem, piaculum furoris; nec aliter posse placari commilitonum manes quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. sequitur ardorem militum Caesar iunctoque ponte tramittit duodecim milia e legionibus, sex et viginti socias cohortis, octo equitum alas, quarum ea seditione intemperate modestia fuit. laeti neque procul Germani agitabant, 50 dum iustitia ob amissum Augustum, post discordiis attinemur. at Romanus agmine propero silvam Caesiam limitemque a Tiberio coeptum scindit, castra in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera concaedibus munitus; inde saltus obscuros permeat consultatque ex duobus itineribus breve et solitum sequatur an impeditius et intemptatum eoque hostibus incautum: delecta longiore via cetera adcelerantur; etenim attulerant exploratores festam eam Germanis noctem ac sollempnibus epulis ludicram. Caecina cum expeditis cohortibus praecire et obstantia silvarum amoliri iubetur; legiones modico intervallo sequuntur. iuvat nox sideribus inlustris, ventumque ad vicos Marsorum et circumdatae stationes stratis etiam tum per cubilia propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigiliis: adeo cuncta incuria disiecta erant, neque belli timor ac ne pax quidem nisi languida et soluta inter temulentos. Caesar 51

avidas legiones, quo latior populatio foret, quattuor in cuneos dispergit; quinquaginta milium spatium ferro flammisque pervastat: non sexus, non aetas miserationem attulit; profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus templum quod Tamfanae vocabant, solo aequantur. sine vulnere milites, qui semisomnos, inermes aut palantis ceciderant. excivit ea caedes Bructeros, Tubantes, Usipetes; saltusque per quos exercitui regressus, insedere; quod gnarum duci, incessitque itineri et proelio: pars equitum et auxiliariae cohortes ducebant, mox prima legio, et mediis impedimentis sinistrum latus unetvicesimani, dextrum quintani clausere; vicesima legio terga firmavit; post ceteri sociorum. sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti, dein latera et frontem modice adsultantes, tota vi novissimos incurrere: turbabanturque densis Germanorum catervis leves cohortes, cum Caesar advectus ad vicesimanos voce magna hoc illud tempus obliterandae seditionis clamitabat; pergerent, properarent culpam in decus vertere. exarsere animis, unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta caeduntque; simul primi agminis copiae evasere silvas castraque communivere. quietum inde iter; fidensque recentibus ac priorum oblitus miles in hibernis locatur.

52 Nuntiata ea Tiberium laetitia curaque adfecere: gaudebat oppressam seditionem; sed quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset, bellica quoque Germanici gloriaangebatur: rettulit tamen ad senatum de rebus gestis multaque de virtute eius memoravit, magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur. paucioribus Drusum et finem Illyrici motus laudavit, sed intentior et fida oratione; cunctaque quae Germanicus indulserat servavit etiam apud Pannonicos exercitus.

53 Eodem anno Iulia supremum diem obiit, ob impudicitiam olim a patre Augusto Pandateria insula, mox oppido Reginorum qui Siculum fretum accolunt clausa. fuerat in matrimonio Tiberii florentibus Gaio et Lucio Caesaribus spreveratque ut imparem; nec alia tam intima Tiberio causa cur Rhodum abscederet; imperium adeptus

p. Ch. 14. 15.

extorrem, infamem et post interfectum Postumum Agrippam omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit, obscuram fore necem longinquitate exilii ratus. par causa saevitiae in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, sollers ingenio et prave facundus, eandem Iuliam in matrimonio Marci Agrippae temeraverat; nec is libidini finis: traditam Tiberio pervicax adulter contumacia et odiis in maritum accendebat, litteraeque quas Iulia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositae credebantur; igitur amotus Cercinam, Africi maris insulam, quattuordecim annis exilium toleravit: tunc milites ad caedem missi invenere in prominenti litoris nihil laetum opperientem; quorum adventu breve tempus petivit, ut suprema mandata uxori Alliariae per litteras daret, cervicemque percussoribus obtulit, constantia mortis haud indignum Sempronio nomine: vita degeneraverat. quidam non Roma eos milites sed ab L. Asprenate, proconsule Africae, missos tradidere, auctore Tiberio, qui famam caedis posse in Asprenatem verti frustra speraverat.

Idem annus novas caerimonias accepit addito sodalium 54
Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tattius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat; sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti; Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus adiciuntur. ludos Augustales tunc primum coeptos turbavit discordia ex certamine histionum; indulserat ei ludicro Augustus, dum Maecenati obtemperat effuso in amorem Bathylli; neque ipse abhorrebat talibus studiis, et civile rebatur misceri voluptatibus vulgi: alia Tiberio morum via; sed populum per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.

DRUSO CAESARE, C. NORBANO consulibus decernitur Ger- 55
manico triumphus manente bello; quod quamquam in aestatem summa ope parabat, initio veris et repentino in Chattos excursu praecepit; nam spes incesserat dissidere hostem in Arminium ac Segestem, insignem utrumque perfidia in nos aut fide: Arminius turbator Germaniae; Segestes parari rebellionem saepe alias et supremo convivio, post quod in arma itum, aperuit suasitque Varo ut se et Arminium et ceteros proceres vinciret: nihil ausuram plebem

principibus amotis, atque ipsi tempus fore quo crimina et innoxios discerneret: sed Varus fato et vi Arminii cecidit; Segestes, quamquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam eius alii pactam rapuerat; gener invisus; inimici sociari; quaeque apud concordem vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant.

- 56 Igitur Germanicus quattuor legiones, quinque auxiliarium milia et tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium Caecinae tradit; totidem legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit, positoque castello super vestigia paterni praesidii in monte Tauno expeditum exercitum in Chattos rapit, L. Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto; nam — rarum illi caelo — siccitate et annibus modicis inoffensum iter properaverat, imbresque et fluminum auctus regredienti metuebantur. sed Chattis adeo improvisus advenit, ut, quod imbecillum aetate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit; iuventus flumen Adranam nando transierat, Romanosque pontem coeptantis arcebant; dein tormentis sagittisque pulsus, temptatis frustra conditionibus pacis, cum quidam ad Germanicum per fugissent, reliqui omissis pagis vicisque in silvas disperguntur. Caesar incenso Mattio — id genti caput — aperta populatus vertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium lacessere, quod illi moris, quotiens astu magis quam per formidinem cessit. fuerat animus Cheruscis iuvare Chattos; sed exterruit Caecina huc illuc ferens arma, et Marsos congregari ausos prospero proelio cohibuit.
- 57 neque multo post legati a Segeste venerunt auxilium orantes adversus vim popularium, a quibus circumsedebatur, validiore apud eos Arminio, quoniam bellum suadebat: nam barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus rebusque motis potior habetur. addiderat Segestes legatis filium, nomine Segimundum; sed iuvenis conscientia cunctabatur: quippe anno quo Germaniae descivere, sacerdos apud aram Ubiorum creatus ruperat vittas, profugus ad rebelles; adductus tamen in spem clementiae Romanae pertulit patris mandata benigneque exceptus cum praesidio Gallicam in ripam missus est. Germanico pretium fuit convertere agmen;

p. Ch. 16.

pugnatumque in obsidentis, et ereptus Segestes magna cum propinquorum et clientium manu; inerant feminae mobiles, inter quas uxor Arminii eademque filia Segestis, mariti magis quam parentis animo, neque victa in lacrimas neque voce supplex, compressis intra sinum manibus gravidum uterum intuens. ferebantur et spolia Varianae cladis, plerisque eorum qui tum in deditionem veniebant praedae data; simul Segestes ipse, ingens visu et memoria bonae societatis inpavidus; verba eius in hunc modum fuere:

„Non hic primus erga populum Romanum fidei et constantiae dies: ex quo a divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi, neque odio patriae — quippe proditores etiam iis quos anteponunt invisum sunt —, verum quia Romanis Germanisque idem conducere et pacem quam bellum probabam. ergo raptorem filiae meae, violatorem foederis vestri, Arminium apud Varum, qui tum exercitui praesidebat, reum feci; dilatus segnitia ducis, quia parum praesidii in legibus erat, ut me et Arminium et conscios vinceret flagitavi; testis illa nox mihi, utinam potius novissima! quae secuta sunt, defleri magis quam defendi possunt; ceterum et iniecti catenas Arminio, et a factione eius iniectas perpressus sum. atque ubi primum tui copia, vetera novis et quieti turbidis antehabeo, neque ob praemium, sed ut me perfidia exsolvam, simul genti Germanorum idoneus conciliator, si paenitentiam quam perniciem maluerit. pro iuventae et errore filii veniam precor; filiam necessitate huc adductam fateor: tuum erit consultare utrum praevaleat quod ex Arminio concepit an quod ex me genita est.“

Caesar clementi responso liberis propinquisque eius incolunitatem, ipsi sedem veterem in provincia pollicetur. exercitum reduxit nomenque imperatoris auctore Tiberio accepit. Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit; educatus Ravennae puer quo mox ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo.

Fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Arminium super insitam violentiam rapta

uxor, subiectus servitio uxoris uterus vœcordem agebant, volitabatque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Caesarem poscens; neque probris temperabat: egregium patrem, magnum imperatorem, fortem exercitum, quorum tot manus unam mulierculam avexerint; sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse; non enim se proditione neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare; cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana quae dis patriis suspenderit. coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium, dominum: Germanos numquam satis excusaturos quod inter Albin et Rhenum virgas et secures et togam viderint. aliis gentibus ignorantia imperii Romani inexpertata esse supplicia, nescia tributa; quae quoniam exuerint inritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne inperitum adolescentulum, ne seditiosum exercitum pavescerent. si patriam, parentes, antiqua mallent quam dominos et colonias novas, Arminium potius gloriae ac libertatis quam Segestem flagitiosae servitutis ducem sequerentur.

60 Conciti per haec non modo Cherusci sed conterminae gentes, tractusque in partis Inguiomerus, Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate; unde maior Caesari metus; et ne bellum mole una ingrueret, Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit, equitem Peditum praefectus finibus Frisiorum ducit: ipse inopitas navibus quattuor legiones per lacus vexit; simulque pedes, eques, classis apud praedictum amnem convenere. Chauca cum auxiliis pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentis expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit; interque caedem et praedam repperit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam.

Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam et Lupiam amnes inter, vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiae Vari legionumque insepultae dicebantur. igitur cupido Caesarem invadit solvendi suprema militibus ducique, permoto ad mi-
61 serationem omni qui aderat exercitu ob propinquos, amicos,

p. Ch. 15.

denique ob casus bellorum et sortem hominum. praemisso Caecina, ut occulta saltuum scrutaretur pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret, incedunt maestos locos visuque ac memoria deformis. prima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant; dein semiruto vallo, humili fossa accisae iam reliquiae consedissee intellegebantur; medio campi albertia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disiecta vel aggerata; adiacebant fragmina telorum equorumque artus. lucis propinquis barbarae arae, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant; simul truncis arborum antefixa ora. et cladis eius superstites, pugnam aut vincula elapsi, referebant hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas; primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextera et suo ictu mortem invenerit; quo tribunali contionatus Arminius, quot patibula captivis, quae scrobes; utque signis et aquilis per superbiam inluserit. igitur Romanus qui aderat exercitus sextum post cladis 62 annum trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias an suorum humo teget, omnes ut coniunctos, ut consanguineos aucta in hostem ira maesti simul et infensi condebant; primum extruendo tumulo caespitem Caesar posuit, gratissimo munere in defunctos et praesentibus doloris socius: quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine caesorum insepultorumque tardatum ad proelia et formidolosiore hostium credebat, neque imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis praeditum adtrectare feralia debuisse.

Sed Germanicus cedentem in avia Arminium secutus, 63 ubi primum copia fuit, evehi equites campumque quem hostis insederat eripi iubet. Arminius colligi suos et propinquare silvis monitos vertit repente; mox signum prorumpendi dedit iis quos per saltus occultaverat: tunc nova acie turbatus eques; missaeque subsidiariae cohortes et fugientium agmine impulsae auxerant consternationem, trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Caesar productas legiones instruxisset: inde hostibus terror, fiducia militi; et manibus aequis absces-

sum. mox reducto ad Amisiam exercitu legiones classe, ut advexerat, reportat; pars equitum litore Oceani petere Rhenum iussa; Caecina, qui suum militem ducebat, monitus, quamquam notis itineribus regrederetur, Pontes longos quam maturrime superare: angustus is trames vastas inter paludes et quondam a L. Domitio aggeratus; cetera limosa, tenacia gravi caeno aut rivis incerta erant; circum silvae paulatim adclives; quas tum Arminius implevit, compendiis viarum et cito agmine onustum sarcinis armisque militem cum antevenisset. Caecinae dubitanti quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret simulque propulsaret hostem, castra metari in loco placuit, ut opus et alii

64 proelium inciperent. barbari perfringere stationes seque inferre munitoribus nisi, lacesunt, circumgrediuntur, occursant; miscetur operantium bellantiumque clamor; et cuncta pariter Romanis adversa: locus uligine profunda; idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus; corpora gravia loriceis; neque librare pila inter undas poterant: contra Cheruscis sueta apud paludes proelia, proceram membra, hastae ingentes ad vulnera faciendi quamvis procul. nox demum inclinantis iam legiones adversae pugnae exemit. Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumpta quiete, quantum aquarum circum surgentibus iugis oritur vertere in subiecta; mersaque humo et obruto quod effectum operis duplicatus militi labor. quadagesimum id stipendium Caecina parendi aut imperitandi habebat, secundarum ambiguarumque rerum sciens eoque interritus; igitur futura volvens non aliud repperit quam ut hostem silvis coeceret, donec saucii quantumque gravioris agminis anteirent; nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quae tenuem aciem pateretur. deliguntur legiones quinta dextro lateri, unetvicesima in laevum, primani ducendum ad agmen, vicesimanus adversum secuturos.

65 Nox per diversa inquires, cum barbari festis epulis, laeto cantu aut truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent; apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adiacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles; ducentumque

p. Ch. 15.

terrui dira quies: nam Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est velut vocantem, non tamen obsecutus et manum [in]tendentis repulisse. coepta luce missae in latera legiones metu an contumacia locum deseruere, capto propere campo humentia ultra; neque tamen Arminius, quamquam libero incursu, statim prorupit, sed ut haesere caeno fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo utque tali in tempore, sibi quisque properus et lentae adversum imperia aures, inrumpere Germanos iubet, clamitans „en Varus est eodemque iterum fato vinctae legiones!“ simul haec, et cum delectis scindit agmen equisque maxime vulnera ingerit: illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes excussis rectoribus discere obvios, proterere iacentes. plurimus circa aquilas labor, quae neque ferri adversum ingruentia tela neque figi limosa humo poterant. Caecina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset; iuivit hostium aviditas, ommissa caede praedam sectantium; enisaeque legiones vesperscente die in aperta et solida. neque is miseriarum finis: struendum vallum, petendus agger; amissa magna ex parte per quae egeritur humus aut exciditur caespes; non tentoria manipulis, non fomenta sauciis: infectos caeno aut cruore cibos dividentes funestas tenebras et tot hominum milibus unum iam reliquum diem lamentabantur.

Forte equus abruptis vinculis vagus et clamore territus quosdam occurrentium obturbavit: tanta inde consternatio inrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas; quarum decumana maxime petebatur, aversa hosti et fugientibus tutior. Caecina comperto vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obsistere aut retinere militem quiret, proiectus in limine portae miseratione demum, quia per corpus legati eundem erat, clausit viam; simul tribuni et centuriones falsum pavorem esse docuerant. tunc contractos in principia iussosque dicta cum silentio accipere temporis ac necessitatis monet: unam in armis salutem, sed ea consilio temperanda, manendumque intra vallum

donec expugnandi hostes spe propius succederent; mox undique erumpendum: illa eruptione ad Rhenum perveniri; quod si fugerent, pluris silvas, profundas magis paludes, saevitiam hostium superesse: at victoribus decus, gloriam. quae domi cara, quae in castris honesta, memorat; reticuit de adversis. equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribunorumque, nulla ambitione fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes in hostem invaderent.

68 Haud minus iniquis Germanus spe, cupidine et diversis ducum sententiis agebat, Arminio sinerent egredi egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent suadente, atrociora Inguiomero et laeta barbaris, ut vallum armis ambirent: promptam expugnationem; plures captivos, incorruptam praedam fore. igitur orta die prouunt fossas, iniciunt crates, summa valli prensant, raro super milite et quasi ob metum defixo: postquam haesere munimentis, datur cohortibus signum, cornuaque ac tubae concinuerunt; exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes non hic silvas nec paludes, sed aequis locis aequos deos. hosti facile excidium et paucos ac semermos cogitanti sonus tubarum, fulgor armorum quanto inopina, tanto maiora offunduntur, cadebantque, ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus pugnam deseruere: vulgus trucidatum est donec ira et dies permansit; nocte demum reversae legiones, quamvis plus vulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret, vim, sanitatem, copias, cuncta in victoria habuere.

69 Pervaserat interim circumventi exercitus fama, et infesto Germanorum agmine Gallias peti; ac ni Agrippina inpositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent: sed femina ingens animi munia ducis per eos dies induit, militibusque, ut quis inops aut saucius, vestem et fomenta dilargita est. tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis, laudes et grates reversis legionibus habentem. id Tiberii animum altius penetravit: non enim simplices eas curas nec adversus externos militum gratiam quaeri; nihil relictum imperatoribus, ubi femina manipulos inter-

p. Ch. 15.

visat, signa adeat, largitionem temptet, tamquam parum ambitiose filium ducis gregali habitu circumferat Caesaremque Caligulam appellari velit; potioem iam apud exercitus Agrippinam quam legatos, quam duces; compressam a muliere seditionem, cui nomen principis obsistere non quiverit. accendebat haec onerabatque Seianus, peritia morum Tiberii odia in longum iaciens quae reconderet auctaque promeret.

At Germanicus legionum quas navibus vexerat secundam et quartam decimam itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret. Vitellius primum iter sicca humo aut modice adlabente aestu quietum habuit; mox impulsu aquilonis, simul sidere aequinoctii, quo maxime tumescit Oceanus, rapi agique agmen; et opplebantur terrae: eadem freto, litori, campis facies, neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis; sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus; iumenta, sarcinae, corpora exanima interfluunt, occursant; permiscentur inter se manipuli, modo pectore, modo ore tenus extantes, aliquando subtracto solo disiecti aut obruti; non vox et mutui hortatus iuvabant adversante unda; nihil strenuus ab ignavo, sapiens ab imprudenti, consilia a casu differre: cuncta pari violentia involvebantur. tandem Vitellius in editiora enisus eodem agmen subduxit; pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haud minus miserabiles quam quos hostis circumsidet: quippe illic etiam honestae mortis usus, his inglorium exitium. lux reddidit terram, penetratumque ad amnem [Visurgin] quo Caesar classe contenderat. impositae dein legiones, vagante fama submersas; nec fides salutis antequam Caesarem exercitumque reduceem videre.

Iam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum, fratrem Segestis, praemissus ipsum et filium eius in civitatem Ubiorum perduxerat: data utrique venia, facile Segimero, cunctantius filio, quia Quintilii Vari corpus inclusisse dicebatur. ceterum ad supplenda exercitus damna certavere Galliae, Hispaniae, Italia, quod cuique promptum, arma, equos, aurum, offerentes; quorum laudato

studio Germanicus, armis modo et equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem iuivit, utque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere; vulnera intuens alium spe, alium gloria, cunctos adloquio et cura sibi et proelio firmabat.

- 72 Decreta eo anno triumphalia insignia A. Caecinae, L. Apronio, C. Silio ob res cum Germanico gestas. nomen patris patriae Tiberius a populo saepius ingestum repudiavit; neque in acta sua iurari, quamquam censente senatu, permisit, cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans: non tamen ideo faciebat fidem civilis animi; nam legem maiestatis reduxerat; cui nomen apud veteres idem, sed alia in iudicium veniebant: si quis prodicione exercitum aut plebem seditionibus, denique male gesta re publica maiestatem populi Romani minuisset; facta arguebantur, dicta inpune erant: primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis eius tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverat; mox Tiberius, consultante Pompeio Macro praetore, an iudicia maiestatis redderentur, exercendas leges esse respondit. hunc quoque asperavere carmina incertis auctoribus vulgata in saevitiam superbiamque eius et discordem cum matre animum.

- 73 Haud pigebit referre in Falanio et Rubrio, modicis equitibus Romanis, praetemptata crimina, ut quibus initiis, quanta Tiberii arte gravissimum exitium inrepperit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit, noscatur. Falanio obiciebat accusator quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quendam mimum corpore infamem adscivisset, quodque venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset; Rubrio crimini dabatur violatum periurio nomen Augusti: quae ubi Tiberio notuere, scripsit consiliis non ideo decretum patri suo caelum ut in perniciem civium is honor verteretur; Cassium histrionem solitum inter alios eiusdem artis interesse ludis quos mater sua in memoriam Augusti sacrasset; nec contra religiones fieri quod effigies eius, ut alia numinum simulacra, venditio-

p. Ch. 15.

nibus hortorum et domuum accedant; ius iurandum perinde aestimandum quam si Iovem fefellisset: deorum iniurias dis curae.

Nec multo post Granium Marcellum, praetorem Bithyniae, quaestor ipsius Caepio Crispinus maiestatis postulavit, subscribente Romano Hispone, qui formam vitae iniit quam postea celebrem miseriae temporum et audaciae hominum fecerunt; nam egens, ignotus, iniquus, dum occultis libellis saevitiae principis adrepat, mox clarissimo cuique periculum facessit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus dedit exemplum quod secuti ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi perniciem aliis ac postremum sibi invenere. sed Marcellum insimulabant sinistros de Tiberio sermones habuisse, inevitabile crimen, cum ex moribus principis foedissima quaeque deligeret accusator obiectaretque reo; nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. addidit Hispo statuam Marcelli altius quam Caesarum sitam, et alia in statua amputato capite Augusti effigiem Tiberii inditam: ad quod exarsit adeo ut rupta taciturnitate proclamaret se quoque in ea causa laturum sententiam, palam et iuratum, quo ceteris eadem necessitas fieret. manebant etiam tum vestigia morientis libertatis; igitur Cn. Piso „quo“ inquit „loco censebis, Caesar? si primus, habebo quod sequar; si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam.“ permotus his, quantoque incautius effererat, paenitentia patiens tulit absolvi reum criminibus maiestatis; de pecuniis repetundis ad reciperatores itum est. nec patrum cognitionibus satius iudiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret; multaque eo coram adversus ambitum et potentium preces constituta: sed dum severitati consulitur, libertas corrumpebatur.

Inter quae Pius Aurelius senator questus mole publicae viae ductuque aquarum labefactas aedis suas, auxilium patrum invocabat; resistentibus aerarii praetoribus, subvenit Caesar pretiumque aedium Aurelio tribuit, erogandae per honesta pecuniae cupiens, quam virtutem diu retinuit, cum ceteras exueret. Propertio Celeri praetorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium largitus

est, satis comperto paternas ei angustias esse. temptantis eadem alios probare causam senatui iussit, cupidine severitatis in iis etiam quae rite faceret, acerbus; unde ceteri silentium et paupertatem confessioni et beneficio praeponere.

76 Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis plana urbis stagnaverat; relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages; igitur censuit Asinius Gallus ut libri Sibyllini adirentur: renuit Tiberius, perinde divina humanaque obtegens; sed remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni et L. Arruntio mandatum. Achaïam ac Macedoniam onera deprecantis levare in praesens proconsulari imperio tradique Caesari placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus praesedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens; quod in vulgus formidolosum, et pater arguisse dicebatur. cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant; alii taedio coetus, quidam tristitia ingenii et metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset; non crediderim ad ostentandam saevitiam movendasque populi offensiones concessam filio materiem, quamquam id quoque dictum est.

77 At theatri licentia, proximo priore anno coepta, gravius tum erupit, occisis non modo e plebe sed militibus et centurione, vulnerato tribuno praetoriae cohortis, dum probra in magistratus et dissensionem vulgi prohibent. actum de ea seditione apud patres dicebanturque sententiae, ut praetoribus ius virgarum in histriones esset: intercessit Haterius Agrippa, tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui praebebat; valuit tamen intercessio, quia divus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat, neque fas Tiberio infringere dicta eius. de modo lucaris et adversus lasciviam fautorum multa decernuntur; ex quis maxime insignia, ne domos pantomimorum senator introiret; ne egredientes in publicum equites Romani cingerent, aut alibi quam in theatro spectarentur; et spectantium immodestiam exilio multandi potestas praetoribus fieret.

78 Templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Au-

p. Ch. 15.

gusto petentibus Hispanis permissum, datumque in omnes provincias exemplum. centesimam rerum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius militare aerarium eo subsidio niti; simul imparem oneri rem publicam, nisi vicesimo militiae anno veterani dimitterentur: ita proximae seditionis male consulta, quibus sedecim stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum.

Actum deinde in senatu ab Arruntio et Ateio, an ob 79 moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus, per quos augetur; auditaque municipiorum et coloniarum legationes, orantibus Florentinis, ne Clanis solito alveo demotus in amnem Arnun transferretur idque ipsis perniciem afferret; congruentia his Interamnates disse-rere: pessum ituros fecundissimos Italiae campos, si amnis Nar — id enim parabat — in rivus diductus superstagnavisset; nec Reatini silebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes: quippe in adiacentia erupturum; optime rebus mortalium consuluisse naturam, quae sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem, ita fines dederit; spectandas etiam religiones maiorum, qui sacra et lucos et aras patriis omnibus dicaverint; quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere. seu preces coloniarum seu difficultas operum sive superstitio valuit ut in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat.

Prorogatur Poppaeo Sabino provincia Moesia, additis 80 Achaia ac Macedonia. id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia ac plerosque ad finem vitae in isdem exercitiis aut iurisdictionibus habere. causae varie traduntur: alii taedio novae curae semel placita pro aeternis servasse; quidam invidia, ne plures fruerentur; sunt qui existiment, ut callidum eius ingenium, ita anxium iudicium; neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat: ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat: qua haesitatione postremo eo proventus est ut mandaverit quibusdam provincias quos egredi urbe non erat passurus.

De comitiis consularibus, quae tum primum illo prin- 81

cipe ac deinceps fuere, vix quicquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores sed in ipsius orationibus reperiuntur: modo subtractis candidatorum nominibus originem cuiusque et vitam et stipendia descripsit, ut qui forent intellexeretur; aliquando ea quoque significatione subtracta, candidatos hortatus ne ambitu comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est; plerumque eos tantum apud se professos disseruit, quorum nomina consulis edidisset, posse et alios profiteri, si gratiae aut meritis confiderent: speciosa verbis, re inania aut subdola, quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensus servitium.

CORNELII TACITI

ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Initia belli Parthici. Phraates, Vononis pater. 2. Vonones popularibus invisus. 3. ab Artabano pulsus, ad Armenios profugus. 4. in Armenia mutatio regum. 5. Germanicus invidia Tiberii revocatus Germanos confestim aggredi parat. 6. classis eius. Rhenus. 7. irruptio in Chattos. ara Drusi restituta. 8. fossa Drusiana. Amisia. in rebelles Angrivarios animadversum. 9. Arminii cum fratre colloquium. 10. inde ira et iurgium. 11. Visurgim transeunt Romani. Batavorum discrimen. Chariovalda caesus. 12. Germanicus militum animos explorat. 13. transfugis praemium pronuntiatum a Germanis, mox castris Romanis adsultatum. 14. 15. Germanici somnium laetum. eius et Arminii orationes ad suos. 16. locus pugnae, campus Idistaviso. acierum instructio. 17. faustum Romanis augurium. fuga Germanorum et clades. 18. tropaeum positum. 19. quo dedecore accensa gens bellum resumit. 20. acriter pugnatum. 21. vincunt tandem Romani, quamquam ambiguo equitum proelio. 22. monumentum et titulus rerum magnificus. 23. milites classe revecti. 24. ex tempestate calamitas et paene exitium. collecti naufragi. 25. hac fortuna erectos denuo Germanos aggreditur Germanicus caeditque. simul aquilam Varianam recipit. 26. tum per invidiam revocatur a Tiberio. 27. Libo Drusus ab amico dela-

tus. 28. accusatus in senatu. 29. 30. cum patronos non reperiret, nec tam sceleris quam vecordiae convinci posset, novo iure servos torqueri in suum caput vidit. 31. iam frustra orato principe Libo se ipse confecit. 32. in defunctum sententiae senatorum. astrologi et magi ex Italia pulsati. 33. luxus publicus leviter coercitus, quem defendit Asinius. 34. Pisonis libertas, Urgulaniae potentia. 35. de rebus proferendis certamen in senatu. 36. Asinii sententia de comitiis a Tiberio reiecta. 37. 38. Hortali levamentum inopiae suae poscentis orationem aspere excipit Tiberius, domum eius ad inopiam delabi patitur. 39. 40. Clementis servi facinus. is Postumum Agrippam se mentitus principi curam inicit, sed Sallustii Crispi dolo captus occiditur. 41. Romae dedicantur nova opera.

Anno proximo triumphat Germanicus. 42. Archelaus rex Cappadocum in urbem accitus perit. 43. oriens turbatus committitur Germanico; Pisoni feroci homini, Syria. 44. Drusus in Illyricum missus, Suevis contra Cheruscos auxilium petentibus. 45. ita inter se discordes Germani accinguntur ad pugnam. Arminii ad suos oratio. 46. Maroboduus item ad suos. atrox proelium. Maroboduus pro victo. 47. 48. terrae motus in Asia. eo afflictos sublevat Tiberius, in alios non minus liberalis. 49. templa quaedam dedicata. 50. Varilla maiestatis postulata. 51. de praetore substituendo contentio. 52. Tacfarinatem et Mazippam bellum in Africa moventes fundit Camillus. triumphalia ei decreta.

53. Germanici varia itinera. 54. consulit in reditu Clarium Apollinem. oraculi ratio. 55. Piso et uxor Plancina Germanicum insectantur; etiam castra corrumpunt. 56. Germanicus Armeniae regem, Cappadociae et Commagenae legatos imponit. 57. Pisonis insolentia in congressu, consilio, conviviis. 58. Vonones Syria demotus.

59. Germanicus Aegyptum petit improbante Tiberio. 60. Canopus. Thebae priscae. 61. statua Memnonis, pyramides, alia. 62. Germanorum discordia, astu Drusi. 63. Maroboduus vi Catualdae pulsus confugit ad Romanos. eadem mox fortuna Catualdae. 64. Rhescuporis, Cotye fratris filio oppresso, Romanam divisionem egressus, illius partem appetit. 65. ipso per fraudem comprehenso universam Thraciam occupat. 66. hinc vocatus ad caussam dicendam Cotyn occidit. 67. Romam perductus et damnatus. 68. Vonones fugam tentat, at deprehensus confoditur. 69. 70. Germanicus aegrotat scelere, ut creditur, Pisonis, cui amicitiam renunciat veteri more. 71. 72. mandata familiaribus ultione datisque coniugi monitis moritur. 73. Alexandro M. comparatus et praelatus. 74. Sentium Syriae praeficitur. 75. Agrippina properat in urbem. 76—78. Pisoni Germanici casu exsultanti reditum in Syriam dissuadet filius, suadet contra Domitium Celer, ac persuadet. 79. Piso vim parans in successorem Sentium obviam fit Agrippinae. 80. castellum occupat, aciem struit; sed pellitur a Sentio. 81. tandem tutum ei iter Romam conceditur. 82. ibi magna ob necem Germanici ira et

luctus. 83. honores ei decreti. 84. Livia Druso gemellos parit. 85. scita in libidinem mulierum. pulsa sacra Aegyptia et Iudaica. 86. capta Vestalis. 87. frumento pretium constitutum. novos honores aversatur Tiberius. 88. Arminii caedes et praeconium.

Haec gesta annis quattuor, coss. T. Statilio Sisenna Tauro et L. Scribonio Libone, C. Caelio Rufo et L. Pomponio Flacco, Ti. Caesare Augusto III. et Germanico Caesare II, M. Iunio Silano et C. Norbano Flacco.

-
- 1 SISENNA STATILIO TAURO, L. LIBONE consulibus mota Orientis regna provinciaeque Romanae, initio apud Parthos orto, qui petitum Roma acceptumque regem, quamvis gentis Arsacidarum, ut externum aspernabantur: is fuit Vonones, obses Augusto datus a Phraate; nam Phraates quamquam depulisset exercitus ducesque Romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat partemque prolis firmandae amicitiae miserat, haud perinde nostri metu quam fidei popularium diffusus.
- 2 Post finem Phraatis et sequentium regum ob internas caedes venire in urbem legati a primoribus Parthis, qui Vononem, vetustissimum liberorum eius, accirent. magnificum id sibi creditit Caesar auxitque opibus, et accepere barbari laetantes, ut ferme ad nova imperia. mox subiit pudor: degeneravisse Parthos; petitum alio ex orbe regem, hostium artibus infectum; iam inter provincias Romanas solium Arsacidarum haberi darique; ubi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium, si mancipium Caesaris, tot per annos servitutem perpessum, Parthis imperitet? accendebat dedignantem et ipse, diversus a maiorum institutis, raro venatu, segni equorum cura; quotiens per urbes incederet, lecticae gestamine, fastuque erga patrias epulas; inridebantur et Graeci comites ac vilissima utensilium anulo clausa; sed prompti aditus, obvia comitas: ignotae Parthis virtutes, nova vitia, et quia ipsorum moribus aliena, perinde odium pravis et honestis.
- 3 Igitur Artabanus, Arsacidarum e sanguine, apud Dahas adultus excitur primoque congressu fusus reparat vires regnoque potitur. victo Vononi per fugium Armenia fuit, vacua tunc interque Parthorum et Romanas opes infida ob scelus Antonii, qui Artavasden, regem Armeniorum,

p. Ch. 16.

specie amicitiae inlectum, dein catenis oneratum, postremo interfecerat; eius filius Artaxias, memoria patris nobis infensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. occiso Artaxia per dolum propinquorum, datus a Caesare Armeniis Tigranes deductusque in regnum a Tiberio Nerone; nec Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis eius, quamquam sociatis more externo in matrimonium regnumque. dein iussu Augusti inpositus Artavasdes et non sine clade nostra deiectus; tum C. Caesar componendae Armeniae deligitur: is Ariobarzanen, origine Medum, ob insignem corporis formam et praeclarum animum volentibus Armeniis praefecit. Ariobarzane morte fortuita absumpto stirpem eius haud toleravere; temptatoque feminae imperio, cui nomen Erato, eaque brevi pulsa, incerti solutique et magis sine domino quam in libertate profugum Vononen in regnum accipiunt: sed ubi minitari Artabanus et parum subsidii in Armeniis vel, si nostra vi defenderetur, bellum adversus Parthos sumendum erat, rector Syriae Creticus Silanus excitem custodia circumdat, manente luxu et regio nomine; quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones, in loco reddemus.

Ceterum Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret novisque provinciis impositum dolo simul et casibus obiectaret. at ille, quanto acriora in eum studia militum et aversa patrum voluntas, celerandae victoriae intentior, tractare proeliorum vias et quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent: fundi Germanos acie et iustis locis, iuvari silvis, paludibus, brevi aestate et praematura hieme; suum militem haud perinde vulneribus quam spatiis itinerum, damno armorum adfici; fessas Gallias ministrandis equis; longum impedimentorum agmen oportunitate ad insidias, defensantibus iniquum: at si mare intretur, promptam ipsis possessionem et hostibus ignotam; simul bellum maturius incipi, legionesque et commeatus pariter vehi; integrum equitem equosque per ora et alveos fluminum media in Germania fore. igitur huc intendit: missis ad census Galliarum P. Vitellio et C. Antio Silius et Anteius et Caecina fabri-

candae classi praeponuntur; mille naves sufficere visae properataeque: aliae breves, angusta puppi proraque et lato utero, quo facilius fluctus tolerarent; quaedam planae carinis, ut sine noxa siderent; plures adpositis utrimque gubernaculis, converso ut repente remigio hinc vel illinc adpellerent; multae pontibus stratae, super quas tormenta veherentur; simul aptae ferendis equis aut commeatui, velis habiles, citae remis, augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem. insula Batavorum in quam conveniret praedicta, ob faciles adpulsus accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum oportuna; nam Rhenus uno alveo continuus aut modicas insulas circumveniens apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, servatque nomen et violentiam cursus qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior et placidior adfluens verso cognomento; Vahalem accolae dicunt; mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine eiusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur.

- 7 Sed Caesar, dum adiguntur naves, Silium legatum cum expedita manu inruptionem in Chattos facere iubet; ipse audito castellum Lupiae flumini adpositum obsideri, sex legiones eo duxit. neque Silio ob subitos imbres aliud actum quam ut modicam praedam et Arpi, principis Chattorum, coniugem filiamque raperet; neque Caesari copiam pugnae obsessores fecere, ad famam adventus eius dilapsi; tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum et veterem aram Druso sitam disiecerant; restituit aram honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit: tumulum iterare haud visum; et cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.
- 8 Iamque classis advenerat, cum praemisso commeatu et distributis in legiones ac socios navibus fossam, cui Drusianae nomen, ingressus precatusque Drusum patrem ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuvaret, lacus inde et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. classis Amisiae relicta laevo amne; erratumque

p. Ch. 16.

in eo quod non subvexit [transposuit] militem dextras in terras iturum: ita plures dies efficiendis pontibus absumpti. et eques quidem ac legiones prima aestuaria, nondum adrescente unda, intrepidi transiere: postremum auxiliorum agmen Batavique in parte ea, dum insultant aquis artemque nandi ostentant, turbati et quidam hausti sunt.

*** Metanti castra Caesari Angrivariorum defectio a tergo nuntiatur: missus ilico Stertinius cum equite et armatura levi, igne et caedibus perfidiam ultus est.

Flumen Visurgis Romanos Cheruscosque interfuebat; 9 eius in ripa cum ceteris primoribus Arminius adstitit, quaesitoque an Caesar venisset, postquam adesse responsum est, ut liceret cum fratre conloqui oravit. erat is in exercitu, cognomento Flavus, insignis fide et amisso per vulnus oculo paucis ante annis duce Tiberio. tum permissu ** progressusque salutatur ab Arminio; qui amotis stipulatoribus, ut sagittarii nostra pro ripa dispositi abscederent postulat, et postquam digressi, unde ea deformitas oris interrogat fratrem. illo locum et proelium referente, quodnam praemium recepisset exquirat; Flavus aucta stipendia, torquem et coronam aliaque militaria dona memorat, inidente Arminio vilia servitii pretia. exin diversi 10 ordiuntur, hic magnitudinem Romanam, opes Caesaris et victis graves poenas, in deditionem venienti paratam clementiam; neque coniugem et filium eius hostiliter haberi: ille fas patriae, libertatem avitam, penetralis Germaniae deos, matrem precum sociam; ne propinquorum et adfinium, denique gentis suae desertor et proditor quam imperator esse mallet. paulatim inde ad iurgia prolapsi quo minus pugnam consererent ne flumine quidem interiecto cohibebantur, ni Stertinius adcurrrens plenum irae armate et equum poscentem Flavum adtinuisset. cernebatur contra minitabundus Arminius proeliumque denuntians; nam pleraque Latino sermone interiaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset.

Postero die Germanorum acies trans Visurgim stetit. 11 Caesar nisi pontibus praesidiisque inpositis dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado

trahit; praefuere Stertinus et e numero primipilium Aemilius, distantibus locis inveci, ut hostem diducerent; qua celerrimus amnis, Chariovalda, dux Batavorum, erupit. cum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumiectam traxere; dein coorti et undique effusi trudent adversos, instant cedentibus collectosque in orbem pars congressi, quidam eminus proturbant. Chariovalda diu sustentata hostium saevitia, hortatus suos ut ingruentes catervas globo frangerent atque ipsis densissimis inruens, congestis telis et suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa: ceteros vis sua aut equites cum Stertino Aemilioque subvenientes periculo exemere.

- 12 Caesar transgressus Visurgim indicio perfugae cognoscit delectum ab Arminio locum pugnae; convenisse et alias nationes in silvam Herculi sacram ausurosque nocturnam castrorum oppugnationem. habita indici fides, et cernebantur ignes; suggestisque propius speculatores audiri fremitum equorum immensique et inconditi agminis murmur attulere. igitur propinquo summae rei discrimine explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, secum agitabat: tribunos et centuriones laeta saepius quam comperta nuntiare; libertorum servilia ingenia; amicis inesse adulationem; si contio vocetur, illic quoque quae pauci incipiant reliquos adstrepere: penitus noscendas mentes, cum secreti et incustoditi inter mili-
- 13 tatis cibos spem aut metum proferrent. nocte coepta egressus augurali per occulta et vigilibus ignara, comite uno, contactus humeros ferina pelle adit castrorum vias, adsistit tabernaculis fruiturque fama sui, cum hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per seria per iocos eundem animum laudibus ferrent reddendamque gratiam in acie faterentur, simul perfidos et ruptores pacis ultioni et gloriae mactandos. inter quae unus hostium, Latinae linguae sciens, acto ad vallum equo voce magna coniuges et agros et stipendii in dies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset, Arminii nomine pollicetur. incendit ea contumelia legionum iras: veniret dies, daretur pugna: sumpturum militum Germanorum agros, tracturum coniuges; accipere

p. Ch. 16.

omen et matrimonia ac pecunias hostium praedae destinare. tertia ferme vigilia adsultatum est castris sine coniectu teli, postquam crebras pro munimentis cohortes et nihil remissum sensere.

Nox eadem laetam Germanico quietem tulit, viditque 14 se operatum et sanguine sacri respersa praetexta pulchriorem aliam manibus aviae Augustae accepisse; auctus omine addicentibus auspiciis vocat contionem et quae sapientia provisa aptaque imminenti pugnae disserit: non campos modo militi Romano ad proelium bonos, sed si ratio adsit, silvas et saltus; nec enim immensa barbarorum scuta, enormis hastas inter truncos arborum et enata humo virgulta perinde haberi quam pila et gladios et haerentia corpori tegmina: denserent ictus, ora mucronibus quaerent: non lorica Germano, non galeam; ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus vel tenuis et fucatas colore tabulas; primam utcumque aciem hastatam, ceteris praecusta aut brevia tela; iam corpus ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnere patientia: sine pudore flagitii, sine cura ducum abire, fugere, pavidos adversis, inter secunda non divini, non humani iuris memores. si taedio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari: propiorem iam Albim quam Rhenum, neque bellum ultra, modo se, patris patriaque vestigia prementem; isdem in terris victorem sisterent. orationem ducis secutus militum ardor, signumque 15 pugnae datum.

Nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari, hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint; quorum pars onusta vulneribus terga, pars fluctibus et procellis fractos artus infensis rursus hostibus, adversis dis obiciant, nulla boni spe: classem quippe et avia Oceani quaesita, ne quis venientibus occurreret, ne pulsos premeret; sed ubi miscuerint manus, inane victis ventorum remorumve subsidium. meminissent modo avaritiae, crudelitatis, superbiae: aliud sibi reliquum quam tenere libertatem aut mori ante servitium?

Sic accensus et proelium poscentes in campum cui 16

Idistaviso nomen deducunt; is medius inter Visurgim et colles, ut ripae fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur; pone tergum insurgebat silva, editis in altum ramis et pura humo inter arborum truncos; campum et prima silvarum barbara acies tenuit; soli Cherusci iuga insedere, ut proeliantibus Romanis desuper incurrerent. noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique in fronte, post quos pedites sagittarii; dein quattuor legiones et cum duabus praetoriis cohortibus ac delecto equite Caesar; exin totidem aliae legiones et levis armatura cum equite sagittario ceteraque sociorum cohortes. intentus paratusque miles, ut
 17 ordo agminis in aciem adsisteret. visis Cheruscorum cetervis, quae per ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum ceteris turmis circumgredi tergaque invadere iubet, ipse in tempore adfuturus. interea pulcherrimum augurium, octo aquilae petere silvas et intrare visae imperatorem advertere; exclamat: irent, sequerentur Romanas aves, propria legionum numina. simul pedestris acies infertur et praemissus eques postremos ac latera impulit, mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenerant, in aperta, qui campis adstiterant, in silvam ruebant; medii inter hos Cherusci collibus detrudebantur; inter quos insignis Arminius manu, voce, vulnere, sustentabat pugnam incubueratque sagittariis, illa rupturus, ni Raetorum Vindelicorumque et Gallicae cohortes signa obiecissent; nisu tamen corporis et impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur; quidam adgnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus emissumque tradiderunt. virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit: ceteri passim trucidati, et plerosque tranare Visurgim conantes iniecta tela aut vis fluminis, postremo moles ruentium et incidentes ripae operuere; quidam turpi fuga in summa arborum nisi ramisque se occultantes admotis sagittariis per ludibrium figebantur; alios prorutae arbores adfixere.

18 Magna ea victoria neque cruenta nobis fuit: quinta ab hora diei ad noctem caesi hostes decem milia passuum cadaveribus atque armis opplevere, repertis inter spolia

p. Ch. 16.

eorum catenis, quas in Romanos ut non dubio eventu portaverant. miles in loco proelii Tiberium imperatorem salutavit struxitque aggerem et in modum tropaeorum arma subscriptis victarum gentium nominibus imposuit.

Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia quam 19 ea species dolore et ira adfecit: qui modo abire sedibus, trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt; plebes, primores, iuventus, senes agmen Romanum repente incursant, turbant; postremo deligunt locum flumine et silvis clausum, arta intus planitie et humida: silvas quoque profunda palus ambibat, nisi quod latus unum Angrivarii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur: hic pedes adstitit; equitem propinquis lucis texere, ut ingressis silvam legionibus a tergo foret. nihil 20 ex his Caesari incognitum: consilia, locos, prompta, occulta noverat astusque hostium in perniciem ipsis vertebat. Seio Tuberoni legato tradit equitem campumque; perditum aciem ita instruxit ut pars aequo in silvam aditu incederet, pars obiectum aggerem enteretur; quod arduum, sibi, cetera legatis permisit. quibus plana evenerant, facile irrupere; quis inpugnandus agger, ut si murum succederent, gravibus superne ictibus conflictabantur; sensit dux inparem comminus pugnam remotisque paulum legionibus funditores libritoresque excutere tela et proturbare hostem iubet; missae e tormentis hastae, quantoque conspicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus deiecti. primus Caesar cum praetoriis cohortibus capto vallo dedit impetum in silvas. conlato illic gradu certatum: hostem a tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant: utrisque necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria; nec minor Germanis animus, sed genere pugnae et armorum 21 superabantur, cum ingens multitudo artis locis praelongas hastas non protenderet, non colligeret, neque ad-sultibus et velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad proelium, contra miles, cui scutum pectori adpressum et insidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet viamque strage hostium aperiret, inprompto iam *Arminio* ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat; quin et Inguiomerum, tota volitantem

acie, fortuna magis quam virtus deserebat. et Germanicus quo magis adgnosceretur, detraxerat tegimen capiti orabatque insisterent caedibus: nil opus captivis, solam internecionem gentis finem bello fore. iamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris: ceterae ad noctem cruore hostium satiatae sunt. equites ambigere certavere.

22 Laudatis pro contione victoribus Caesar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo: debellatis inter Rhenum Albimque nationibus exercitum Tiberii Caesaris ea monumenta Marti et Iovi et Augusto sacravisse: de se nihil addidit, metu invidiae an ratus conscientiam facti satis esse. mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni ditionem properavissent; atque illi supplices nihil abnuendo veniam omnium acceperere.

23 Sed aestate iam adulta legionum aliae itinere terrestri in hibernacula remissae; plures Caesar classi impositas per flumen Amisiam Oceano invexit. ac primo placidum aequor mille navium remis strepere aut velis inpelli: mox atro nubium globo effusa grando, simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire; milesque pavidus et casuum maris ignarus dum turbat nautas vel intempestive iuvat, officia prudentium corrumpebat. omne dehinc caelum et mare omne in austrum cessit, qui tumidis Germaniae terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus et rigore vicini septentrionis horridior rapuit disiecitque naves in aperta Oceani aut insulas saxis abruptis vel per occulta vada infestas. quibus paulum aegreque vitatis, postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat, non adhaerere ancoris, non exhaustire inrumpentis undas poterant: equi, iumenta, sarcinae, etiam arma praecipitantur, quo levarentur alvei manantes per latera et fluctu superurgente.

24 Quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia caeli praestat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum litoribus aut ita vasto [et] profundo, ut credatur novissimum ac sine terris mare. pars navium haustae sunt, plures apud insulas longius sitas eiectae milesque. nullo illic hominum cultu fame

p. Ch. 16.

absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant. sola Germanici triremis Chaucorum terram adpult; quem per omnes illos dies noctesque apud scopulos et prominentis oras, cum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuere amici quo minus eodem mari oppeteret. tandem relabente aestu et secundante vento claudae naves raro remigio aut intentis vestibus et quaedam a validioribus tractae revertere; quas raptim reffectas misit ut scrutarentur insulas. collecti ea cura plerique; multos Angriarii nuper in fidem accepti redemptos ab interioribus reddidere; quidam in Britanniam rapti et remissi a regulis; ut quis ex longinquo reverterat, miracula narrabant: vim turbinum et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et beluarum formas, visa sive ex metu credita.

Sed fama classis amissae ut Germanos ad spem belli, 25
ita Caesarem ad coercendum erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum milibus ire in Chattos imperat; ipse maioribus copiis Marsos inrupit, quorum dux Malloendus nuper in deditionem acceptus propinquo luco defossam Varianae legionis aquilam modico praesidio servari indicat; missa extemplo manus quae hostem a fronte eliceret, alii qui terga circumgressi recluderent humum; et utrisque adfuit fortuna. eo promptior Caesar pergit introrsus, populatur, excindit non ausum congradi hostem aut, sicubi restiterat, statim pulsum nec umquam magis, ut ex captivis cognitum est, paventem: quippe invictos et nullis casibus superabiles Romanos praedicabant, qui perditam classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora eadem virtute, pari ferocia et velut aucti numero inrupissent.

Reductus inde in hiberna miles, laetus animi quod ad- 26
versa maris expeditione prospera pensavisset; addidit munificentiam Caesar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo. nec dubium habebatur labare hostes petendaeque pacis consilia sumere, et si proxima aestas adiceretur, posse bellum patrari; sed crebris epistulis Tiberius monebat: rediret ad decretum triumphum; satis iam eventuum, satis casuum. prospera illi et magna proelia: eorum quo-

que meminisset quae venti et fluctus, nulla ducis culpa, gravia tamen et saeva damna intulissent. se novies a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse; sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Suebos regemque Maroboduum pace obstrictum: posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes, quoniam Romanae ultioni consultum est, internis discordiis relinqui. precante Germanico annum efficiendis coeptis acrius modestiam eius adgreditur alterum consulatum offerendo, cuius munia praesens obiret; simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui, nullo tum alio hoste, non nisi apud Germanias adsequi nomen imperatorium et deportare lauream posset. haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea seque per invdiam parto iam decori abstrahi intellegeret.

- 27 Sub idem tempus e familia Scriboniorum Libo Drusus defertur moliri res novas: eius negotii initium, ordinem, finem curatius disseram, quia tum primum reperta sunt quae per tot annos rem publicam exedere. Firmius Catus senator, ex intima Libonis amicitia, iuvenem improvidum et facilem inanibus ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit, dum proavum Pompeium, amitam Scriboniam, quae quondam Augusti coniunx fuerat, consobrinos Caesares, plenam imaginibus domum ostentat hortaturque ad luxum et aes alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indicibus
- 28 ligaret. ut satis testium et qui servi eadem noscerent reperit, aditum ad principem postulat, demonstrato crimine et reo per Flaccum Vescularium, equitem Romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Caesar indicium haud aspernatus congressus abnuvit: posse enim eodem Flacco interauntio sermones commeari. atque interim Libonem ornat praetura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior: adeo iram condiderat; cunctaque eius dicta factaque, cum prohibere posset, scire malebat: donec Iunius quidam, temptatus ut infernas umbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit. celebre inter accusatores Trionis ingenium erat avidumque famae malae: statim corripit reum, adit consules, cogni-

p. Ch. 16.

tionem senatus poscit; et vocantur patres, addito consul-
tandum super re magna et atroci.

Libo interim veste mutata cum primoribus feminis cir- 29
cumire domos, orare adfines, vocem adversum pericula
poscere, abnuentibus cunctis, cum diversa praetenderent,
eadem formidine. die senatus metu et aegritudine fessus,
sive, ut tradidere quidam, simulato morbo, lectica delatus
ad fores curiae innisusque fratri et manus ac supplices
voces ad Tiberium tendens immoto eius vultu excipitur;
mox libellos et auctores recitat Caesar, ita moderans ne
lenire neve asperare crimina videretur. accesserant praeter 30
Trionem et Catum accusatores Fonteius Agrippa et C. Vi-
bius, certabantque, cui ius perorandi in reum daretur,
donec Vibius, quia nec ipsi inter se concederent et Libo
sine patrono introisset, singillatim se crimina obiecturum
professus, protulit libellos vaecordes adeo, ut consulta-
verit Libo an habiturus foret opes, quis viam Appiam
Brundisium usque pecunia operiret. inerant et alia huius-
cemodi, stolidi, vana, si mollius acciperes, miseranda;
uni tamen libello manu Libonis nominibus Caesarum
aut senatorum additas atroces vel occultas notas accusator
arguebat; negante reo, adgnoscentes servos per tormenta
interrogari placuit, et quia vetere senatus consulto quaestio
in caput domini prohibebatur, callidus et novi iuris reper-
tor Tiberius mancipari singulos actori publico iubet, sci-
licet ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quae-
reretur. ob quae posterum diem reus petivit domumque
digressus extremas preces P. Quirinio, propinquo suo, ad
principem mandavit: responsum est ut senatum rogaret.
cingebatur interim milite domus, strepebant etiam in ve- 31
stibulo, ut audiri, ut aspici possent, cum Libo ipsis quas
in novissimam voluptatem adhibuerat epulis excruciatas
vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere
gladium; atque illis, dum trepidant, dum refugiunt, ever-
tentibus adpositum mensa lumen, feralibus iam sibi tene-
bris duos ictus in viscera direxit; ad gemitum conlaben-
tis adcurrere liberti; et caede visa miles abstittit. accusatio
tamen apud patres adseveratione eadem peracta, iuravit-
que Tiberius petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi

32 voluntariam mortem properavisset. bona inter accusatores dividuntur, et praeturae extra ordinem datae his qui senatorii ordinis erant. tunc Cotta Messalinus ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur censuit, Cn. Lentulus, ne quis Scribonius cognomentum Drusi adsumeret; supplicationum dies Pomponii Flacci sententia constituti; dona Iovi, Marti, Concordiae, utque iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur, L. P** et Gallus Asinius et Papius Mutilus et L. Apronius decrevere; quorum auctoritates adulatio-nesque rettuli, ut sciretur vetus id in re publica malum.

Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta; quorum e numero L. Pituanius saxo deiectus est; in P. Marcium consules extra portam Esquilinam, cum classicum canere iussissent, more prisco advertere.

33 Proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta a Q. Haterio consulari, Octavio Frontone praetura functo; decretumque ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis Serica viros foedaret. excessit Fronto ac postulavit modum argento, suppellectili, familiae: erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e re publica crederent, loco sententiae promere. contra Gallus Asinius diseruit: auctu imperii adolevisse etiam privatas opes, idque non novum sed e vetustissimis moribus; aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam; et cuncta ad rem publicam referri, qua tenui angustas civium domos, postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos; neque in familia et argento, quaeque ad usum parentur, nimium aliquid aut modicum nisi ex fortuna possidentis. distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antissent et aliis quae ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur, nisi forte clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda, delenimentis curarum et periculorum carendum esse. Facilem adsensum Gallo sub nominibus honestis confessio vitiorum et similitudo audientium dedit; adiecerat et Tiberius non id tempus censurae, nec, si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem.

p. Ch. 16.

Inter quae L. Piso ambitum fori, corrupta iudicia, sac- 34
 vitiam oratorum accusationes minitantium increpans abire
 se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo
 rure testabatur; simul curiam relinquebat. commotus est
 Tiberius, et quamquam mitibus verbis Pisonem permul-
 sisset, propinquos quoque eius impulit ut abeuntem aucto-
 ritate vel precibus tenerent. haud minus liberi doloris do-
 cumentum idem Piso mox dedit vocata in ius Urgulania,
 quam supra leges amicitia Augustae extulerat: nec aut
 Urgulania obtemperavit, in domum Caesaris spreto Pisone
 vecta, aut ille abscessit, quamquam Augusta se violari et
 imminui quereretur; Tiberius, hactenus indulgere matri ci-
 vile ratus, ut se iturum ad praetoris tribunal, adfuturum
 Urgulaniae diceret, processit palatio, procul sequi iussis
 militibus. spectabatur occursante populo compositus ore
 et sermonibus variis tempus atque iter ducens, donec propin-
 quis Pisonem frustra coercentibus deferri Augusta pe-
 cuniam quae petebatur iuberet: isque finis rei, ex qua
 neque Piso inglorius et Caesar maiore fama fuit. ceterum
 Urgulaniae potentia adeo nimia civitati erat ut testis in
 causa quadam quae apud senatum tractabatur venire de-
 dignaretur: missus est praetor qui domi interrogaret, cum
 virgines Vestales in foro et iudicio audiri, quotiens testi-
 monium dicerent, vetus mos fuerit.

Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret 35
 Cn. Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sen-
 tentias noscere. Piso, quamquam afuturum se dixerat Cae-
 sar, ob id magis agendas censebat, ut absente principe
 senatum et equites posse sua munia sustinere decorum rei
 publicae foret. Gallus, quia speciem libertatis Piso prae-
 ceperat, nihil satis inlustre aut ex dignitate populi Ro-
 mani nisi coram et sub oculis Caesaris, eoque conventum
 Italiae et adfluentis provincias praesentiae eius servanda
 dicebat. audiente haec Tiberio ac silente magnis utrimque
 contentionibus acta: sed res dilatae.

Et certamen Gallo adversus Caesarem exortum est: 36
 nam censuit in quinquennium magistratum comitia ha-
 benda, utque legionum legati, qui ante praeturam ea mi-
 litia fungebantur, iam tum praetores destinarentur; prin-

ceps duodecim candidatos in annos singulos nominaret. haud dubium erat eam sententiam altius penetrare et arcana imperii temptari; Tiberius tamen, quasi augetur potestas eius, disseruit: grave moderationi suae tot eligere, tot differre; vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur: quantum odii fore ab iis qui ultra quinquennium proiciantur! unde prospici posse quae cuique tam longo temporis spatio mens, domus, fortuna? superbire homines etiam annua designatione: quid si honorem per quinquennium agitent? quinquuplicari prorsus magistratus, subverti leges, quae sua spatia exercendae candidatorum industriae quaerendisque aut potiundis honoribus statuerint. favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit.

- 37 Censusque quorundam senatorum iuvit; quo magis mirum fuit quod preces Marci Hortali, nobilis iuvenis, in paupertate manifesta superbius accepisset: nepos erat oratoris Hortensii, inlectus a divo Augusto liberalitate decies sestertii ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur; igitur quattuor filiis ante limen curiae adstantibus, loco sententiae, cum in palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens ad hunc modum coepit: „patres conscripti, hos, quorum numerum et pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia princeps monebat; simul maiores mei meruerant ut posteros haberent; nam ego, qui non pecuniam, non studia populi neque eloquentiam, gentile domus nostrae bonum, varietate temporum accipere vel parare potuissem; satis habebam si tenues res meae nec mihi pudori nec cuiquam oneri forent: iussus ab imperatore uxorem duxi: en stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum; nec ad invidiam ista, sed conciliandae misericordiae refero. adsequentur florente te, Caesar, quos dederis honores: interim Q. Hortensii pronepotes, divi Augusti alumnos ab inopia defende.“

- 38 Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit quo promptius adversaretur, his ferme verbis usus: „si quantum pauperum est venire huc et liberis suis petere pecunias coeperint, singuli numquam exsatiabuntur, res publica

p. Ch. 16.

deficiet; nec sane ideo a maioribus concessum est egredi aliquando relationem et quod in commune conducatur loco sententiae proferre, ut privata negotia et res familiares nostras hic augeamus cum invidia senatus et principum, sive indulserint largitionem, sive abnuerint; non enim preces sunt istud sed efflagitatio, intempestiva quidem et improvisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere et numero atque aetate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere ac velut perfringere aerarium, quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. dedit tibi, Hortale, divus Augustus pecuniam, sed non compellatus nec ea lege ut semper daretur; languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes; et securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves.“ haec atque talia, quamquam cum adsensu audita ab iis quibus omnia principum, honesta atque inhonesta, laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur exceperunt, sensitque Tiberius; et cum paulum reticuisset, Hortale se respondisse ait; ceterum si patribus videretur, daturum liberis eius ducena sestertia singulis qui sexus virilis essent. egere alii grates: siluit Hortalus, pavore an avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens; neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur.

Eodem anno mancipii unius audacia, ni mature sub-³⁹ ventum foret, discordiis armisque civilibus rem publicam perculisset. Postumi Agrippae servus, nomine Clemens, comperto fine Augusti pergere in insulam Planasiam et fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non servili animo concepit; ausa eius impedivit tarditas onerariae navis; atque interim patrata caede ad maiora et magis praecipitia conversus furatur cineres vectusque Cosam, Etruriae promontorium, ignotis locis sese abdit, donec crinem barbamque promitteret; nam aetate et forma haud dissimili in dominum erat. tum per idoneos et secreti eius socios crebrescit vivere Agrippam, occultis primum sermonibus, ut vetita solent, mox vago rumore apud inperitissimi cuiusque promptas aures aut rursum

apud turbidos eoque nova cupientes; atque ipse adire municipia obscuro diei, neque propalam aspici neque diutius isdem locis; sed quia veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt, relinquebat famam aut praeveniebat. vulgabatur interim per Italiam servatum munere
 40 deum Agrippam, credebatur Romae; iamque Ostiam in-
 vectum multitudo ingens, iam in urbe clandestini coetus celebrabant, cum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum servum suum coerceret an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret; modo nihil spernendum, modo non omnia metuenda ambiguus pudoris ac metus reputabat: postremo dat negotium Sallustio Crispo. ille e clientibus duos — quidam milites fuisse tradunt — deligit atque hortatur simulata conscientia adeant, offerant pecuniam, fidem atque pericula polliceantur: exsequuntur ut iussum erat; dein speculati noctem incustoditam, accepta idonea manu vinctum clauso ore in palatium traxere. percontanti Tiberio quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur „quomodo tu Caesar.“ ut ederet socios subigi non potuit; nec Tiberius poenam eius palam ausus, in secreta palatii parte interfici iussit corpusque clam auferri; et quamquam multi e domo principis equitesque ac senatores sustentasse opibus, iuvisse consiliis dicerentur, haud quaesitum.

41 Fine anni arcus propter aedem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii, et aedes Fortis Fortunae Tiberim iuxta in hortis quos Caesar dictator populo Romano legaverat, sacrarium genti Iuliae effigiesque divo Augusto apud Bovillas dicantur.

C. CAECILIO, L. POMPONIO consulibus Germanicus Caesar a. d. vii kal. Iunias triumphavit de Cheruscis Chattisque et Angrivariis quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt; vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, proeliorum; bellumque, quae accipere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. augebat adventum visus eximia ipsius species currusque quinque liberis onustus; sed suberat occulta formido reputantibus haud prosperum in Druso, patre eius, favorem vulgi, avunculum eiusdem

p. Ch. 17.

Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuventam ere-
 ptum: breves et infaustos populi Romani amores. cete- 42
 rum Tiberius nomine Germanici trecenos plebi sestertios
 viritim dedit seque collegam consulatui eius destinavit;
 nec ideo sinceræ caritatis fidem adsecutus amoliri iuven-
 nem specie honoris statuit struxitque causas aut forte
 oblatas arripuit. rex Archelaus quinquagesimum annum
 Cappadocia potiebatur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi
 agentem nullo officio coluisset; nec id Archelaus per su-
 perbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus, quia
 florente C. Caesare missoque ad res Orientis intuta Ti-
 berii amicitia credebatur; ut versa Caesarum subole im-
 perium adeptus est, elicit Archelaum matris litteris, quae
 non dissimulatis filii offensionibus clementiam offerebat,
 si ad precandum veniret. ille ignarus doli vel, si intelle-
 gere crederetur, vim metuens in urbem properat, exceptus-
 que immitti a principe et mox accusatus in senatu, non ob
 crimina quae fingebantur, sed angore, simul fessus senio
 et quia regibus aequa, nedum infima insolita sunt, finem
 vitae sponte an fato implevit. regnum in provinciam re-
 ductum est, fructibusque eius levari posse centesimae vecti-
 gal professus Caesar ducentesimam in posterum statuit.

Per idem tempus Antiocho Commagenorum, Philo-
 patore Cilicum regibus defunctis turbabantur nationes,
 plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus;
 et provinciae Syria atque Iudaea, fessae oneribus, deminutionem
 43
 tributi orabant; igitur haec et de Armenia quae
 supra memoravi apud patres disseruit, nec posse motum
 Orientem nisi Germanici sapientia conponi: nam suam
 aetatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse. tunc de-
 creto patrum permissae Germanico provinciae quae mari
 dividuntur, maiusque imperium, quoquo adisset, quam iis
 qui sorte aut missu principis obtinerent. sed Tiberius de-
 moverat Syria Creticum Silanum, per adfinitatem con-
 nexum Germanico, quia Silani filia Neroni, vetustissimo
 liberorum eius, pacta erat, praefeceratque Cn. Pisonem,
 ingenio violentum et obsequii ignarum, insita ferocia a
 patre Pisone, qui civili bello resurgentes in Africa partes
 acerrimo ministerio adversus Caesarem iuivit, mox Bru-

tum et Cassium secutus concesso reditu petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere; sed praeter paternos spiritus uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur: vix Tiberio concedere, liberos eius ut multum infra despectare; nec dubium habebat se delectum, qui Syriae imponeretur, ad spes Germanici coercendas. credidere quidam data et a Tiberio occulta mandata, et Plancinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi. divisa namque et discors aula erat tacitis in Drusum aut Germanicum studiis: Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat; Germanico alienatio patrum amorem apud ceteros auxerat, et quia claritudine materni generis anteibat, avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens: contra Druso proavus eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur; et coniunx Germanici Agrippina fecunditate ac fama Liviam, uxorem Drusi, praecellebat: sed fratres egregie concordēs et proximorum certaminibus inconcussi.

44 Nec multo post Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militiae studiaque exercitus pararet; simul iuvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi Tiberius seque tutiorem rebatur utroque filio legiones obtinente. sed Suebi praetendebantur auxilium adversus Cheruscos orantes; nam discessu Romanorum ac vacui externo metu gentis adsuetudine et tum aemulatione gloriae arma in se verterant. vis nationum, virtus ducum in aequo; sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat.

45 Igitur non modo Cherusci sociique eorum, vetus Arminii miles, sumpsere bellum, sed e regno etiam Marobodui Suebae gentes, Semnones ac Langobardi, defecere ad eum; quibus additis praepollebat, ni Inguiomerus cum manu clientium ad Maroboduum perfugisset, non aliam ob causam quam quia fratris filio iuveni patruus senex parere dedignabatur. diriguntur acies pari utrimque spe, nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus aut disiectas per catervas: quippe longa adversum nos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta impera-

p. Ch. 17.

torum accipere; ac tunc Arminius equo conlustrans cuncta, ut quosque advectus erat, reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc et tela Romanis derepta in manibus multorum ostentabat; contra fugacem Maroboduum appellans, proeliorum expertem, Hercyniae latebris defensum, ac mox per dona et legationes petivisse foedus: proditorem patriae, satellitem Caesaris haud minus infensis animis exturbandum quam Varum Quintilium interfece-
 rint; meminissent modo tot proeliorum; quorum eventu et ad postremum eiectis Romanis satis probatum, penes utros summa belli fuerit.

Neque Maroboduus iactantia sui aut probris in hostem ⁴⁶ abstinebat, sed Inguiomerum tenens illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta quae prospere ceciderint testabatur; vacordem Arminium et rerum nescium alienam gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit, magna cum clade Germaniae et ignominia sua, cum coniunx, cum filius eius servitium adhuc tolerent: at se duodecim legionibus petitem duce Tiberio inlibatam Germanorum gloriam servavisse, mox conditionibus aequis discessum; neque paenitere quod ipsorum in manu sit, integrum adversum Romanos bellum an pacem incruentam malint. his vocibus instinctos exercitus propriae quoque causae stimulabant, cum a Cheruscis Langobardisque pro antiquo decore aut recenti libertate et contra augendae dominationi certaretur. non alias maiore mole concursum neque ambiguo magis eventu, fuis utrimque dextris cornibus; sperabaturque rursus pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset: id signum percussus fuit; et transfugiis paulatim nudatus in Marcomanos concessit misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. responsum est non iure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos nulla ope iuvisset; missus tamen Drusus, ut rettulimus, paci firmator.

Eodem anno duodecim celebres Asiae urbes conlapsae ⁴⁷ nocturno motu terrae, quo improvisior graviorque pestis fuit; neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur: se-

disse inmensos montes, visa in arduo quae plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignes memorant. asperrima in Sardinios lues plurimum in eisdem misericordiae traxit: nam centies sestertium pollicitus Caesar, et quantum aerario aut fisco pendebant in quinquennium remisit; Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti; Temnios, Philadelphenos, Aegeatas, Apollonidenses, quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur, et Hierocaesariam, Myrinam, Cymen, Tmolium levari idem in tempus tributis mittique ex senatu placuit qui praesentia spectaret referereturque; delectus est M. Aletius e praetoriis, ne consulari obtinente Asiam aemulatio inter pares et ex eo impedimentum oreretur.

48 Magnificam in publicum largitionem auxit Caesar haud minus grata liberalitate, quod bona Aemiliae Musae, locupletis intestatae, petita in fiscum, Aemilio Lepido, cuius e domo videbatur, et Patulei, divitis equitis Romani, hereditatem, quamquam ipse heres in parte legeretur, tradidit M. Servilio, quem prioribus neque suspectis tabulis scriptum compererat, nobilitatem utriusque pecunia iuvandam praefatus. neque hereditatem cuiusquam adiit nisi cum amicitia meruisset: ignotos et aliis infensos eoque principem nuncupantes procul arcebat. ceterum ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos et ob flagitia egentes, Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium, movit senatu aut sponte cedere passus est.

49 Isdem temporibus deum aedes vetustate aut igni abolitas coeptasque ab Augusto dedicavit, Libero Liberaeque et Cereri iuxta circum maximum, quam A. Postumius dictator voverat, eodemque in loco aedem Florae, ab Lucio et Marco Publiciis aedilibus constitutam, et Iano templum, quod apud forum olitorium C. Duellius struxerat, qui primus rem Romanam prospere mari gessit triumphumque navalem de Poenis meruit; Spei aedes a Germanico sacratur: hanc A. Atilius voverat eodem bello.

* 50 Adolescebat interea lex maiestatis; et Apuleiam Varrillam, sororis Augusti neptem, quia probrosis sermonibus

p. Ch. 17.

divum Augustum ac Tiberium et matrem eius inlusisset Caesarique connexa adulterio teneretur, maiestatis delator arcessebat. de adulterio satis caveri lege Iulia visum: maiestatis crimen distingui Caesar postulavit damnarique, si qua de Augusto inreligiose dixisset; in se iacta nolle ad cognitionem vocari. interrogatus a consule quid de iis censeret quae de matre eius locuta secus argueretur, reticuit; dein proximo senatus die illius quoque nomine oravit ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent; liberavitque Apuleiam lege maiestatis: adulterii graviolem poenam deprecatus, ut exemplo maiorum propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur suasit; adultero Manlio Italia atque Africa interdictum est.

De praetore in locum Vipstani Galli, quem mors abstulerat, subrogando certamen incessit: Germanicus atque Drusus — nam etiam tum Romae erant — Haterium Agrippam, propinquum Germanici, fovebant: contra plerique nitebantur ut numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod lex iubebat. laetabatur Tiberius, cum inter filios eius et leges senatus disceptaret: victa est sine dubio lex, sed neque statim et paucis suffragiis, quomodo etiam cum valeret leges vincebantur.

Eodem anno coeptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate; is natione Numida, in castris Romanis auxiliaria stipendia meritis, mox desertor, vagos primum et latrociniis suetos ad praedam et raptus congregare, dein more militiae per vexilla et turmas componere, postremo non inconditae turbae sed Musulamiorum dux haberi; valida ea gens et solitudinibus Africae propinqua, nullo etiam tum urbium cultu, cepit arma Maurosque accolas in bellum traxit. dux et his, Mazippa; divisusque exercitus, ut Tacfarinas lectos viros et Romanum in modum armatos castris attineret, disciplina et imperiis suesceret, Mazippa levi cum copia incendia et caedes et terrorem circumferret. compulerantque Cinithios, haud spernendam nationem, in eadem, cum Furius Camillus, pro consule Africae, legionem et quod sub signis sociorum in unum conductos ad hostem duxit, modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares; sed nihil

aeque cavebatur quam ne bellum metu eluderent: spe victoriae inducti sunt ut vincerentur. igitur legio medio, leves cohortes duaeque alae in cornibus locantur; nec Tacfarinas pugnam detrectavit. fusi Numidae, multosque post annos Furio nomini partum decus militiae; nam post illum reciperatorem urbis filiumque eius Camillum penes alias familias imperatoria laus fuerat, atque hic quem memoramus bellorum expers habebatur: eo pronior Tiberius res gestas apud senatum celebravit, et decrevere patres triumphalia insignia, quod Camillo ob modestiam vitae impune fuit.

- 53 Sequens annus TIBERIUM TERTIO, GERMANICUM ITERUM consules habuit; sed eum honorem Germanicus iniit apud urbem Achaiae Nicopolim, quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso in Dalmatia agente, Hadriatici ac mox Ionii maris adversam navigationem perpessus; igitur paucos dies insumpsit reficiendae classi; simul sinus Actiaca victoria inclutos et sacratas ab Augusto manubias castraque Antonii cum recordatione maiorum suorum adiit: namque ei, ut memoravi, avunculus Augustus, avus Antonius erant magnaue illic imago tristium laetorumque. hinc ventum Athenas, foederique sociae et vetustae urbis datum ut uno lictore uteretur; excepere Graeci quaesitissimis honoribus, vetera suorum facta dictaque praeferentes,
- 54 quo plus dignationis adulatio haberet. petita inde Euboea tramisit Lesbum, ubi Agrippina novissimo partu Iuliam edidit; tum extrema Asiae Perinthumque ac Byzantium, Thracias urbes, mox Propontidis angustias et os Ponticum intrat, cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi; pariterque provincias internis certaminibus aut magistratuum iniuriis fessas refovebat. atque illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem obvii aquilones depulere. igitur *adito Ilio* quaeque ibi varietate fortunae et nostri origine veneranda, relegit Asiam adpellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur; non femina illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis et ferme Mileto accitus sacerdos numerum modo consultantium et nomina audit; tum in specum degressus hausta fontis arcani aqua ignarus plerumque litterarum et carminum edit responsa versibus compositis super rebus quas quis mente

p. Ch. 18.

concepit. et ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse.

At Cn. Piso, quo properantius destinata inciperet, civitatem Atheniensium turbido incessu exterritam oratione saeva increpat, oblique Germanicum perstringens, quod contra decus Romani nominis non Athenienses tot cladibus extinctos, sed conluviem illam nationum comitate nimia coluisset: hos enim esse Mithridatis adversus Sullam, Antonii adversus divum Augustum socios; etiam vetera obiectabat, quae in Macedones inprosperere, violenter in suos fecissent, offensus urbi propria quoque ira, quia Theophilum quendam Areo iudicio falsi damnatum precibus suis non concederent. exin navigatione celeri per Cycladas et compendia maris adsequitur Germanicum apud insulam Rhodum, haud nescium quibus insectationibus petitus foret: sed tanta mansuetudine agebat ut, cum orta tempestas raperet in abrupta possetque interitus inimici ad casum referri, miserit tremeis quarum subsidio discrimini eximeretur. neque tamen mitigatus Piso et vix diei moram perpressus linquit Germanicum praevenitque; et postquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium iuvando, cum veteres centuriones, severos tribunos demoveret locaque eorum clientibus suis vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis proventus est ut sermone vulgi parens legionum haberetur. nec Plancina se intra decora feminis tenebat, sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse, in Agrippinam, in Germanicum contumelias iacere, quibusdam etiam honorum militum ad mala obsequia promptis, quod haud invito imperatore ea fieri occultus rumor incedebat. nota haec Germanico; sed praeverti ad Armenios instantior cura fuit.

Ambigua gens ea antiquitus hominum ingeniis et situ terrarum, quoniam nostris provinciis late praetenta penitus ad Medos porrigitur; maximisque imperiis interiecti et saepius discordes sunt, adversus Romanos odio et in Parthum invidia. regem illa tempestate non habebant, amoto Vonone; sed favor nationis inclinabat in Zenonem,

Polemonis, regis Pontici, filium, quod is prima ab infantia instituta et cultum Armeniorum acmulatus, venatu, epulis et quae alia barbari celebrant, proceres plebemque iuxta devinxerat; igitur Germanicus in urbe Artaxata adprobantibus nobiles, circumfusa multitudine insigne regium capiti eius imposuit; ceteri venerantes regem Artaxiam consalutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. at Cappadoces, in formam provinciae reducti, Q. Veranium legatum acceperunt; et quaedam ex regibus tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur. Commagenis Q. Servaeus praepositus, tum primum ad ius praetoris translatus; cunctaque socialia prospere composita non ideo laetum Germanicum habebant ob superbiam Pisonis, qui iussus partem legionum ipse aut per filium in Armeniam ducere utrumque neglexerat: Cyri demum apud hiberna decumae legionis convenerunt, firmato vultu, Piso adversus metum, Germanicus, ne minari crederetur; et erat, ut rettuli, clementior; sed amici accendendis offensionibus callidi intendere vera, adgerere falsa ipsumque et Plancinam et filios variis modis criminari: postremo paucis familiarium adhibitis sermo coeptus a Caesare qualem ira et dissimulatio gignit; responsum a Pione precibus contumacibus; discesserantque apertis odiis; postquam rarus in tribunali Caesaris Piso, et si quando adsideret, atrox ac dissentire manifestus. vox quoque eius audita est in convivio, cum apud regem Nabataeorum coronae aureae magno pondere Caesari et Agrippinae, leves Pisoni et ceteris offerrentur, principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari; abiecitque simul coronam et multa in luxum addidit, quae Germanico quamquam acerba, tolerabantur tamen.

58 Inter quae ab rege Parthorum Artabano legati venire; miserat amicitiam ac foedus memoraturos, et cupere renovari dextras, daturumque honori Germanici ut ripam Euphratis accederet; petere interim ne Vonones in Syria haberetur neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret. ad ea Germanicus de societate Romanorum Parthorumque magnifice, de adventu regis et cultu sui cum decore ac modestia respondit; Vonones Pom-

p. Ch. 18. 19.

peiopolim, Ciliciae maritimam urbem, amotus est: datum id non modo precibus Artabani sed contumeliae Pisonis, cui gratissimus erat ob plurima officia et dona quibus Plancinam devinxerat.

M. SILANO, L. NORBANO consulibus Germanicus Aegy- 59
 ptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis; sed cura provinciae praetendebatur: levavitque apertis horreis pretia frugum, multaque in vulgus grata usurpavit: sine milite incedere, pedibus intectis et pari cum Graecis amictu, P. Scipionis aemulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Poenorum bello, accepimus. Tiberius cultu habituque eius lenibus verbis perstricto acerrime increpuit quod contra instituta Augusti non sponte principis Alexandriam introisset: nam Augustus inter alia dominationis arcana vetitis nisi permissu ingredi senatoribus aut equitibus Romanis inlustribus seposuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam quisquis eam provinciam claustraque terrae ac maris, quamvis levi praesidio adversum ingentes exercitus, insedisset. sed Ger- 60
 manicus, nondum comperto profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus oppido a Canopo: condidere id Spartani ob sepultum illic rectorem navis Canopum, qua tempestate Menelaus Graeciam repetens diversum ad mare terramque Libyam deiectus [*est*]. inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenae ortum apud se et antiquissimum perhibent eosque qui postea pari virtute fuerint, in cognomentum eius adscitos. mox visit veterum Thebarum magna vestigia: et manebant structis molibus litterae Aegyptiae, priorem opulentiam complexae; iussusque e senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari, referebat habitasse quondam septingenta milia aetate militari, atque eo cum exercitu regem Rhamsen Libya, Aethiopia Medisque et Persis et Bactriano ac Scytha positum, quasque terras Syri Armenique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuisse; legebantur et indicta gentibus tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque et dona templis ebur atque odores, quasque copias frumenti et omnium utensilium quaeque natio penderet, haud mi-

61 nus magna quam nunc vi Parthorum aut potentia Romana iubentur. ceterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum, quorum praecipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens; disiectasque inter et vix pervias arenas instar montium eductae pyramides certamine et opibus regum; lacusque effossa humo, superfluentis Nili receptacula; atque alibi angustiae et profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit.

62 Dum ea aestas Germanico plures per provincias transigitur, haud leve decus Drusus quaesivit inciciens Germanos ad discordias utque fracto iam Maroboduus usque in exitium insisteretur. erat inter Gotones nobilis iuvenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui et tunc dubiis rebus eius ultionem ausus; is valida manu fines Marcomanorum ingreditur corruptisque primoribus ad societatem inrumpit regiam castellumque iuxta situm. veteres illic Sueborum praedae et nostris e provinciis lixae ac negotiatores reperti, quos ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio patriae suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulerat.

63 Maroboduus undique deserto non aliud subsidium quam misericordia Caesaris fuit: transgressus Danuvium, qua Noricam provinciam praefluit, scripsit Tiberio non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae: nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus Romanam amicitiam praetulisse. responsum a Caesare tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret; sin rebus eius aliud conduceret, abiturum fide qua venisset. ceterum apud senatum disseruit non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. extat oratio qua magnitudinem viri, violentiam subiectarum ei gentium, et quam propinquus Italiae hostis, suaque in destruendo eo consilia extulit. et Maroboduus quidem Ravennae habitus, si quando insolescerent Suebi, quasi rediturus in regnum ostentabatur; sed non excessit Italia per duodeviginti annos

p. Ch. 19.

consenuitque multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem. idem Catualdae casus neque aliud per fugium: pulsus haud multo post Hermundurorum opibus et Vibilio duce, receptusque Forum Iulium, Narbonensis Galliae coloniam, mittitur; barbari utrumque comitati, ne quietas provincias immixti turbarent, Danuvium ultra inter flumina Marum et Cusum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum.

Simul nuntiato regem Artaxian Armeniis a Germanico datum decrevere patres ut Germanicus atque Drusus ovan-⁶⁴tes urbem introirent; structi et arcus circum latera templi Martis Ultoris cum effigie Caesarum, laetiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. igitur Rhescuporim quoque, Thraeciae regem, astu adgreditur: omnem eam nationem Rhoemetalces tenuerat; quo defuncto Augustus partem Thraecum Rhescuporidi, fratri eius, partem filio Cotyi permisit; in ea divisione arva et urbes et vicina Graccis Cotyi, quod incultum, ferox, adnexum hostibus, Rhescuporidi cessit; ipsorumque regum ingenia, illi mite et amoenum, huic atrox, avidum et societatis inpatiens erat. sed primo subdola concordia egere: mox Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data et resistenti vim facere, cunctanter sub Augusto, quem auctorem utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat: enimvero audita mutatione principis inmittere latronum globos, excindere castella, causas bello.

Nihil aeque Tiberium anxium habebat quam ne com-⁶⁵posita turbarentur: deligit centurionem qui nuntiaret regibus ne armis disceptarent; statimque a Cotye dimissa sunt quae paraverat auxilia; Rhescuporis ficta modestia postulat eundem in locum coiretur: posse de controversiis colloquio transigi. nec diu dubitatum de tempore, loco, dein conditionibus, cum alter facilitate, alter fraude cuncta inter se concederent acciperentque. Rhescuporis sanciendo, ut dictitabat, foederi convivium adicit, tractaque in multam noctem laetitia per epulas ac vinolentiam incautum Cotyn, et postquam dolum intellexerat, sacra regni, eiusdem familiae deos et hospitalis mensas obstantem catenis onerat, Thraeciaque omni potitus scripsit ad Tiberium structas

sibi insidias, praevenit insidiatorem; simul bellum adversus Basternas Scythasque praetendens novis peditum et equitum copiis sese firmabat. molliter rescriptum, si fraus abesset, posse eum innocentiae fidere; ceterum neque se neque senatum nisi cognita causa ius et iniuriam discreturos: proinde tradito Cotye veniret transferretque invidiam criminis. eas litteras Latinus Pandusa, pro praetore Moesiae, cum militibus quis Cotys traderetur in Thraeciam misit. Rhescuporis inter metum et iram cunctatus maluit patrati quam incepti facinoris reus esse; occidi Cotyn iubet mortemque sponte sumptam ementitur. nec tamen Caesar placitas semel artes mutavit, sed defuncto Pandusa, quem sibi infensum Rhescuporis arguebat, Pomponium Flaccum, veterem stipendiis et arta cum rege amicitia eoque accommodatiorem ad fallendum, ob id maxime Moesiae praefecit.

67 Flaccus in Thraeciam transgressus per ingentia promissa quamvis ambiguum et scelera sua reputantem perpulit ut praesidia Romana intraret; circumdata hinc regi specie honoris valida manus tribunice et centuriones monendo, suadendo, et quanto longius abscedebatur, apertiore custodia, postremo gnarum necessitatis in urbem traxere. accusatus in senatu ab uxore Cotyis damnatur, ut procul regno teneretur. Thraecia in Rhoemetalcen filium, quem paternis consiliis adversatum constabat, inque liberos Cotyis dividitur; iisque nondum adultis Trebellianus Rufus praetura functus datur, qui regnum interim tractaret, exemplo quo maiores M. Lepidum Ptolemaei liberis tutorem in Aegyptum miserant. Rhescuporis Alexandriam devectus atque illic fugam temptans an ficto crimine interficitur.

68 Per idem tempus Vonones, quem amotum in Ciliciam memoravi, corruptis custodibus effugere ad Armenios, inde [in] Albanos Heniochosque et consanguineum sibi regem Scytharum conatus est: specie venandi omissis maritimis locis avia saltuum petiit, mox pernecitate equi ad amnem Pyramum contendit, cuius pontes accolae rupebant audita regis fuga; neque vado penetrari poterat. igitur in ripa fluminis a Vibio Frontone, praefecto equitum,

p. Ch. 19.

vincitur, mox Remmius evocatus, priori custodiae regis adpositus, quasi per iram gladio eum transigit: unde maior fides conscientia sceleris et metu indicii mortem Vononi inlatam:

At Germanicus Aegypto remeans cuncta quae apud le- 69
giones aut urbes iusserat, abolita vel in contrarium versa cognoscit: hinc graves in Pisonem contumeliae; nec minus acerba quae ab illo in Caesarem temptabantur. dein Piso abire Syria statuit; mox adversa Germanici valitudine detentus, ubi recreatum accepit votaque pro incolumitate soluebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatus, festam Antiochensium plebem per lictores proturbat; tum Seleuciam digreditur, opperiens aegritudinem quae rursus Germanico acciderat. saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti; et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres ac tabe obliti aliaque maleficia quis creditur animas numinibus infernis sacrari. simul missi a Pisone incusabantur ut valitudinis adversa rimantes.

Ea Germanico haud minus ira quam per metum ac- 70
cepta: si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimae coniugi, quid infantibus liberis eventurum? lenta videri veneficia: festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat; sed non usque eo defectum Germanicum; neque praemia caedis apud interfectorem mansura. componit epistulas quis amicitiam ei renuntiabat; addunt plerique iussum provincia decedere: nec Piso moratus ultra navis solvit, moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Syriam aperuisset.

Caesar paulisper ad spem erectus, dein fesso corpore, 71
ubi finis aderat, adsistentes amicos in hunc modum adloquitur: „si fato concederem, iustus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus, liberis, patriae intra iuventam praemature exitu raperent: nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miserrimam

vitam pessima morte finierim. si quos spes meae, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat, inlacrimabunt quondam florentem et tot bellorum superstitem muliebri fraude cecidisse. erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges: non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed quae voluerit meminisse, quae mandaverit exsequi; flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. ostendite populo Romano divi Augusti neptem eandemque coniugem meam; numerate sex liberos: misericordia cum accusantibus erit, fingentibusque scelestam mandata aut non credent homines aut non ignoscent." Iuravere amici, dextram morientis contingentes, spiritum ante quam ultionem amissuros.

72 Tum ad uxorem versus per memoriam sui, per communes liberos oravit: exueret ferociam, saevienti fortunae summitteret animum neu regressa in urbem aemulatione potentiae validiores iritaret; haec palam et alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio. neque multo post extinguitur, ingenti luctu provinciae et circumiacentium populorum; indoluere exterarum nationum regesque: tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque et auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et adrogantiam effugerat.

73 Funus sine imaginibus et pompa per laudes ac memoriam virtutum eius celebre fuit; et erant qui formam, aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum in quibus interiiit, magni Alexandri fati adaequarent: nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse: sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse, neque minus proliatorem, etiamsi temeritas afuerit praepeditusque sit percussas tot victoriis Germanias servitio premere; quod si solus arbiter rerum, si iure et nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiae, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus praestitisset. corpus antequam cremaretur nudatum in foro An-

p. Ch. 19.

tiochensium, qui locus sepulturae destinabatur, praetuleritne veneficii signa, parum constitit; nam ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.

Consultatum inde inter legatos quique alii senatorum 74 aderant, quisnam Syriae praeficeretur; et ceteris modice nisis, inter Vibium Marsum et Cn. Sentium diu quaesitum; dein Marsus seniori et acrius tendenti Sentio concessit; isque infamem veneficiis ea in provincia et Plancinae percarum, nomine Martinam, in urbem misit, postulantis Vitellio ac Veranio ceterisque qui crimina et accusationem tamquam adversus receptos iam reos instruebant.

At Agrippina, quamquam defessa luctu et corpore aegro, 75 omnium tamen quae ultionem morarentur intolerans, ascendit classem cum cineribus Germanici et liberis, miserantibus cunctis quod femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio inter venerantis gratantisque aspici solita, tunc feralis reliquias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui et infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia.

Pisonem interim apud Coum insulam nuntius adsequitur excessisse Germanicum; quo intemperanter accepto caedit victimas, adit templa, neque ipse gaudium moderans et magis insolescente Plancina, quae luctum amissae sororis tum primum laeto cultu mutavit. adfluebant 76 centuriones monebantque, prompta illi legionum studia: repeteret provinciam non iure ablatam et vacuam. igitur quid agendum consultant M. Piso filius properandum in urbem censebat: nihil adhuc inexpiabile admissum, neque suspiciones inbecillas aut inania famae pertimescenda; discordiam erga Germanicum odio fortasse dignam, non poena; et ademptione provinciae satisfactum inimicis: quod si regrederetur, obsistente Sentio civile bellum incipi; nec duraturos in partibus centuriones militesque, apud quos recens imperatoris sui memoria et penitus infixus in Caesares amor praevaleret. contra Domitius Celer, ex intima 77 eius amicitia, disseruit, utendum eventu: Pisonem, non Sentium Syriae praepositum; huic fasces et ius praetoris, huic legiones datas: si quid hostile ingruat, quem iustius

arma oppositurum *quam* qui legati auctoritatem et propria mandata acceperit? relinquendum etiam rumoribus tempus quo senescant; plerumque innocentes recenti invidiae impares: at si teneat exercitum, augeat vires, multa quae provideri non possint, fortuito in melius casura. „an festinamus cum Germanici cineribus adpellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinae ac vulgus imperitum primo rumore rapiant? est tibi Augustae conscientia, est Caesaris favor, sed in occulto; et perisse Germanicum nulli iactantius maerent quam qui maxime laetantur.“

78 Haud magna mole Piso, promptus ferocibus, in sententiam trahitur, missisque ad Tiberium epistulis incusat Germanicum luxus et superbiae; seque pulsum ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus eadem fide qua tenuerit repetivisse. simul Domitium inpositum triremi vitare litorum oram praeterque insulas lato mari pergere in Syriam iubet; concurrentes desertores per manipulos componit, armat laxas traiectisque in continentem navibus vexillum tironum in Syriam euntium interceptit, regulis Cilicum ut se auxiliis iuvarent scribit, haud ignavo ad ministeria belli iuvene Pisone, quamquam suscipiendum bellum abuisset.

79 Igitur oram Lyciae ac Pamphyliae praelegentes, obviis navibus quae Agrippinam vehebant, utrimque infensi arma primo expedire; dein mutua formidine non ultra iurgium processum est, Marsusque Vibius nuntiavit Pisoni Romam ad dicendam causam veniret: ille eludens respondit adfuturum, ubi praetor, qui de beneficiis quaereret, reo atque accusatoribus diem prodixisset.

Interim Domitius Laodiciam, urbem Syriae, adpulsus cum hiberna sextae legionis peteret, quod eam maxime novis consiliis idoneam rebatur, a Pacuvio legato praevenitur. id Sentius Pisoni per litteras aperit monetque ne castra corruptoribus, ne provinciam bello temptet. quosque Germanici memores aut inimicis eius adversos cognoverat, contrahit, magnitudinem imperatoris identidem ingerens et rem publicam armis peti; ducitque validam manum et proelio paratam.

80 Nec Piso, quamquam coepta secus cadebant, omisit

p. Ch. 19.

tutissima e praesentibus, sed castellum Ciliciae munitum admodum, cui nomen Celendris, occupat; nam admixtis desertoribus et tirone nuper intercepto suisque et Plancinae servitiis auxilia Cilicum quae reguli miserant, in numerum legionis composuerat, Caesarisque se legatum testabatur provincia quam is dedisset arceri, non a legionibus — earum quippe accitu venire —, sed a Sentio privatum odium falsis criminibus tegente: consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi Pisonem ab ipsis parentem quondam appellatum, si iure ageretur, potioem, si armis, non invalidum vidissent. tum pro munimentis castelli manipulos explicat, colle arduo et derupto; nam cetera mari cinguntur; contra veterani ordinibus ac subsidiis instructi: hinc militum, inde locorum asperitas, sed non animus, non spes, ne tela quidem nisi agrestia, ad subitum usum properata. ut venere in manus, non ultra dubitatum quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur: vertunt terga Cilices seque castello claudunt.

Interim Piso classem haud procul opperientem adpu- 81
gnare frustra temptavit; regressusque et pro muris modo semet adfictando, modo singulos nomine ciens, praemiis vocans seditionem coeptabat, adeoque commoverat ut signifer legionis sextae signum ad eum transtulerit. tum Sentius occanere cornua tubasque et peti aggerem, erigi scalas iussit, ac promptissimum quemque succedere, alios tormentis hastas, saxa et faces ingerere: tandem victa pertinacia Piso oravit ut traditis armis maneret in castello, dum Caesar cui Syriam permitteret consulitur. non receptae conditiones, nec aliud quam naves et tutum in urbem iter concessum est.

At Romae, postquam Germanici valitudo percrebruit 82
cunctaque, ut ex longinquo, aucta in deterius adferebantur, dolor, ira; et erumpebant questus: ideo nimirum in extremas terras relegatum, ideo Pisoni permissam provinciam; hoc egisse secretos Augustae cum Plancina sermones; vera prorsus de Druso seniores locutos: displicere regnantibus civilia filiorum ingenia, neque ob aliud interceptos quam quia populum Romanum aequo iure complecti reddita libertate agitaverint. hos vulgi sermones au-

dita mors adeo incendit ut ante edictum magistratum, ante senatus consultum sumpto iustitio desererentur fora, clauderentur domus; passim silentia et gemitus, nihil compositum in ostentationem; et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis maerebant. forte negotiatores, vivente adhuc Germanico Syria egressi, laetiora de validudine eius attulere: statim credita, statim vulgata sunt; ut quisque obviis, quamvis leviter audita in alios atque illi in plures cumulata gaudio transferunt; cursant per urbem, moliuntur templorum fores; iuvat credulitatem nox et promptior inter tenebras adfirmatio. nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vane-scerent: et populus quasi rursus ereptum acrius doluit.

83 Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique: ut nomen eius Saliari carmine caneretur; sedes curules sacerdotum Augustalium locis superque eas querceae coronae statuerentur; ludos circenses eburna effigies praerent neve quis flamen aut augur in locum Germanici nisi gentis Iuliae crearetur; arcus additi Romae et apud ripam Rheni et in monte Syriae Amano, cum inscriptione rerum gestarum ac mortem ob rem publicam obisse; sepulchrum Antiochiae, ubi crematus, tribunal Epidaphnae, quo in loco vitam finierat: statuarum locorumve in quis coleretur haud facile quis numerum inierit. cum censeretur clipeus auro et magnitudine insignis inter auctores eloquentiae, adseveravit Tiberius solitum paremque ceteris dicaturum: neque enim eloquentiam fortuna discerni, et satis inlustre, si veteres inter scriptores haberetur. equester ordo cuneum Germanici appellavit qui iuniorum dicebatur, instituitque uti turmae idibus Iuliis imaginem eius sequerentur. pleraque manent: quaedam statim omissa sunt, aut vetustas oblitteravit.

84 Ceterum recenti adhuc maestitia soror Germanici Livia, nupta Druso, duos virilis sexus simul enixa est, quod rarum laetumque etiam modicis penatibus, tanto gaudio principem adfecit, ut non temperaverit quin iactaret apud patres nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam: nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat; sed populo tali in tempore id quoque do-

p. Ch. 19.

lorem tulit, tamquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret.

Eodem anno gravibus senatus decretis libido feminarum coercita cautumque ne quaestum corpore faceret cui avus aut pater aut maritus eques Romanus fuisset: nam Vistilia, praetoria familia genita, licentiam stupri apud aediles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversum inpudivas in ipsa professione flagitii credebant. exactum et a Titidio Labeone, Vistiliae marito, cur in uxore delicti manifesta ultionem legis omisisset; atque illo praetendente sexaginta dies ad consultandum datos necdum praeterisse, satis visum de Vistilia statuere; eaque in insulam Seriphon abdita est. actum et de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis factumque patrum consultum, ut quattuor milia libertini generis ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniiis et, si ob gravitatem caeli interissent, vile damnum; ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.

Post quae rettulit Caesar capiendam virginem in locum Occiae, quae septem et quinquaginta per annos summa sanctimonia Vestalibus sacris praesederat; egitque grates Fonteio Agrippae et Domitio Pollioni, quod offerendo filias de officio in rem publicam certarent. praelata est Pollionis filia, non ob aliud quam quod mater eius in eodem coniugio manebat; nam Agrippa discidio domum imminuerat; et Caesar quamvis posthabitam decies sestertii dote solatus est.

Saevitiam annonae incusante plebe statuit frumento pretium quod emptor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios; neque tamen ob ea parentis patriae delatum et antea vocabulum adsumpsit. acerbeque increpuit eos qui divinas occupationes ipsumque dominum dixerant: unde angusta et lubrica oratio sub principe qui libertatem metuebat, adulationem oderat.

Reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum Adgandestrii, principis Chattorum, lectas in senatu litteras quibus mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur, responsumque esse non

fraude neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci. qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque. ceterum Arminius abscedentibus Romanis et pulso Maroboduo regnum adfectans libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit: liberator haud dubie Germaniae et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacestierit, proeliis ambiguus, bello non victus. septem et triginta annos vitae, duodecim potentiae explevit, caniturque adhuc barbaras apud gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus recentium incuriosi.

CORNELII TACITI

ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Agrippina cum urna ferali magno planctu passim excipitur. 2. funerum sollempnia. primores urbis obvii. 3. Tiberius, Augusta et Antonia publico abstinent. 4. maeror publicus. 5. 6. Tiberius, parcus visus in honorando funere, excusat se et populum erigit. 7—9. iustitium omisum. Drusus ad Illyricos exercitus abit; Piso ad Drusum, inde Romam alacri animo. 10. mox accusatur. princeps causam ad senatum remittit. 11. patroni reo quaesiti. 12. Tiberii oratio ad patres. 13. 14. accusatorum criminationem reus male diluit. in eum iudices haud proni, populus offensissimus. 15. 16. Plancina causam suam dissociat. Pisonis mors, dubium an iussa, et ad Tiberium codicilli. 17. 18. Piso filius absolvitur, Plancina Augustae precibus condonatur. sententias in Pisonem princeps mitigat. adulatio cum Claudii despectu. 19. Drusus ovat. Vipsania moritur. 20. Tacfarinas bellum in Africa renovat. 21. id Apronii severitate opprimitur. 22. 23. Lepida suppositi partus, adulterii, veneficii accusata, Tiberio perplexe agente damnatur. 24. Silanus exilii veniam impetrat. 25. lex Papia Poppaea. delatores. 26. 27. excursus

p. Ch. 20.

de legibus, quae initio paucae et simplices, paulatim primo, dein immensum auctae. 28. earum correctio temptata. 29. Nero Germanici ad honores promotus Iuliam ducit, Drusi filiam. 30. Volusii et Sallustii mors et elogium. aulae potentia infida.

31. Tiberius et Drusus coss. irreverentia iuventutis notata. viarum cura. 32. Tacfarinas turbat iterum. Lepidus Asiae proconsul. 33. uxores a provinciis arcet Caecina. 34. ei repugnat Valerius Messalinus adstipulante Druso. 35. Blaesus proconsul Africae. 36. 37. abusus imaginum principalium repressus a Druso. 38. accusati repetundarum, maiestatis. Thraciae motus. 39. quem Velleus comprimit. 40. Gallia ducibus Floro et Sacroviro rebellat. 41. Andecavos coerces Aviola, Turonos opprimit. 42. Florus sua manu cadit. finis Treverici tumultus. 43. Aeduos turbat Sacrovir. 44. Romam percellit, non Tiberium. 45. 46. Silius Gallos fundit, cruppellarios caedit. Sacrovir sibi manum infert. 47. Tiberius simulat iter in Gallias. 48. Quirini mors honestata. 49—51. Lutorius accusatus defenditur a Lepido et necatur in carcere. SC. de differenda poena.

52. Aediles de luxu coercendo agunt. senatus rem remittit ad principem. 53. 54. hic medicinam a tempore sperandam pronuntiat. 55. paulatim sponte mutati mores. 56. 57. tribunicia potestas petita Druso et impetrata cum adulatione patrum. 58. flamen dialis ambit provinciam. 59. alii obsistunt. Drusi superbia notatur. 60—63. imago libertatis. asyla Graecarum civitatum senatus examinat et modum praescribit. 64. Augustae morbus. Tiberii in matrem non sincerus amor. 65. tempora foeda adulatione infecta. 66—68. C. Silanus repetundarum et maiestatis postulatus a multis urgetur et a principe ipso, et damnatur. 69. Dolabellae adulationem reprimit Tiberius et sententias mitigat. 70. Cordus, Ennius, Capito rei. 71. equestris Fortuna. ius flaminium. 72. basilica Paulli. Pompeii theatrum. 73. Tacfarinatis petitio impudens. 74. Blaesus cum aggreditur, fratrem eius capit, nec bellum conficit. 75. 76. mors Salonini, Capitonis, Iuniae, cuius sollemne funus.

Haec triennio gesta M. Valerio et C. Aurelio, Tiberio imp. IV. et Druso Nerone II, C. Sulpicio et D. Haterio coss.

Nihil intermissa navigatione hiberni maris Agrippina 1
Corcyram insulam advehitur, litora Calabriae contra sitam; illic paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu et nescia tolerandi. interim adventu eius audito intimus quisque amicorum et plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium, quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsu erat; atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus

et proxima maris, sed moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, maerentium turba et rogitantium inter se, silentione an voce aliqua egredientem exciperent; neque satis constabat quid pro tempore foret, cum classis paulatim successit, non alacri, ut adsolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi defixit oculos, idem omnium gemitus; neque discerneres proximis, alienos, virorum feminarumve planctus, nisi quod comitatum Agrippinae longo maerore fessum obvii et recentes in dolore anteibant.

2 Miserat duas praetorias cohortes Caesar, addito ut magistratus Calabriae Apulique et Campani suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur; igitur tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur; praecedebant incompta signa, versi fasces; atque ubi colonias transgredierentur, atrata plebis, trabeati equites pro opibus loci vestem, odores aliaque funerum sollempnia cremabant; etiam quorum diversa oppida, tamen obvii et victimas atque aras dis Manibus statuentes lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Tarracinam progressus est cum Claudio fratre liberisque Germanici qui in urbe fuerant. consules M. VALERIUS et M. AURELIUS — iam enim magistratum ceperant — et senatus ac magna pars populi viam complevere, disieciti et ut cuique libitum flentes; aberat quippe adulatio, gnaris omnibus lactam Tiberio Germanici mortem male dissimulari.

3 Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius maiestate sua rati, si palam lamentarentur, an ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intellegerentur. matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam, cum super Agrippinam et Drusum et Claudium ceteri quoque consanguinei nominatim perscripti sint, seu valitudine praepediebatur, seu victus luctu animus magnitudinem mali praeferre visu non toleravit: facilius crediderim Tiberio et Augustae, qui domo non excedebant, cohibitam, ut par maeror et matris exemplo avia quoque et patruus attingi viderentur.

p. Ch. 20.

Dies quo reliquiae tumulo Augusti infercebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquis; plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces; illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus concidisse rem publicam, nihil spei reliquum clamitabant, promptius apertiusque quam ut meminisse imperitantium crederes. nihil tamen Tiberium magis penetravit quam studia hominum accensa in Agrippinam, cum decus patriae, solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen appellarent versique ad caelum ac deos integram illi subolem ac superstitem iniquorum precarentur.

Fuere qui publici funeris pompam requirerent comparentque quae in Drusum, patrem Germanici, honora et magnifica Augustus fecisset: ipsum quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse; circumfusas lecto Claudiorum Iuliorumque imagines; defletum in foro, laudatum pro rostris; cuncta a maioribus reperta aut quae posterii invenerint, cumulata: at Germanico ne solitos quidem et cuicumque nobili debitos honores contigisse. sane corpus ob longinquitatem itinerum externis terris quoquo modo crematum; sed tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negavisset: non fratrem, nisi unius dici via, non patrum saltem porta tenus obvium; ubi illa veterum instituta, propositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina et laudationes, et lacrimas vel doloris imitamenta? gnarum id Tiberio fuit; utque premeret vulgi sermones, monuit edicto multos inlustrium Romanorum ob rem publicam obisse, neminem tam flagranti desiderio celebratum, idque et sibi et cunctis egregium, si modus adiceretur; non enim eadem decora principibus viris et imperatori populo quae modicis domibus aut civitatibus. convenisse recenti dolori luctum et ex macerore solatia; sed referendum iam animum ad firmitudinem, ut quondam divus Iulius amissa unica filia, ut divus Augustus ereptis nepotibus abstruserint tristitiam; nil opus vetustioribus exemplis: quotiens populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit. principes mortales, rem publi-

cam aeternam esse: proin repeterent sollemnia; et quia ludorum Megalesium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent.

- 7 Tum exuto iustitio reditum ad munia, et Drusus Illyricos ad exercitus profectus est, erectis omnium animis petendae e Pisone ultionis et crebro questu quod vagus interim per amoena Asiae atque Achaiae adroganti et subdola mora scelerum probationes subverteret; nam vulgatum erat missam, ut dixi, a Cn. Sentio famosam veneficiis Martinam subita morte Brundisii extinctam, venenumque nodo trinium eius occultatum, nec ulla in corpore signa sumpti exitii reperta.
- 8 At Piso praemisso in urbem filio datisque mandatis per quae principem molliret, ad Drusum pergit; quem haud fratris interitu trucem quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat. Tiberius quo integrum iudicium ostentaret, exceptum comiter iuvenem sueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget. Drusus Pisoni, si vera forent quae iacerentur, praecipuum in dolore suum locum respondit; sed malle falsa et inania nec cuiquam mortem Germanici exitiosam esse. haec palam et vitato omni secreto; neque dubitabantur praescripta ei a Tiberio, cum incallidis aliqui et facilis iuventa senilibus tum artibus uteretur.
- 9 Piso Delmatico mari tramisso relictisque apud Ancenam navibus per Picenum ac mox Flaminiam viam adsequitur legionem quae e Pannonia in urbem, dein praesidio Africae ducebatur; caque res agitata rumoribus, ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset. ab Narnia, vitandae suspicionis an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus auxit vulgi iras, quia navem tumulo Caesarum adpulerat dieque et ripa frequenti magno clientium agmine ipse, feminarum comitatu Plancina et vultu alacres incessere. fuit inter iritamenta invidiae domus foro imminens festa ornatu, conviviumque et epulae, et celebritate loci nihil occultum.
- 10 Postera die Fulcinus Trio Pisonem apud consules postulavit; contra Vitellius ac Veranius ceterique Germanicum comitati tendebant, nullas esse partis Trioni;

p. Ch. 20.

nèque se accusatores, sed rerum indices et testes mandata Germanici perlaturus. ille dimissa eius causae delatione, ut priorem vitam accusaret obtinuit, petitumque est a principe cognitionem exciperet, quod ne reus quidem abnuebat, studia populi et patrum metuens: contra Tiberium spernendis rumoribus validum et conscientiae matris innexum esse; veraque aut in deterius credita iudice ab uno facilius discerni, odium et invidiam apud multos valere. haud fallebat Tiberium moles cognitionis, quaque ipse fama distraheretur; igitur paucis familiarium adhibitis minas accusantium et hinc preces audit integramque causam ad senatum remittit. atque interim Drusus rediens 11 Illyrico, quamquam patres censuissent ob receptum Maroboduum et res priore aestate gestas ut ovans iniret, pro lato honore urbem intravit.

Post quae reo L. Arruntium, L. Vinicium, Asinium Gallum, Aeserninum Marcellum, Sex. Pompeium patronos petenti iisque diversa excusantibus M. Lepidus et L. Piso et Livineius Regulus adfuere, arrepta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo; satim cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. haud alias sententior populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit.

Die senatus Caesar orationem habuit meditato temperamento: patris sui legatum atque amicum Pisonem fuisse, adiutoremque Germanico datum a se, auctore senatu, rebus apud Orientem administrandis: illic contumacia et certaminibus asperasset iuvenem exituque eius laetatus esset, an scelere extinxisset, integris animis diiudicandum. „nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exiit eiusdemque morte et luctu meo laetatus est, odo seponamque a domo mea et privatas inimicitias non vi principis ulciscar: sin facinus in cuiuscumque mortalium nece vindicandum detegitur, vos vero et liberos Germanici et nos parentes iustis solatiis adficate, simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, quaesita sint per ambitionem studia militum, armis repetita provincia, an falsa haec in maius vulgaverint accusatores; quorum ego nimis studiis iure succenseo: nam

quo pertinuit nudare corpus et contrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam per externos tamquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista et scrutanda sunt? defleo equidem filium meum semperque deflebo; sed neque reum prohibeo quo minus cuncta proferat quibus innocentia eius sublevari aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit, vosque oro ne, quia dolori meo causa connexa est, obiecta crimina pro adprobatis accipiatis. si quos propinquus sanguis aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia et cura valet, iuvate periclitantem; ad eundem laborem, eandem constantiam accusatores hortor. id solum Germanico super leges praestiterimus, quod in curia potius quam in foro, apud senatum quam apud iudices de morte eius anquiritur: cetera pari modestia tractentur; nemo Drusi lacrimas, nemo maestitiam meam spectet, nec si qua in nos adversa finguntur.“

13 Exim biduum criminibus obiciendis statuitur, utque sex dierum spatio interiecto reus per triduum defendetur. tum Fulcinius vetera et inania orditur, ambitiose avareque habitam Hispaniam; quod neque convictum noxae rec, si recentia purgaret, neque defensum absolutioni erat, si teneretur maioribus flagitiis. post quem Servaeus et Veranius et Vitellius consimili studio, et multa eloquentia Vitellius, obiecere odio Germanici et rerum novarum studio Pisonem vulgus militum per licentiam et sociorum iniurias eo usque corrupisse ut parens legionum a deterrimis appellaretur; contra in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germanici saevisse; postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse; sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinae, petitam armis rem publicam, utque reus agi posset, acie victum.

14 Defensio in ceteris trepidavit; nam neque ambitionem militarem neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum imperatorem infitari poterat: solum veneni crimen visus est diluisse, quod ne accusatores quidem satis firmabant, in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet, infectos manibus eius cibos arguentes: quippe absurdum videbatur, inter

p. Ch. 20.

aliena servitia et tot adstantium visu, ipso Germanico coram, id ausum; offerebatque familiam reus et ministros in tormenta flagitabat. sed iudices per diversa implacabiles erant, Caesar ob bellum provinciae inlatum, senatus numquam satis credito sine fraude Germanicum interisse *** scripsissent expostulantes; quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere. simul populi ante curiam voces audiebantur; non temperatos manibus, si patrum sententias evasisset; effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias ac divellebant, ni iussu principis protectae repositaeque forent. igitur inditus lecticae et a tribuno praetoriae cohortis deductus est, vario rumore, custos saluti an mortis exactor sequeretur.

Eadem Plancinae invidia, maior gratia; eoque ambiguum habebatur quantum Caesari in eam liceret; atque ipsa, donec mediae Pisoni spes, sociam se cuiuscumque fortunae et, si ita ferret, comitem exitii promittebat: ut secretis Augustae precibus veniam obtinuit, paulatim segregari a marito, dividere defensionem coepit. quod reus postquam sibi exitiabile intellegit, an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filiis durat mentem senatumque rursus ingreditur; redintegratamque accusationem, infensas patrum voces, adversa et saeva cuncta perpeussus, nullo magis exterritus est quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit ne quo adfectu perumperetur. relatus domum, tamquam defensionem in posterum meditaretur, pauca conscribit obsignatque et liberto tradit; tum solita curando corpori exsequitur; dein multam post noctem, egressa cubiculo uxore, operiri fores iussit; et coepta luce perfosso iugulo, iacente humi gladio, repertus est.

Audire me memini ex senioribus visum saepius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicos eius dictitavisse litteras Tiberii et mandata in Germanicum contineri, ac destinatum promere apud patres principemque arguere, ni elusus a Seiano per vana promissa foret; nec illum sponte extinctum, verum inmisso percussore: quorum neutrum adseveraverim, neque tamen oculere debui narratum ab iis qui nostram ad iuventam

duraverunt. Caesar flexo in maestitiam ore, suam invidiam tali morte quaesitam apud senatum *** crebrisque interrogationibus exquiri qualem Piso diem supremum noctemque exegisset; atque illo pleraque sapienter, quaedam inconsultius respondente recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos: „conspiratione inimicorum et invidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati et innocentiae meae nusquam locus est, deos immortales testor vixisse me, Caesar, cum fide adversum te neque alia in matrem tuam pietate; vosque oro, liberis meis consulatis, ex quibus Cn. Piso qualicumque fortunae meae non est adiunctus, cum omne hoc tempus in urbe egerit, M. Piso repetere Syriam dehortatus est: atque utinam ego potius filio iuveni quam ille patri seni cessisset. eo inpensius precor ne meae pravitatis poenas innoxius luat: per quinque et quadraginta annorum obsequium, per collegium consulatus quondam divo Augusto, parenti tuo, probatus et tibi amicus nec quicquam post haec rogaturus salutem infelicis filii rogo.“ de Plancina nihil addidit.

- 17 Post quae Tiberius adolescentem crimine civilis belli purgavit — patris quippe iussa, nec potuisse filium detrectare —, simul nobilitatem domus, etiam ipsius quoquo modo meriti gravem casum miseratus. pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit, matris preces obtendens, in quam optimi cuiusque secreti questus magis ardescebant: id ergo fas aviae, interfetricem nepotis aspicere, adloqui, eripere senatui; quod pro omnibus civibus leges obtineant, uni Germanico non contigisse; Vitellii et Veranii voce defletum Caesarem, ab imperatore et Augusta defensam Plancinam: proinde venena et artes tam feliciter expertas verteret in Agrippinam, in liberos eius, egregiamque aviam ac patrum sanguine miserrimae domus exsatiaret. biduum super hac imagine cognitionis absumptum, urgente Tiberio liberos Pisonis, matrem uti tuerentur; et cum accusatores ac testes certatim perorarent respondente nullo, miseratio quam invidia augebatur. primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul — nam referente Caesare magistratus eo etiam munere fungebantur — nomen

p. Ch. 20.

Pisonis radendum fastis censuit, partem bonorum publicandam, pars ut Cn. Pisoni filio concederetur isque praenomen mutaret; M. Piso exuta dignitate et accepto quinquagies sestertio in decem annos relegaretur, concessa Plancinae incolumitate ob preces Augustae.

Multa ex ea sententia mitigata sunt a principe: ne 18 nomen Pisonis fastis eximeretur, quando M. Antonii, qui bellum patriae fecisset, Iuli Antonii, qui domum Augusti violasset, manerent; et M. Pisonem ignominiae exemit concessitque ei paterna bona, satis firmus, ut saepe memoravi, adversum pecuniam et tum pudore solutae Plancinae placabilior; atque idem, cum Valerius Messalinus signum aureum in aede Martis Ultoris, Caccina Severus aram Ultioni statuendam censuissent, prohibuit, ob externas ea victorias sacrari dicitans: domestica mala tristitia operienda. addiderat Messalinus Tiberio et Augustae et Antoniae et Agrippinae Drusoque ob vindictam Germanici grates agendas omiseratque Claudii mentionem: et Messalinum quidem L. Asprenas senatu coram percontatus est an prudens praeterisset; ac tum demum nomen Claudii adscriptum est; mihi, quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur: quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat.

Paucis post diebus Caesar auctor senatui fuit Vitellio 19 atque Veranio et Servaeo sacerdotia tribuendi; Fulcinio suffragium ad honores pollicitus monuit ne facundiam violentia praecipitaret. is finis fuit ulciscenda Germanici morte, non modo apud illos homines qui tum agebant, etiam secutia temporibus vario rumore iactata: adeo maxima quaeque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro conpertis habent, alii vera in contrarium vertunt, et gliscit utrumque posteritate. at Drusus urbe egressus repetendis auspiciis, mox ovans introiit; paucosque post dies Vipsania, mater eius, excessit, una omnium Agrippae liberorum miti obitu: nam ceteros manifestum ferro vel creditum est veneno aut fame extinctos.

Eodem anno Tacfarinas, quem [priori aestate] pulsum 20

a Camillo memoravi, bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus et ob pernicitatem inultis, dein vicos excindere, trahere graves praedas; postremo haud procul Pagyda flumine cohortem Romanam circumscedit. praecerat castello Decrius, impiger manu, exercitus militia et illam obsidionem flagitii ratus: is cohortatus milites ut copiam pugnae in aperto facerent, aciem pro castris instruit, primoque impetu pulsa cohorte promptus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos quod inconditis aut desertoribus miles Romanus terga daret; simul excepta vulnera et, quamquam transfosso oculo, adversum os in hostem intendit neque proelium omisit, donec desertus suis caderet.

- 21 Quae postquam L. Apronio — nam Camillo successerat — comperta, magis de decore suorum quam gloria hostis anxius, raro ea tempestate et e vetere memoria facinore decumum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos fusti necat: tantumque severitate profectum ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias, praesidium cui Thala nomen adgressas, fuderint; quo proelio Rufus Helvius, gregarius miles, servati civis decus rettulit donatusque est ab Apronio torquibus et hasta: Caesar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius iure proconsulis tribuisset, questus magis quam offensus. sed Tacfarinas percussis Numidis et obsidia aspernantibus spargit bellum, ubi instaretur, cedens ac rursus in terga remeans; et dum ea ratio barbaro fuit, inritum fessumque Romanum impune ludificabatur: postquam deflexit ad maritimos locos et inligatus praeda stativis castris adhaerebat, missu patris Apronius Caesianus cum equite et cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam facit pellitque in deserta.

- 22 At Romae Lepida, cui super Aemiliorum decus L. Sulla et Cn. Pompeius proavi erant, defertur simulavisse partum ex P. Quirinio, divite atque orbo; adiciebantur adulteria, venena quaesitumque per Chaldaeos in domum Caesaris, defendente ream Manio Lepido fratre; Quirinius post dictum repudium adhuc infensus, quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat. haud facile quis dispexerit

p. Ch. 20.

illa in cognitione mentem principis: adeo verit ac miscuit irae et clementiae signa; deprecatus primo senatum ne maiestatis crimina tractarentur, mox M. Servilium e consularibus aliosque testes inlexit ad proferenda quae velut reicere voluerat; idemque servos Lepidae, cum militari custodia haberentur, transtulit ad consules neque per tormenta interrogari passus est de iis quae ad domum suam pertinent; exemit etiam Drusum, consulem designatum, dicendae primo loco sententiae, quod alii civile rebantur, ne ceteris adsentiendi necessitas fieret, quidam ad saevitiam trahebant: neque enim cessurum nisi ~~com~~mandi officio.

Lepida ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant, 23 theatrum cum claris feminis ingressa, lamentatione flebili maiores suos cicens ipsumque Pompeium, cuius ea monumenta et adstantes imagines visebantur, tantum misericordiae permovit ut effusi in lacrimas saeva et detestanda Quirinio clamitarent, cuius senectae atque orbitati et obscurissimae domui destinata quondam uxor L. Caesari ac divo Augusto nurus dederetur. dein tormentis servorum patefacta sunt flagitia, itumque in sententiam Rubellii Blandi, a quo aqua atque igni arcebatur; huic Drusus adsensit, quamquam alii mitius censuissent; mox Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum ne bona publicarentur: tum demum aperuit Tiberius compertum sibi etiam ex P. Quirinii servis veneno eum a Lepida petitem.

Inlustrum domuum adversa — etenim haud multum 24
distanti tempore Calpurnii Pisonem, Aemilii Lepidam amiserant — solatio adfecit D. Silanus Iunia familiae reditus; casum eius paucis repetam. ut valida divo Augusto in rem publicam fortuna, ita domi inprospera fuit ob inprudicitiam filiae ac neptis, quas urbe depulit adulterosque earum morte aut fuga punivit; nam culpam inter viros ac feminas vulgatam gravi nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis appellando clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur. sed aliorum exitus, simul cetera illius aetatis memorabo, si effectis in quae tetendi plures ad curas vitam produxero: D. Silanus in nepti Augusti adulter, quamquam non ultra foret saevitum quam ut amicitia Caesaris prohiberetur, exilium sibi demonstrari

intellexit nec nisi Tiberio imperitante deprecari senatum ac principem ausus est M. Silani fratris potentia, qui per insignem nobilitatem et eloquentiam praecelebat. sed Tiberius gratis agenti Silano patribus coram respondit se quoque laetari quod frater eius e peregrinatione longinqua revertisset, idque iure licitum, quia non senatus consulto, non lege pulsus foret; sibi tamen adversus eum integras parentis sui offensiones, neque reditu Silani dissoluta quae Augustus voluisset. fuit posthac in urbe neque honores adeptus est.

- 25 Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat; nec ideo coniugia et educationes liberum frequentabantur, praevalida orbitate; ceterum multitudo periclitantium gliscebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur, utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admonet ut de principiis iuris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram.
- 26 Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena aut coercitionibus agebant; neque praemiis opus erat, cum honesta suoapte ingenio peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. at postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes multosque apud populos aeternum mansere; quidam statim, aut postquam regum pertaesum, leges maluerunt. hae primo rudibus hominum animis simplices erant, maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensibus quaesitores iam et plures Solo perscripsit: nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat; dein Numa religionibus et divino iure populum devinxit, repertaque quaedam a Tullo et Anco; sed praecipuus Servius Tullius sanctorum legum fuit, quis etiam reges obtemperarent.
- 27 Pulso Tarquinio adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae, creatique decemviri et accitis quae usquam egre com-

p. Ch. 20.

positae duodecim tabulae, finis aequi iuris; nam secutae leges etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum et apiscendi illicitos honores aut pelendi claros viros aliaque ob prava per vim latae sunt. hinc Gracchi et Saturnini, turbatores plebis, nec minor largitor nomine senatus Drusus; corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii; ac ne bello quidem Italico, mox civili omissum, quin multa et diversa sciscerentur, donec L. Sulla dictator abolitis vel conversis prioribus, cum plura addidisset, otium eius rei haud in longum paravit, statim turbidis Lepidi rogationibus neque multo post tribunis reddita licentia, quoquo vellent, populum agitandi. iamque non modo in commune, sed in singulos homines latae quaestiones; et corruptissima re publica plurimae leges.

Tum Cn. Pompeius tertium consul corrigendis moribus 28
delectus et gravior remediis quam delicta erant suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur, armis amisit. exin continua per viginti annos discordia; non mos, non ius; deterrima quaeque impune, ac multa honesta exitio fuere. sexto demum consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu iusserat abolevit deditque iura quis pace et principe uteremur. acriora ex eo vincla, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. sed altius penetrabant urbemque et Italiam et quod usquam civium corripuerant, multorumque excisi status; et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio quinque consularium, quinque e praetoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset, apud quos exsoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere.

Per idem tempus Neronem e liberis Germanici, iam 29
ingressum iuventam, commendavit patribus, utque munere capessendi vigintiviratus solveretur et quinquennio maturius quam per leges quaesturam peteret, non sine inrisu audientium postulavit; praetendebat sibi atque fratri decreta eadem petente Augusto. sed neque tum fuisse dubitaverim, qui eiusmodi preces occulti inluderent: ac tamen

initia fastigii Caesaribus erant magisque in oculis vetus mos et privatus cum vitrico levior necessitudo quam avo adversum nepotem. additur pontificatus et quo primum die forum ingressus est congiarium plebi, admodum laetae, quod Germanici stirpem iam puberem aspiciebat. auctum dehinc gaudium nuptiis Neronis et Iuliae, Drusi filiae. utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum quod filio Claudii socer Seianus destinaretur: polluisse nobilitatem familiae videbatur suspectumque iam nimiae spei Seianum ultro extulisse.

30 Fine anni concessere vita insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia neque tamen praeturam egressa; ipse consulatum intulit, censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus opumque, quis domus illa inmensum vixit, primus adcumulator. Crispum, equestri ortum loco, C. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit; atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copiaque et affluentia luxu propior; suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior quo somnum et inertiam magis ostentabat; igitur incolumi Maecenate proximus, mox praecipuus cui secreta imperatorum inniterentur et interficiendi Postumi Agrippae conscius, aetate proventa speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit: idque et Maecenati acciderat, fato potentiae raro sempiternae, an satias capit aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum est quod cupiant.

31 Sequitur TIBERII QUARTUS, DRUSI SECUNDUS CONSULATUS patris atque filii collegio insignis; nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor neque patruo laetus neque natura tam connexus fuerat. eius anni principio Tiberius, quasi firmandae validudini, in Campaniam concessit, longam et continuam absentiam paulatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia consulatus solus impleret. ac forte parva res magnum ad certamen progressa praebuit iuveni materiem apiscendi favoris: Domitius Corbulo, praec-

p. Ch. 21.

tura functus, de L. Sulla, nobili iuvene, ~~quod~~ est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset; pro Corbulone aetas, patrius mos, studia seniorum erant: contra Mamercus Scaurus et L. Arruntius alique Sullae propinqui nitebantur; certabantque orationibus et memorabantur exempla maiorum, qui iuventutis irreverentiam gravibus decretis notavissent, donec Drusus apta temperandis animis disseruit; et satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullae et oratorum ea aetate uberrimus erat. idem Corbulo plurima per Italiam itinera fraude mancipum et incuria magistratum interrupta et inpervia clamitando executionem eius negotii libens suscepit; quod haud perinde publice usui habitum quam exitiosum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta saeviebat.

Neque multo post missis ad senatum litteris Tiberius ³² motam rursus Africam incursu Tacfarinatis docuit, iudicioque patrum deligendum pro consule gnarum militiae, corpore validum et bello suffecturum. quod initium Sex. Pompeius agitandi adversus Marcum Lepidum odii nactus, ut socordem, inopem et maioribus suis dedecorum eoque etiam Asiae sorte depellendum incusavit, adverso senatu, qui Lepidum mitem magis quam ignavum, paternas ei angustias et nobilitatem sine probro actam honori quam ignominiae habendam ducebat: igitur missus in Asiam; et de Africa decretum ut Caesar legeret cui mandanda foret.

Inter quae Severus Caecina censuit ne quem magistratum, ³³ cui provincia obvenisset, uxor comitaretur, multum ante repetito concordem sibi coniugem et sex partus enixam, seque quae in publicum statueret domi servavisse, cohibita intra Italiam, quamquam ipse plures per provincias quadraginta stipendia explevisset; haud enim frustra placitum olim ne feminae in socios aut gentes externas traherentur: inesse mulierum comitatu quae pacem luxu, bellum formidine morentur et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. non inbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed si licentia adsit, saevum, ambitiosum, potestatis avidum; incedere inter

milites, habere ad manum eenturiones; praesedissee nuper feminam ex exercitio cohortium, decursu legionum. cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus obiectari; his statim adhaerescere deterrimum quemque provincialium, ab his negotia suscipi, transigi; duorum egressus coli, duo esse praetoria, pervicacibus magis et inpotentibus mulierum iussis, quae Oppiis quondam aliisque legibus constrictae, nunc vinclis exsolutis domos, fora, iam et exercitus regerent.

- 34 Paucorum haec adsensu audita: plures obturbabant, neque relatum de negotio neque Caecinam dignum tantae rei censorem. mox Valerius Messalinus, cui parens Messala ineratque imago paternae facundiae, respondit: multa duritiae veterum in melius et laetius mutata; neque enim, ut olim, adsidere urbem bellis aut provincias hostilis esse; et pauca feminarum necessitatibus concedi, quae ne coniugum quidem penates, adeo socios non onerent; cetera promisca cum marito, nec ullum in eo pacis impedimentum. bella plane accinctis obeunda; sed revertentibus post laborem quod honestius quam uxorium levamentum? at quasdam in ambitionem aut avaritiam prelapsas: quid? ipsorum magistratuum nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in provinciam mitti. corruptos saepe pravitatibus uxorum maritos: num ergo omnis caelibes integros? placuisse quondam Oppias leges, sic temporibus rei publicae postulantibus; remissum aliquid postea et mitigatum, quia expedierit. frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam, si femina modum excedat. porro ob unius aut alterius inbecillum animum male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. simul sexum natura invalidum deserere et exponi suo luxu, cupidinibus alienis; vix praesenti custodia manere inlaesa coniugia: quid fore, si per plures annos in modum discidii oblitterentur? sic obviam irent iis quae alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminissent. addidit pauca Drusus de matrimonio suo: nam principibus adeunda saepius longinqua imperii; quotiens divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse comite Livia! se quoque in Illyricum profectum,

p. Ch. 21.

et si ita conducatur, alias ad gentes iturum, ~~quod~~ ^{quod} semper aequo animo, si ab uxore carissima et ~~in~~ ⁱⁿ communium liberorum parente divelleretur. sic Caecinae ~~sententia~~ ^{sententia} elusa.

Et proximi senatus die Tiberius per litteras castigatis ³⁵ oblique patribus quod cuncta curarum ad principem reicerent, M. Lepidum et Iunium Blaesum nominavit ex quis pro consule Africae legeretur. tum audita amborum verba, intentius excusante se Lepido, cum validudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtenderet, intellegere-turque etiam quod silebat, avunculum esse Seiani Blae-~~um~~ ^{um} atque eo praevalidum; respondit Blaesus specie re-cusantis, sed neque eadem adseveratione, et consensu ~~adulantium~~ ^{adulantium} haud iutus est.

Exim promptum quod multorum intimis questibus te- ³⁶ ~~gebatur~~ ^{gebatur}: incedebat enim deterrimo cuique licentia impune probra et invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris; libertique etiam ac servi patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur. igitur C. Cestius senator disseruit: principes quidem instar deo-rum esse; sed neque a diis nisi iustas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliave urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur; abolitas leges et funditus versas, ubi in foro, in limine curiae ab Annia Rufilla, quam fraudis sub iudice damnavisset, probra sibi et minae intenduntur, neque ipse audeat ius ex-periri ob effigiem imperatoris oppositam. haud dissimilia alii, et quidam atrociora circumstrepebant, precabantur-que Drusum, daret ultionis exemplum, donec accitam con-victamque attineri publica custodia iussit.

Et Considius Aequus et Caelius Cursor, equites Ro- ³⁷ mani, quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilia-num praetorem petivissent, auctore principe ac decreto senatus puniti. utrumque in laudem Drusi trahebatur: ab eo in urbe, inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari; neque luxus in iuvene adeo displi-cebat: huc potius intenderet, diem aedificationibus, noctem conviviis traheret, quam solus et nullis voluptatibus avo-catus maestam vigilantiam et malas curas exerceret.

Non enim Tiberius, non accusatores fatiscabant: et ³⁸

Ancharius ~~Piscus~~ Caesium Cordum, pro consule Cretae, postulaverat repetundis addito maiestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat. Caesar Antistium Veterem e primoribus Macedoniae, absolutum adulterii, increpitis iudicibus ad dicendam maiestatis causam retraxit ut turbidum et Rhescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate Cotye [fratre] interfecto bellum adversus nos voverat; igitur aqua et igni interdictum reo, adpositumque ut teneretur insula neque Macedoniae neque Thracia opportuna.

Nam Thracia diviso imperio in Rhoemetalcen et liberis Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus, insolentia nostri discors agebat neque minus Rhoemetalcen quam Trebellienum incusans popularium iniurias inultas sinere. Coelaetae Odrysaeeque et Dii, validae nationes, arma cepere, ducibus diversis et paribus inter se per ignobilitatem; quae causa fuit ne in bellum atrox coalescerent: pars turbant praesentia, alii montem Haemum transgrediuntur ut remotos populos concirent; plurimi ac maxime compositi regem urbemque Philippopolim, a Macedone Philippo sitam, circumsidunt. quae ubi cognita P. Vellaeo — is proximum exercitum praesidebat — alarios equites ac levis cohortium mittit in eos qui praedabundi aut adsumendis auxiliis vagabantur, ipse robur perditum ad exsolvendum obsidium ducit, simulque cuncta prospere acta, caesis populatoribus et dissensione orta apud obsidentes regisque opportuna eruptione et adventu legionis: neque aciem aut proelium dici decuerit, in quo semermi ac palantes trucidati sunt sine nostro sanguine.

40 Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem aeris alieni rebellionem coeptavere, cuius exstimulator acerrimus inter Treveros Iulius Florus, apud Aeduos Iulius Sacrovir. nobilitas ambobus et maiorum bona facta, eoque Romana civitas olim data, cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset: ii secretis colloquiis, ferocissimo quoque adsumpto aut quibus ob egestatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo, componunt Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire; igitur per conciliabula et coetus seditiosa disserebant de continuatione tributo-

p. Ch. 21.

rum, gravitate fenoris, saevitia ac superbia praesidentium; et discordare militem audito Germanici exitu; egregium resumendae libertati tempus, si ipsi florentes, quam inops Italia, quam inbellis urbana plebis, nihil validum in exercitibus nisi quod externum cogitarent.

Haud ferme ulla civitas intacta seminibus eius motus 41 fuit; sed erupere primi Andecavi ac Turoni; quorum Andecavos Acilius Aviola legatus, excita cohorte quae Lugduni praesidium agitabat, coercuit; Turoni legionario milite quem Visellius Varro, inferioris Germaniae legatus, miserat, oppressi eodem Aviola duce et quibusdam Galliarum primoribus, qui tulere auxilium quo dissimularent defectionem magisque in tempore efferrent; spectatus et Sacrovir intecto capite pugnam pro Romanis ciens, ostentandae, ut ferebat, virtutis; sed captivi, ne incesseretur telis, agnoscendum se praebuisse arguebant. consultus super eo Tiberius aspernatus est indicium aluitque dubitatione bellum.

Interim Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, quae conscripta e Treveris militia disciplinaque nostra habebatur, ut caesis negotiatoribus Romanis bellum inciperet; paucique equitum corrupti, plures in officio mansere: aliud vulgus obaeratorum aut clientium arma cepit; petebantque saltus quibus nomen Arduenna, cum legiones utroque ab exercitu, quas Visellius et C. Silius adversis itineribus obiecerant, arcuerunt; praemissusque cum delecta manu Iulius Indus e civitate eadem, discors Floro et ob id navandae operae avidior, inconditam multitudinem adhuc disiecit. Florus incertis latebris victores frustratus, postremo visis militibus qui effugia insederant, sua manu cecidit; isque Treverici tumultus finis.

Apud Aeduos maior moles exorta, quanto civitas opulentior et comprimendi procul praesidium. Augustodunum, caput gentis, armatis cohortibus Sacrovir occupaverat et nobilissimam Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignore parentes propinquosque eorum adiungeret; simul arma occulte fabricata iuventuti dispertit. quadraginta milia fuere, quinta sui parte legionariis armis, ceteri cum venabulis et cultris quaeque alia venantibus

tela sunt; adduntur e servitiis gladiaturae destinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen: cruppellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impetrabiles. augebantur eae copiae vicinarum civitatum ut nondum aperta consensione, ita viritum promptis studiis, et certamine ducum Romanorum, quos inter ambigebatur utroque bellum sibi poscente: mox Varro invalidus senecta vigenti Silio concessit.

- 44 At Romae non Treveros modo et Aeduos, sed quattuor et sexaginta Galliarum civitates descivisse, adsumptos in societatem Germanos, dubias Hispanias, cuncta, ut mos famae, in maius credita; optumus quisque rei publicae cura maerebat; multi odio praesentium et cupidine mutationis suis quoque periculis laetabantur; increpabantque Tiberium quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam: an et Sacrovirum maiestatis crimine reum in senatu fore? extitisse tandem viros, qui cruentas epistulas armis cohiberent: miseram pacem vel bello bene mutari. tanto inpensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed ut solitum, per illos dies egit, altitudine animi, an conpererat modica esse et vulgatis leviora.
- 45 Interim Silius cum legionibus duabus incedens, praemissa auxiliari manu vastat Sequanorum pagos, qui finium extremi et Aeduis contermini sociique in armis erant; mox Augustodunum petit propero agmine, certantibus inter se signiferis, fremente etiam gregario milite ne suetam requiem, ne spatia noctium opperiretur: viderent modo adversos et aspicerentur; id satis ad victoriam. duodecimum apud lapidem Sacrovir copiaeque patentibus locis apparuere; in frontem statuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo semermos; ipse inter primores equo insigni adire, memorare veteres Gallorum glorias quaeque Romanis adversa intulissent; quam decora victoribus li-
- 46 bertas, quanto intolerantior servitus iterum victis. non diu haec nec apud laetos — etenim propinquabat legionum acies —; inconditumque ac militiae nescii oppidani neque oculis neque auribus satis competebant. contra Silius, etsi praesumpta spes hortandi causas exemerat, clamitabat ta-

p. Ch. 21.

men pudendum ipsis quod Germaniarum ~~Victoria~~ ^{Victoria} adversum Gallos tamquam in hostem ducerentur. „una nuper cohors rebellem Turonum, una ala Treverum, paucae huius ipsius exercitus turmae profligavere Sequanos: quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis inbelles Aeduos evincite et fugientibus consulite.“ ingens ad ea clamor, et circumfudit eques, frontemque pedites invasere; nec cunctatum apud latera: paulum morae attulere ferrati, restantibus lamminis adversum pila et gladios; sed miles correptis securibus et dolabris, ut si murum perumperet, caedere tegmina et corpora; quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere, iacentesque nullo ad resurgendum nisu quasi exanimes linquebantur. Sacrovir primo Augustodunum, dein metu deditionis in villam propinquam cum fidissimis pergit: illic sua manu, reliqui mutuis ictibus occidere; incensa super villa omnes cremavit.

Tum demum Tiberius ortum patratumque bellum ⁴⁷ natu scripsit; neque dempsit aut addidit vero, sed fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse; simul causas cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxit, magnitudinem imperii extollens, neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet, omissam urbem, unde in omnia regimen: nunc quia non metu ducatur, iturum, ut praesentia spectaret componeretque. decrevere patres vota pro reditu eius supplicationesque et alia decora: solus Dolabella Cornelius, dum anteire ceteros parat, absurdam in adulationem progressus, censuit ut ovans e Campania urbem introiret; igitur secutae Caesaris litterae, quibus se non tam vacuum gloria praedicabat, ut post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in iuventa aut spretos triumphos, iam senior peregrinationis suburbanae inane praemium peteret.

Sub idem tempus, ut mors Sulpicii Quirini publicis ⁴⁸ exsequiis frequentaretur, petivit a senatu. nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium, sed impiger militiae et acerbis ministeriis consulatum sub divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia

triumphi adeptus; datusque rector C. Caesari Armeniam obtinenti Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat, quod tunc patefecit in senatu, laudatis in se officiis et incusato M. Lollio, quem auctorem C. Caesari pravitatis et discordiarum arguebat; sed ceteris haud laeta memoria Quirini erat ob intenta, ut memoravi, Lepidae pericula sordidamque et praepotentem senectam.

- 49 Fine anni Lutorium Priscum, equitem Romanum, post celebre carmen quo Germanici suprema deflexerat pecunia donatum a Caesare, corripuit delator, obiectans aegro Druso composuisse quod, si extinctus foret, maiore praemio vulgaretur; id Lutorius in domo P. Petronii socru eius Vitellia coram multisque inlustribus feminis per vaniloquentiam legerat. ut delator extitit, ceteris ad dicendum testimonium exterritis sola Vitellia nihil se audivisse adseveravit. sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit, sententiaque Haterii Agrippae, consulis designati, indictum
- 50 reo ultimum supplicium. contra M. Lepidus in hunc modum exorsus est: „si, patres conscripti, unum id spectamus, quam nefaria voce Lutorius Priscus mentem suam et aures hominum polluerit, neque carcer neque laqueus, ne serviles quidem cruciatus in eum suffecerint: sin flagitia et facinora sine modo sunt, supplicii ac remediis principis moderatio maiorumque et vestra exempla temperant, et vana a scelestis, dicta a maleficiis differunt, est locus sententiae per quam neque huic delictum impune sit et nos clementiae simul ac severitatis non paeniteat. saepe audiavi principem nostrum conquerentem, si quis sumpta morte misericordiam eius praevenisset: vita Lutorii in integro est; qui neque servatus in periculum rei publicae neque interfectus in exemplum ibit. studia illi, ut plena vaecordiae, ita inania et fluxa sunt; nec quicquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor non virorum animis sed muliercularum adrepat. cedat tamen urbe et bonis amissis aqua et igni arceatur. quod perinde censeo ac si lege maiestatis teneretur.“

- 51 Solus Lepido Rubellius Blandus e consularibus adsensit; ceteri sententiam Agrippae secuti, ductusque in carcerem Priscus ac statim exanimatus. id Tiberius solitis

p. Ch. 21. 22.

sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret pietatem quamvis modicas principis iniurias acriter ulciscientium, deprecaretur tam praecipitis verborum poenas; laudaret Lepidum, neque Agrippam argueret. igitur factum senatus consultum ne decreta patrum ante diem *decimum* ad aerarium deferrentur idque vitae spatium damnatis prorogaretur: sed non senatui libertas ad paenitendum erat, neque Tiberius interiectu temporis mitigabatur.

C. SULPICIUS, D. HATERIUS consules sequuntur, intur- 52
bidus externis rebus annus, domi suspecta severitate adversum luxum, qui immensum proruperat ad cuncta quis pecunia prodigitur. sed alia sumptuum, quamvis graviora, dissimulatis plerumque pretiis occultabantur: ventris et ganeae paratus adsiduis sermonibus vulgati fecerant curam ne princeps antiquae parsimoniae durius adverteret; nam incipiente C. Bibulo ceteri quoque aediles disseruerant sperni sumptuariam legem vetitaeque utensilium pretia augeri in dies nec mediocribus remediis sisti posse; et consulti patres integrum id negotium ad principem distulerant. sed Tiberius saepe apud se pensitato an coerceri tam profusae cupidines possent, num coercitio plus damni in rem publicam ferret, quam indecorum adtractare quod non obtineret vel retentum ignominiam et infamiam virorum inlustrium posceret, postremo litteras ad senatum composuit, quarum sententia in hunc modum fuit:

„Ceteris forsitan in rebus, patres conscripti, magis ex- 53
pediat me coram interrogari et dicere quid e re publica censeam: in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos ac velut deprenderem. quod si mecum ante viri strenui, aediles, consilium habuissent, nescio an suasurus fuerim omittere potius praevalida et adulta vitia quam hoc adsequi ut palam fieret quibus flagitiis impares essemus. sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere velim; mihi autem neque honestum silere neque proloqui expeditum, quia non aedilis aut praetoris aut consulis partis sustineo: maius aliquid et excelsius a principe postulatur; et cum recte factorum sibi

quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. quid enim primum prohibere et priscum ad morem recidere adgrediar? villarumne infinita spatia? familiarum numerum et nationes? argenti et auri pondus? aeris tabularumque miracula? promiscas viris et feminis vestes atque illa feminarum propria, quis lapidum causa pecuniae nostrae ad externas aut hostilis gentes transferuntur? nec 54 ignoro in conviviiis et circulis incusari ista et modum posci; sed si quis legem sanciat, poenas indicat, eidem illi civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt: atqui ne corporis quidem morbos veteres et diu auctos nisi per dura et aspera coerceas: corruptus simul et corruptor, aeger et flagrans animus haud levioribus remediis restinguendus est quam libidinibus ardescit. tot a maioribus repertae leges, tot quas divus Augustus tulit, illae oblivione, hae, quod flagitiosius est, contemptu abolitae securiorem luxum fecere; nam si velis quod nondum vetitum est, timeas ne vetere; at si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra neque pudor est. cur ergo olim parsimonia pollebat? quia sibi quisque moderabatur, quia unius urbis cives eramus; ne iritamenta quidem eadem intra Italiam dominantibus: externis victoriis aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. quantulum istud est de quo aediles admonent! quam, si cetera respicias, in levi habendum! at hercule nemo refert quod Italia externae opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris et tempestatum cotidie volvitur; ac nisi provinciarum copiae et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur. hanc, patres conscripti, curam sustinet princeps; haec omissa funditus rem publicam trahet; reliquis intra animum medendum est: nos pudor, pauperes necessitas, divites satias in melius mutet. aut si quis ex magistratibus tantam industriam ac severitatem pollicetur ut ire obviam queat, hunc ego et laudo, et exonerari laborum meorum partem fateor: sin accusare vitia volunt, dein, cum gloriam eius rei adepti sunt, simultates faciunt ac mihi relinquunt, credite, patres conscripti, me quoque non esse offensionum avidum; quas

p. Ch. 22.

cum graves et plerumque iniquas pro re publica suscipiam, inanes et inritas neque mihi aut vobis usui futuras iure deprecor.“

Auditis Caesaris litteris remissa aedilibus talis cura; 55
luxusque mensae, a fine Actiaci belli ad ea arma quis Servius Galba rerum adeptus est, per ~~anno~~ centum profusis sumptibus exerciti paulatim exolvere. causas eius mutationis quaerere libet. dites olim familiae nobilium aut claritudine insignes studio magnificentiae prolabebantur; nam etiam tum plebem, socios, regna colere et coli licitum; ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas inlustrior habebatur: postquam caedibus saevitum et magnitudo famae exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere. simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro adsumpti domesticam parsimoniam intulerunt, et quamquam fortuna vel industria plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. sed praecipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque; obsequium inde in principem et aemulandi amor validior quam poena ex legibus et metus: nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur, nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit. verum haec nobis [maiores] certamina ex honesto maneant.

Tiberius fama moderationis parta, quod ingruentis ac- 56
cusatores represserat, mittit litteras ad senatum quis potestatem tribuniciam Druso petebat: id summi fastigii vocabulum Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret; Marcum deinde Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret: sic cohiberi pravas aliorum sperabatur; simul modestiae Neronis et suae magnitudini fidebat. quo tunc exemplo Tiberius Drusum summae rei admovet, cum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuisset. sed principio litterarum veneratus deos ut consilia sua rei publicae prosperarent, modica de mo-

ribus adulescentis neque in falsum aucta retulit: esse illi coniugem et tres liberos eamque aetatem qua ipse quondam a divo Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit; neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem et bis consularem, noti laboris participem sumi.

57 Praeceperant animis orationem patres; quo quaesitor adulatio fuit, nec tamen repertum nisi ut effigies principum, aras deum, templa et arcus aliaque solita censerent, nisi quod M. Silanus ex contumelia consulatus honorem principibus petivit dixitque pro sententia, ut publicis privatisve monumentis ad memoriam temporum non consulum nomina praescriberentur, sed eorum qui tribuniciam potestatem gererent. at Q. Haterius, cum eius diei senatus consulta aureis litteris figenda in curia censisset, deridiculo fuit, senex foedissimae adulationis tantum infamia usurus.

58 Inter quae provincia Africa Iunio Blaeso prorogata Servius Maluginensis, flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet postulavit, frustra vulgatum dicitans non licere Dialibus egredi Italia, neque aliud ius suum quam Martialium Quirinaliumque flaminum: porro, si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum? nulla de eo populi scita, non in libris caerimoniarum reperiri. saepe pontifices Dalia sacra fecisse, si flamen valitudine aut munere publico impediretur. duobus et septuaginta annis post Cornelii Merulae caedem neminem suffectum, neque tamen cessavisse religiones; quod si per tot annos possit non creari nullo sacrorum damno, quanto facilius futurum ad unius anni proconsulare imperium? privatis olim simultatibus effectum ut a pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur: nunc deum munere summum pontificum etiam summum hominum esse, non aemulationi, non odio aut privatis affectionibus obnoxium.

59 Adversus quae cum augur Lentulus aliique varie dissererent, eo decursum est ut pontificis maximi sententiam opperirentur: Tiberius dilata notione de iure flaminis, decretas ob tribuniciam Drusi potestatem caerimonias temperavit, nominatim arguens insolentiam sententiae aureas-

p. Ch. 22.

que litteras contra patrium morem. recitatae et Drusi epistulae, quamquam ad modestiam flexae; pro superbissimis accipiuntur: huc decidisse cuncta ut ne iuvenis quidem tanto honore accepto adiret urbis deos, ingrederetur senatum, auspicia saltem gentile apud solum inciperet; bellum scilicet, aut diverso terrarum distineri, litora et lacus Campaniae cum maxime peragrantem: sic imbui rectorem generis humani; id primum e paternis consiliis discere; sane gravaretur aspectum civium senex imperator fessamque aetatem et actos labores praetenderet: Druso quod nisi ex adrogantia impedimentum?

Sed Tiberius vim principatus sibi firmans, imaginem 60 antiquitatis senatui praebebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo: crebrescebat enim Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi; conplebantur templa pessimis servitorum; eodem subsidio obaerati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur, nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum ut caerimonias deum protegentis. igitur placitum ut mitterent civitates iura atque legatos: et quaedam quod falso usurpaverant sponte omisere; multae vetustis superstitionibus aut meritis in populum Romanum fidebant; magnaue eius diei species fuit, quo senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam qui ante vim Romanam valuerant decreta ipsorumque numinum religiones introspevit, libero, ut quondam, quid firmaret mutaretve.

Primi omnium Ephesii adiere, memorantes non, ut 61 vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchreum amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam et oleae, quae tum etiam maneat, adnisam edidisse ea numina deorumque monitu sacratum nemus; atque ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Iovis iram vitavisse, mox Liberum patrem, bello victorem, supplicibus Amazonum, quae aram insederant, ignovisse; auctam hinc concessu Herculis, cum Lydia peteretur, caerimoniam templo, neque Persarum dicione deminutum ius; post Macedonas, dein nos servavisse.

Proximi Magnetes L. Scipionis et L. Sullae constitu- 62

tis nitebantur, quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis fidem atque virtutem Magnetum decoravere, uti Dianae Leucophrynae perfugium inviolabile foret. Aphrodisienses posthac et Stratonicensis dictatoris Caesaris ob vetusta in partis merita et recens divi Augusti decretum addulere, laudati quod Parthorum inruptionem nihil mutata in populum Romanum constantia pertulissent: sed Aphrodisiensium civitas Veneris, Stratonicensium Iovis et Triviae religionem tuebantur. altius Hierocaesarienses exposuere, Persicam apud se Dianam, delubrum rege Cyro dicatum; et memorabantur Perpennae, Isaurici multaque alia imperatorum nomina, qui non modo templo sed duobus milibus passuum eandem sanctitatem tribuerant. exim Cyprii tribus delubris; quorum vetustissimum Paphiae Veneri auctor Aerias, post filius eius Amathus Veneri Amathusiae, et Iovi Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus, possuissent.

53 Auditaе aliarum quoque civitatum legationes: quorum copia fessi patres, et quia studiis certabatur, consulibus permisere ut perspecto iure, et si qua iniquitas involve-retur, rem integram rursus ad senatum referrent. consules super eas civitates quas memoravi apud Pergamum Aesculapii conpertum asylum retulerunt: ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti; nam Zmyrnaeos oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicaverint, Tenios eiusdem carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem aedemque iussi sint; propiora Sardianos: Alexandri victoris id donum; neque minus Milesios Darco rege niti, sed cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi; petere et Cretenses simulacro divi Augusti: factaque senatus consulta, quis multo cum honore modus tamen praescribatur, iussique ipsis in templis figere aera, sacrandam ad memoriam neu specie religionis in ambitionem delaberentur.

54 Sub idem tempus Iuliae Augustae validudo atrox necessitudinem principi fecit festinati in urbem reditus, sin-cera adhuc inter matrem filiumque concordia sive occultis odiis. neque enim multo ante, cum haud procul theatro Marcelli effigiem divo Augusto Iulia dicaret, Tiberi; nomen

p. Ch. 22.

suo postscripterat idque ille credebatur ut inferius maiestate principis, gravi et dissimulata offensione abdidisse: sed tum supplicia dis ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices et augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent. censuerat L. Apronius ut fetiales quoque iis ludis praesiderent; contradixit Caesar, distincto sacerdotiorum iure et repetitis exemplis: neque enim unquam fetialibus hoc maiestatis fuisse; ideo Augustales adiectos, quia proprium eius domus sacerdotium esset pro qua vota persolverentur.

Exequi sententias haud institui nisi insignes per honestum aut notabili dedecore, quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit: ceterum tempora illa adeo infecta et adulatione sordida fuere ut non modo primores civitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed omnes consulares, magna pars eorum qui praetura functi, multique etiam pedarii senatores certatim exsurgerent foedaque et nimia censerent. memoriae proditur Tiberium, quotiens curia egrederetur, Graecis verbis in hunc modum eloqui solitum: „o homines ad servitum paratos!“ scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectae servientium patientiae taedebat. paulatim dehinc ab indecoris ad infesta transgrediebantur. C. Silanum, proconsulem Asiae, repetundarum a sociis postulatum, Mamercus Scaurus e consularibus, Iunius Otho praetor, Bruttedius Niger aedilis simul corripunt obiectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii maiestatem, Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam a Scipione Africano, Servium Galbam a Catone censorio, P. Rutilium a M. Scauro accusatos: videlicet Scipio et Cato talia ulciscabantur aut ille Scaurus, quem proavum suum obprobrium maiorum Mamercus infami opera dehonestabat. Iunio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit, mox Seiani potentia senator obscura initia impudentibus ausis *ultra* polluebat. Bruttedium artibus honestis copiosum et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum festinatio exstimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat; quod

multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant.

67 Auxere numerum accusatorum Gellius Publicola et M. Paconius, ille quaestor Silani, hic legatus; nec dubium habebatur saevitiae captarumque pecuniarum teneri reum, sed multa figerebantur etiam insontibus periculosa, cum super tot senatores adversos facundissimis totius Asiae eoque ad accusandum delectis responderet solus et orandi nescius, proprio in metu, qui exercitum quoque eloquentiam debilitat, non temperante Tiberio quin premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere aut eludere dabatur, ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra quaesivisset. servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat; et ne quis necessariorum iuvaret periclitantem, maiestatis crimina subdebantur, vinclum et necessitas silendi; igitur petito paucorum dierum interiectu defensionem sui deseruit, ausis ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat.

68 Tiberius quae in Silanum parabat, quo excusatus sub exemplo acciperentur, libellos divi Augusti de Voleso Messala, eiusdem Asiae proconsule, factumque in eum senatus consultum recitari iubet; tum C. Pisonem sententiam rogat: ille multum de clementia principis praefatus aqua atque igni Silano interdicendum censuit ipsumque in insulam Gyarum relegandum. eadem ceteri, nisi quod Cn. Lentulus separanda Silani materna bona, quippe* alia parente geniti, reddendaque filio dixit, adnuente Tiberio.

69 At Cornelius Dolabella dum adulationem longius sequitur, increpitis C. Silani moribus addidit: ne quis vita probrosus et opertus infamia provinciam sortiretur, idque princeps diiudicaret; nam a legibus delicta puniri: quanto fore mitius in ipsos, melius in socios, provideri ne peccaretur? adversum quae disseruit, Caesar: non quidem sibi ignara quae de Silano vulgabantur; sed non ex rumore statuendum; multos in provinciis contra quam spes aut metus de illis fuerit egisse; excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios; neque posse principem sua scientia cuncta complecti, neque expedire ut am-

p. Ch. 22.

bitione aliena trahatur: ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint; sic a maioribus institutum, ut, si antissent delicta, poenae sequerentur: ne verterent sapienter reperta et semper placita; satis onerum principibus, satis etiam potentiae: minui iura, quotiens gliscat potestas; nec utendum imperio, ubi legibus agi possit. Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto laetioribus animis accepta; atque ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit insulam Gyrum immitem et sine cultu hominum esse: darent Iunia familiae et viro quondam ordinis eiusdem ut Cythnum potius concederet: id sororem quoque Silani Torquatam, priscae sanctimoniae virginem, expetere. in hanc sententiam facta discessio.

Post auditi Cyrenenses, et accusante Anchario Prisco 70
Caesius Cordus repetundarum damnatur. L. Ennium, equitem Romanum, maiestatis postulatum quod effigiem principis promiscuum ad usum argenti vertisset, recipi Caesar inter reos vetuit, palam aspernante Ateio Capitone quasi per libertatem: non enim debere eripi patribus vim statuendi, neque tantum maleficium impune habendum; sane lentus in suo dolore esset: rei publicae iniurias ne largiretur. intellexit hoc Tiberius ut erant magis quam ut dicebantur perstititque intercedere. Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique iuris sciens egregium publicum et bonas domi artes dehonestavisset.

Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret 71
donum quod pro valitudine Augustae equites Romani voverant equestri Fortunae; nam etsi delubra eius deae multa in urbe, nullum tamen tali cognomento erat: repertum est aedem esse apud Antium quae sic nuncuparetur, cunctasque caerimonias Italicis in oppidis templaque et numinum effigies iuris atque imperii Romani esse; ita donum apud Antium statuitur. et quoniam de religionibus tractabatur, dilatatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem, flaminem Dialem, prompsit Caesar recitavitque decretum pontificum, quotiens non valitudo adversa flaminem Dialem incessisset, ut pontificis maximi arbitrio plus quam binotium abesset, dum ne diebus publici sacrificii neu saepius quam bis eundem in annum; quae principe

Augusto constituta satis ostendebant annuam absentiam et provinciarum administrationem Dialibus non concedi; memorabaturque L. Metelli, pontificis maximi, exemplum, qui Aulum Postumium flaminem attinisset. ita sors Asiae in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, conlata.

72 Isdem diebus Lepidus ab senatu petivit ut basilicam Pauli, Aemilia monumenta, propria pecunia firmaret ornaretque. erat etiam tum in more publica munificentia; nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum hostiles exuvias aut exundantis opes ornatum ad urbis et posterum gloriam conferre: quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniae modicus, avitum decus recoluit. at Pompei theatrum igne fortuito haustum Caesar extracturum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompei. simul laudibus Seianum extulit, tamquam labore vigilantiaque eius tanta vis unum intra damnum stetit; et censuere patres effigiem Seiano, quae apud theatrum Pompei locaretur. neque multo post Caesar, cum Iunium Blaesum, proconsulem Africae, triumphi insignibus attolleret, dare id se dixit honori Seiani, cuius ille avunculus erat: ac tamen res Blaesi dignae decore tali fuere.

73 Nam Tacfarinas, quamquam saepius depulsus, reparatis per intima Africae auxiliis huc adrogantiae venerat ut legatos ad Tiberium mitteret sedemque ultro sibi atque exercitui suo postularet aut bellum inexplicabile minitaretur. non alias magis sua populique Romani contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret: ne Spartaco quidem post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quamquam Sertorij atque Mithridatis ingentibus bellis labaret res publica, datum ut pacto in fidem acciperetur: nedum pulcherrimo populi Romani fastigio latro Tacfarinas pace et concessione agrorum redimeretur. dat negotium Blaeso, ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi, ipsius autem ducis quoquo modo poteretur: et recepti ea venia plerique. mox adversum artes Tacfarinatis haud
74 dissimili modo belligeratum; nam quia ille robore exercitus

p. Ch. 22.

inpar, furandi melior, pluris per globos incuraret eluderetque insidias *et* simul temptaret, tres incessus, totidem agmina parantur: ex quis Cornelius Scipio legatus praefuit qua praedatio in Leptitanos et suffugia Garamantum; alio latere, ne Cirtensium pagi impune traherentur, propriam manum Blaesus filius duxit; medio cum delectis, castella et munitiones idoneis locis inponens, dux ipse arta et infensa hostibus cuncta fecerat, quia, quoquo inclinarent, pars aliqua militis Romani in ore, in latere et saepe a tergo erat; multique eo modo caesi aut circumventi. tunc tripertitum exercitum plures in manus dispergit praepontique centuriones virtutis expertae; nec, ut mos fuerat, acta aestate retrahit copias aut in hibernaculis veteris provinciae componit, sed ut in limine belli dispositis castellis, per expeditos et solitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat, donec fratre eius capto regressus est, properantius tamen quam ex utilitate sociorum, relictis per quos resurgeret bellum. sed Tiberius pro confecto interpretatus id quoque Blaesio tribuit ut imperator a legionibus salutareretur, prisco erga duces honore, qui bene gesta re publica gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur; erantque plures simul imperatores nec super cetero ~~in~~ aequalitatem. concessit quibusdam et Augustus id vocabulum ac tunc Tiberius Blaesio postremum.

Obiere eo anno viri inlustres Asinius Saloninus, Marco ⁷⁵ Agrippa et Pollione Asinio avis, fratre Druso insignis, Caesarique progener destinatus, et Capito Ateius, de quo memoravi, principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus, sed avo centurione Sullano, patre praetorio; consulatum ei adceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium isdem artibus praecellentem dignatione eius magistratus anteiret: namque illa aetas duo pacis decora simul tulit; sed Labeo incorrupta libertate et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur; illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria: huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.

Et Iunia sexagesimo quarto post Philippensem aciem 76

anno supremum diem explevit, Catone avunculo genita, C. Cassii uxor, M. Bruti soror. testamentum eius multo apud vulgum rumore fuit, quia in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Caesarem omisit; quod civiliter acceptum neque prohibuit quo minus laudatione pro rostris ceterisque sollemnibus funus cohonestaretur. viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt, Manlii, Quinctii aliaque eiusdem nobilitatis nomina: sed praefulgebant Cassius atque Brutus, eo ipso quod effigies eorum non visebantur.

CORNELII TACITI

ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Tiberius saevit. causa penes Aelium Seianum, cuius ingenium et mores. 2. is dominationem aspirat, quo ut perveniat, Romae in castra praetoria militem conducit. 3. Druso Tiberii filio insidiatur per uxorem eius stupro pollutam. 4. 5. Drusus Germanici togam virilem sumit. status publicus, numerus legionum, earum et cohortium et classium loca exponuntur. 6. civilis administratio qualis hactenus. 7. 8. Seianus potentiam auget sublato per venenum Druso. Tiberius animum obfirmat, senatum erigit, eique filios Germanici duo commendat ut imperii heredes. 9. funus Druso illustre. 10. 11. falsa de Druso ab ipso patre imprudenter necato fama. 12. populi favor filiis Germanici noxius. iis et Agrippinae Seianus insidias struit.

13. Tiberius legationes et accusationes civitatum et provinciarum audit. 14. de asyilis actum. histriones Italiae pulsati. 15. alter ex Drusi liberis obit, item Lucilius Longus, principis amicus. Capito damnatus. 16. lex lata de flamine Dialis. Vestalibus habitus honos.

17. Sollemnia vota pro principe. iis inserti Nero et Drusus. hinc odium Tiberii, quem Seianus stimulat. 18. hic Germanici amicos aggreditur. 19. Silius damnatur. 20. uxor eius Sosia in exilium pellitur. M. Lepidi moderatio. 21. Piso accusatus obit. Cassius Severus in saxum Seriphium relegatur. 22. Plautius Silvanus perit.

23--25. Tacfarinatem bella rursus moventem Dolabella opprimat et caedit. 26. triumphalia non impetrat. Ptolemaeus munera accipit. 27. servilis motus semina per Italiam oppressa.

p. Ch. 23.

28—30. Q. Vibius Serenus a filio accusatus Amorgum reportatur; praemia delatoribus statuta. 31. P. Sullius deportatur, Firmius senatu movetur. 32. 33. iudicium de his annalibus.

34. 35. Cremutius Cordus, historiae scriptor, ob Bruti et Cassii laudes accusatus libere se defendit et vitam abstinentia finit. libri eius cremati. 36. Cyzicenis adempta libertas. 37. 38. templi honorem ab Hispanis oblatum Tiberius spernit. 39. 40. Seianus, nimia fortuna socors, Liviam sibi uxorem a principe petit, qui modeste negat et Seiani rationes refellit. 41. 42. hic augendae potentiae Tiberio secessum ab urbe suadet, auditis in causa Votieni Montani contumeliis persuadet.

43. Romae legationes Graecorum audita de iure asylorum. 44. mors Lentuli, Domitii, Antonii. 45. L. Piso praetor a quodam agresti interficitur. 46—51. Thraces montani rebellantes a Sabino pelluntur, caeduntur, obsidentur, frustra eruptione facta se dedunt.

52. Claudia Pulchra Romae adulterii accusata damnatur. 53. Agrippina maritum petit nec impetrat. 54. ei Seianus insidias struit. 55. undecim urbes Asiae de templo Tiberio struendo certant. 56. praelati Smyrnaei. 57. 58. Tiberius dubia de causa in Campaniam abscedit arto comitatu. 59. 60. in spelunca repentino lapidum lapsu periclitatus a Seiano servatur; hinc maior eius fides. Neronem Germanici aggreditur et calumniis subvertit. 61. mors Asinii Agrippae et Q. Haterii.

62. 63. Amphitheatri casu Fidenis multa hominum milia debilitata vel obruta. 64. 65. Romae incendium deurit Caesium montem. 66. Varus accusatur. 67. princeps in insulam Capreae se abdit. 68—70. Titius Sabinus turpi fraude circumventus damnatur ipsis anni kalendis. 71. Tiberius mentem suam recludi indignatur. Iulia neptis Augusti obit. 72. 73. Frisii avare habiti rebellant. eos L. Apronius repressum it, parum feliciter. 74. turpis adulatio senatus. Seiani arrogantia. 75. Cn. Domitius Agrippinam, Germanici filiam, uxorem accipit.

Haec sexennio fere gesta coss. C. Asinio, C. Antistio; Cornelio Cethego, Visellio Varrone; Cosso Lentulo, Asinio Agrippa; Cn. Lentulo Gaetulico, C. Calvisio; M. Licinio Crasso, L. Calpurnio Pisone; App. Iunio Silano, P. Silio Nerva.

C. ASINIO, C. ANTISTIO consulibus nonus Tiberio annus 1 erat compositae rei publicae, florentis domus — nam Germanici mortem inter prospera ducebat — cum repente turbare fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere. initium et causa penes Aelium Seianum, cohortibus praetoriis praefectum, cuius de potentia supra memoravi: nunc originem, mores, et quo facinore dominationem raptum

iuerit, expediam. genitus Vulsiniis patre Seio Strabone, equite Romano, et prima iuuenta C. Caesarem, divi Augusti nepotem, sectatus, non sine rumore Apicio, diviti et prodigo, stuprum veno dedisse, mox Tiberium variis artibus devinxit, adeo ut obscurum adversum alios sibi uni incautum intectumque efficeret, non tam sollertia — quippe isdem artibus victus est — quam deum ira in rem Romanam, cuius pari exitio viguit ceciditque. corpus illi laborum tolerans, animus audax; sui obtagens, in alios criminator; iuxta adulatio et superbia; palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido, eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud
 2 minus noxiae, quotiens parando regno finguntur. vim praefecturae modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis, in ceteros metus oreteretur: praetendebat lascivire militem diductum; si quid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subveniri; et severius acturos, si vallum statuatur procul urbis inlecebris. ut perfecta sunt castra, inrepere paulatim militares animos adeundo, appellando; simul centuriones ac tribunos ipse deligere. neque senatorio ambitu abstinere clientes suos honoribus aut provinciis ornandi, facili Tiberio atque ita prono ut socium laborum non modo in sermonibus sed apud patres et populum celebraret colique per theatra et fora effigies eius interque principia
 3 legionum sineret. ceterum plena Caesarum domus, iuvenis filius, nepotes adulti moram cupitis adferebant, et quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum posebat. placuit tamen occultior via et a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur; nam Drusus inpatiens aemuli et animo commotior orto forte iurgio intenderat Seiano manus et contra tendentis os verberaverat. igitur cuncta temptanti promptissimum visum ad uxorem eius Liviam convertere; quae soror Germanici, formae initio aetatis indecorae, mox pulchritudine praecellebat: hanc, ut amore inceptus, adulterio pellexit, et postquam primi flagitii potitus est — neque femina amissa pudicitia alia abnuerit — ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti impulit.

p. Ch. 23.

atque illa, cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac maiores et posteros municipali adultero foedabat, ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta exspectaret. sumitur in conscientiam Eudemus, amicus ac medicus Liviae, specie artis frequens secretis; pellit domo Seianus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne paelici suspectaretur. sed magnitudo facinoris metum, prolationes, diversa interdum consilia adferebat.

Interim anni principio Drusus ~~ex~~ Germanici liberis 4 togam virilem sumpsit, quaeque fratri eius Neroni decreverat senatus, repetita. addidit orationem Caesar, multa cum laude filii sui, quod patria benivolentia in fratris liberos foret: nam Drusus, quamquam arduum sit eodem loci potentiam et concordiam esse, aequus adolescentibus aut certe non adversus habebatur.

Exin vetus et saepe simulatum proficiscendi in provincias consilium refertur; multitudinem veteranorum praetexebat imperator et dilectibus supplendos exercitus: nam voluntarium militem deesse, ac si suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere, quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant: percensuitque cursim numerum legionum et quas provincias tutarentur, quod mihi quoque exequendum reor, quae tunc Romana copia in armis, qui socii reges, quanto sit angustius imperitatum.

Italiam utroque mari duae classes, Misenum apud et 5 Ravennam, proximumque Galliae litus rostratae naves praesidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foroiulense miserat valido cum remige. sed praecipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant; Hispaniae recens perdomitae tribus habebantur; Mauros Iuba rex acceperat donum populi Romani: cetera Africae per duas legiones, parique numero Aegyptus, dehinc initio ab Syriae usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quattuor legionibus coercita, accolis Hiberno Albanoque et aliis regibus, qui magnitudine nostra proteguntur adversum externa imperia; et Thraeciam Rhoemetalces ac liberi Cotyis, ripamque Danuvii legionum duae in Pan-

nonia, duae in Moesia attinebant, totidem apud Delmatiam locatis, quae positu regionis a tergo illis, ac si repentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur, quamquam insideret urbem proprius miles, tres urbanae, novem praetoriae cohortes, Etruria ferme Umbriaque delectae aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis. at apud idonea provinciarum sociae triremes alaeque et auxilia cohortium, neque multo secus in iis virium: sed persequi incertum fuit cum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero et aliquando minuerentur.

- 6 Congruens crediderim recensere ceteras quoque rei publicae partes, quibus modis ad eam diem habitae sint, quoniam Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. iam primum publica negotia et privatorum maxima apud patres tractabantur dabaturque primoribus disserere et in adulationem lapsos cohibebat ipse; mandabatque honores nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, inlustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse. sua consulibus, sua praetoribus species; minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu. at frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum agitabantur. res suas Caesar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat semelque adsumpti tenebantur prosum sine modo, cum plerique isdem negotiis insenescerent. plebis acri quidem annona fatigabatur, sed nulla in eo culpa ex principe: quin infecunditati terrarum aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat. et ne provinciae novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat: corporum verbera, ademptiones bonorum aberant.
- 7 rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus; ac si quando cum privatis disceptaret, forum et ius.

Quae cuncta, non quidem comi via sed horridus ac plerumque formidatus, retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur: nam dum superfuit, mansere, quia Seianus incipiente adhuc potentia bonis consiliis notescere volebat,

p. Ch. 23.

et ultor metuebatur non occultus odii sed crebro querens incolumi filio adiutorem imperii alium vocari: et quantum superesse ut collega dicatur? primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros; extracta iam sponte praefecti castra, datos in manum milites; cerni effigiem eius in monimentis Cn. Pompeii; communes illi cum familia Drusorum fore nepotes: precandam post haec modestiam, ut contentus esset. neque raro neque apud paucos talia iaciebat, et secreta quoque eius corrupta uxore prodebantur.

Igitur Seianus maturandum ratus deligit venenum quo paulatim inrepente fortuitus morbus adsimularetur; id Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annos cognitum est. ceterum Tiberius per omnes valitudinis eius dies, nullo metu an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto necdum sepulto, curiam ingressus est, consulesque sede vulgari per speciem maestitiae sedentes honoris locique admonuit et effusum in lacrimas senatum victo gemitu simul oratione continua erexit: non quidem sibi ignarum posse argui, quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propinquorum adloquia tolerari, vix diem aspici a plerisque lugentium; neque illos inbecillitatis damnandos: se tamen fortiora solatia e complexu rei publicae petivisse. miseratusque Augustae extremam senectam, rudem adhuc nepotum et vergentem aetatem suam, ut Germanici liberi, unica praesentium malorum levamenta, inducerentur petivit. egressi consules firmatos adloquio adulescentulos deductosque ante Caesarem statuunt; quibus adpressis „patres conscripti, hos“ inquit „orbatos parente tradidi patruo ipsorum precatusque sum, quamquam esset illi propria suboles, ne secus quam suum sanguinem foveret, attolleret, sibi et posteris conformaret: erepto Druso preces ad vos converto disque et patria coram obtestor, Augusti pronepotes, clarissimis maioribus genitos, suscipite, regite, vestram meamque vicem explete. hi vobis, Nero et Druse, parentum loco: ita nati estis ut bona malaque vestra ad rem publicam pertineant.“

Magno ea fletu et mox precationibus faustis audita; 9

ac si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat: ad vana et totiens inrisa revolutus, de reddenda re publica utque consules seu quis alius regimen susciperent, vero quoque et honesto fidem dempsit. memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. funus imaginum pompa maxime illustre fuit, cum origo Iuliae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus ceteraque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur.

10 In tradenda morte Drusi quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt retuli: sed non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo ut nondum exolescat. corrupta ad scelus Livia Seianum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse, quod is Lygduus aetate atque forma carus domino interque primores ministros erat; deinde inter conscios ubi locus veneficii tempusque composita sint, eo audaciae propectum ut verteret et occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens moneret Tiberium vitandam potionem quae prima ei apud filium epulanti offerretur: ea fraude tum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse; atque illo ignaro et juveniliter hauriente auctam suspicionem, tamquam metu et pudore sibimet inrogaret mortem quam patri struxerat.

11 Haec vulgo iactata, super id quod nullo auctore certo firmanantur, prompte refutaveris: quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu et nullo ad paenitendum regressu? quin potius ministrum veneni excrucia- ret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii conpertum uteretur? sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Caesaris et ceterorum in utrumque odio quamvis fabulosa et immania credebantur, atrocior semper fama erga dominantium exitus. ordo alioqui sceleris per Apicatam Seiani proditus tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est; neque

p. Ch. 23.

quisquam scriptor tam infensus extitit ut Tiberio obiectaret, cum omnia alia conquirent intenderentque. mihi tradendū arguendique rumoris causa fuit ut claro sub exemplo falsas audiciones depellerem peteremque ab iis quorum in manus cura nostra venerit, divulgata æque incredibilia ne avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.

Ceterum laudante filium pro rostris Tiberio senatus 12
populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat, domumque Germanici revirescere occulti laetabantur: quod principium favoris et mater Agrippina spem male tegens perniciem adceleravere. nam Seianus ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum, et quia prima pro venerant, volutare secum quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio: neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide et pudicitia Agrippinae impenetrabili. igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent, atque haec callidis criminatibus; inter quos delegerat Iulium Postumum, per adulterium Mutilliae Priscæ inter intimos aviae et consiliis suis peridoneum, quia Prisca in animo Augustae valida anum suapte natura potentiae anxiam insociabilem nurui efficiebat. Agrippinae quoque proximi inliciebantur pravis sermonibus tumidos spiritus perstimulare.

At Tiberius nihil intermissa rerum cura, negotia pro 13
solatiis accipiens, ius civium, preces sociorum tractabat; factaque auctore eo senatus consulta ut civitati Cibyrticae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam; motu terrae labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium. et Vibius Serenus, proconsul ulterioris Hispaniae, de vi publica damnatus, ob atrocitatem morum in insulam Amorgum deportatur. Carsidius Sacerdos, reus tamquam frumento hostem Tacfarinatem iuvisset, absolvitur, eiusdemque criminis C. Gracchus. hunc comitem exilii admodum infantem pater Sempronius in insulam Cercinaam tulerat; illic

adultus inter extorres et liberalium artium nescios, mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur; neque tamen effugit magnae fortunae pericula, ac ni Aelius Lamia et L. Apronius, qui Africam obtinuerant, insontem protexissent, claritudine infausti generis et paternis adversis foret abstractus.

- 14 Is quoque annus legationes Graecarum civitatum habuit, Samiis Iunonis, Cois Aesculapii delubro vetustum asyli ius ut firmaretur petentibus: Samii decreto Amphityonum nitebantur, quis praecipuum fuit rerum omnium iudicium qua tempestate Graeci conditis per Asiam urbibus ora maris potiebantur. neque dispar apud Coos antiquitas, et accedebat meritum ex loco: nam cives Romanos templo Aesculapii induxerant, cum iussu regis Mithridatis apud cunctas Asiae insulas et urbes trucidarentur.

Variis dehinc et saepius inritis praetorum questibus, postremo Caesar de inmodestia histrionum rettulit: multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos temptari; Oscum quondam ludicrum, levissimae apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse ut auctoritate patrum coercendum sit. pulsi tum histriones Italia.

- 15 Idem annus alio quoque luctu Caesarem adficit, alterum ex geminis Drusi liberis extinguendo, neque minus morte amici; is fuit Lucilius Longus, omnium illi tristium laetorumque socius unusque e senatoribus Rhodii secessus comes: ita quamquam novo homini, censorium funus, effigiem apud forum Augusti publica pecunia patres decrevere, apud quos etiamtum cuncta tractabantur, adeo ut procurator Asiae Lucilius Capito accusante provincia causam dixerit, magna cum adseveratione principis non se ius nisi in servitia et pecunias familiares dedisse; quod si vim praetoris usurpasset manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua: audirent socios. ita reus cognito negotio damnatur; ob quam ultionem, et quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique eius ac senatui, et permissum statuere; egitque Nero grates ea causa patribus atque avo, laetas inter audientium adfectiones, qui recenti memoria Germanici illum aspici, illum audiri rebantur; aderantque

p. Ch. 23. 24.

iuveni modestia ac forma principe viro digna, notis in eum Seiani odiis ob periculum gratiora.

Sub idem tempus de flamine Diali in locum Servi Maluginensis defuncti legendo, simul roganda nova lege deseruit Caesar: nam patricos confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quis unus legeretur, vetusto more; neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine aut inter paucos retenta; pluresque eius rei causas adferebat, potissimam penes incuriam virorum feminarumque: accedere ipsius caerimoniae difficultates, quae consulto vitarentur; et quoniam exiret e iure patrio qui id flaminium apisceretur quaeque in manum flaminis conveniret, ita medendum senatus decreto aut lege, sicut Augustus quaedam ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum flexisset. igitur tractatis religionibus placitum instituto flaminum nihil demutari; sed lata lex qua flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, cetera promisco feminarum iure ageret; et filius Maluginensis patri suffectus; utque glisceret dignatio sacerdotum atque ipsis promptior animus foret ad capessendas caerimoniae, decretum Corneliae virgini, quae in locum Scantiae capiebatur, sestertium vicies, et quotiens Augusta theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret.

CORNELIO CETHÉGO, VISELLIO VARRONE consulibus pontifices eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum pro incolumitate principis vota susciperent, Neronem quoque et Drusum isdem dis commendavere, non tam caritate iuvenum quam adulatione, quae moribus corruptis perinde anceps, si nulla et ubi nimia est: nam Tiberius, haud unquam domui Germanici mitis, tum vero aequari adulescentes senectae suae impatienter indoluit, accitosque pontifices percontatus est num id precibus Agrippinae aut minis tribuissent. et illi quidem, quamquam abnuerent, modice perstricti: etenim pars magna e propinquis ipsius aut primores civitatis erant; ceterum in senatu oratione monuit in posterum ne quis mobiles adulescentium animos praematuris honoribus ad superbiam extolleret. instabat quippe Seianus incusabatque diductam civitatem ut civili bello; esse qui se partium Agrippinae vocent, ac ni resistatur,

fore pluris; neque aliud gliscentis discordiae remedium quam si unus alterve maxime prompti subverterentur.

- 18 Qua causa C. Silius et Titius Sabinus adgreditur: amicitia Germanici perniciose utrique, Silio et quod ingentis exercitus septem per annos moderator partisque apud Germaniam triumphalibus Sacroviriani belli victor quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios dispergebatur. credebant plerique auctam offensionem ipsius intemperantia, immodice iactantis suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur; neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset. destrui per haec fortunam suam Caesar inparemque tanto merito rebatur; nam beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse:
- 19 ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur. erat uxor Silio Sosia Galla, caritate Agrippinae invisae principi. hos corripere, dilato ad tempus Sabino, placitum; inmissusque Varro consul, qui paternas inimicitias obtendens odiis Seiani per dedecus suum gratificabatur. precante reo brevem moram, dum accusator consulatu abiret, adversatus est Caesar: solitum quippe magistratibus diem privatis dicere; nec infringendum consulis ius, cuius vigiliis niteretur ne quod res publica detrimentum caperet. proprium id Tiberio fuit scelera nuper reperta priscis verbis obtegere. igitur multa adseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro consul aut illud res publica esset, coguntur patres, silente reo, vel si defensionem coeptaret, non occultante cuius ira premeretur. conscientia belli Sacrovir diu dissimulatus, victoria per avaritiam foedata et uxor Sosia arguebantur; nec dubie repetundarum criminibus haerebant; sed cuncta quaestione maiestatis exercita, et Silius imminentem damnationem
- 20 voluntario fine praeventit. saevitum tamen in bona, non ut stipendiariis pecuniae redderentur, quorum nemo repetebat; sed liberalitas Augusti avulsa, computatis singillatim quae fisco petebantur: ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exilium pellitur Asinii Galli sententia, qui partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur censuerat; contra M. Lepi-

p. Ch. 24.

dus quartam accusatoribus secundum necessitudinem legis, cetera liberis concessit. hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperior: nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit; neque tamen temperamenti egebat, cum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium vigeret: unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. at Messalinus Cotta haud minus claris maioribus, sed animo diversus, censuit cavendum senatus consulto ut quamquam insontes magistratus et culpa alienae nescii provincialibus uxorum criminibus proinde quam suis plecterentur.

Actum dehinc de Calpurnio Pisone, nobili ac feroci 21 viro; is namque, ut rettuli, cessurum se urbe ob factiones accusatorum in senatu clamitaverat et sprete potentia Augustae trahere in ius Urgulianiam domoque principis excire ausus erat, quae in praesens Tiberius civiliter habuit: sed in animo revolvente iras, etiamsi impetus offensionis languerat, memoria valebat; Pisonemque Granius secreti sermonis inculpavit adversum maiestatem habiti; adiecitque in domo eius venenum esse, eumque gladio accinctum introire curiam, quod ut atrocius vero tramissum: ceterorum, quae multa cumulabantur, receptus est reus, neque peractus ob mortem opportunam.

Relatum et de Cassio Severo exule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus, per immodicas inimicitias ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur effecerat; atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seripho consenuit.

Per idem tempus Plautius Silvanus praetor incertis 22 causis Aproniam coniugem in praeceps iecit, tractusque ad Caesarem ab L. Apronio socero turbata mente respondit, tamquam ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumpsisset. non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum, in quo reluctantis et impulsae

vestigia cernebantur; refert ad senatum, datisque iudici-
bus Urgulania, Silvani avia, pugionem nepoti misit, quod
perinde creditum quasi principis monitu, ob amicitiam
Augustae cum Urgulania. reus frustra temptato ferro
venas praebuit exsolvendas; mox Numantina, prior uxor
eius, accusata iniecisse carminibus et veneficiis vecordiam
marito, insons iudicatur.

23 Is demum annus populum Romanum longo adversum
Numidam Tacfarinatem bello absolvit; nam priores duces
ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas
crediderant, hostem omittebant, iamque tres laureatae in
urbe statuatae et adhuc raptabat Africam Tacfarinas, auctus
Maurorum auxiliis, qui Ptolemaeo, Iubae filio, iuventa
incurioso libertos regios et servilia imperia bello muta-
verant; erat illi praedarum receptor ac socius populandi
rex Garamantum, non ut cum exercitu incederet, sed
missis levibus copiis, quae ex longinquo in maius audie-
bantur; ipsaque e provincia, ut quis fortunae inops, mo-
ribus turbidus, promptius ruebant, quia Caesar post res
a Blaeso gestas, quasi nullis iam in Africa hostibus, re-
portari nonam legionem iusserat, nec pro consule eius
anni P. Dolabella retinere ausus erat, iussa principis ma-
gis quam incerta belli metuens.

24 Igitur Tacfarinas disperso rumore rem Romanam aliis
quoque ab nationibus lacerari eoque paulatim Africa de-
cedere, ac posse reliquos circumveniri, si cuncti, quibus
libertas servitio potior, incubuissent, auget vires positis-
que castris Thubuscum oppidum circumsidet. at Dola-
bella contracto quod erat militum, terrore nominis Ro-
mani et quia Numidae peditum aciem ferre nequeunt,
primo sui incessu solvit obsidium locorumque opportuna
permunivit; simul principes Musulamiorum defectionem
coeptantes securi percutit. dein quia pluribus adversum
Tacfarinatem expeditionibus cognitum, non gravi nec uno
incursu consecrandum hostem vagum, excito cum popu-
laribus rege Ptolemaeo quattuor agmina parat, quae le-
gatis aut tribunis data; et praedatorias manus delecti
25 Maurorum duxere: ipse consultor aderat omnibus. nec
multo post adfertur Numidas apud castellum semirutum,

p. Ch. 24.

ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea, positus mapalibus consedis, fisis loco, quia vastis circum saltibus claudebatur: tum expeditae cohortes alaeque, quam in partem ducerentur ignarae, cito agmine rapiuntur, simulque coeptus dies, et concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros, praepeditis Numidarum equis aut diversos pastus pererrantibus. ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisae: hostibus contra omnium nesciis non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo trahi, occidi, capi. infensus miles memoria laborum et adversum eludentis optatae totiens pugnae se quisque ultione et sanguine explebant. differtur per manipulos, Tacfarinatem omnes, notum tot proeliis, consecretur: non nisi duce interfecto requiem belli fore; at ille deiectis circum stipatoribus vinctoque iam filio et effusis undique Romanis ruendo in tela captivitatem haud inulta morte effugit; isque finis armis inpositus. Dolabellae petenti abnuat triumphalia Tiberius, 26
iano tribuens, ne Blaesii, avunculi eius, laus obsolesceret; sed neque Blaesus ideo inlustrior, et huic negatus honor gloriam intendit: quippe minore exercitu insignis captivos, caedem ducis bellique confecti famam deportarat. sequebantur et Garamantum legati, raro in urbe visi, quos Tacfarinate caeso percussa gens ut culpae nescia ad satisfaciendum populo Romano miserat. cognitis dehinc Ptolemaei per id bellum studiis repetitus ex vetusto mos, missusque e senatoribus qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera, daret regemque et socium atque amicum appellaret.

Eadem aestate mota per Italiam servilis belli semina 27
fors oppressit: auctor tumultus T. Curtius, quondam praetoriae cohortis miles, primo coetibus clandestinis apud Brundisium et circumiecta oppida, mox positus propalam libellis ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus et ferocia servitia, cum velut munere deum tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari; et erat isdem regionibus Curtius Lupus quaestor, cui provincia vetere ex more calles evenerant: is disposita classiariorum copia coeptantem cum maxime coniurationem disiecit; mis-

susque a Caesare propere Staius tribunus cum valida manu ducem ipsum et proximos audacia in urbem traxit, iam trepidam ob multitudinem familiarum, quae gliscebant immensum minore in dies plebe ingenua.

28 Isdem consulibus miseriarum ac saevitiae exemplum atrox, reus pater, accusator filius — nomen utriusque Vibius Serenus — in senatum inducti sunt; ab exilio retractus inluevitque ac squalore obsitus et tum catena vinctus [*pater*] perorante filio: praeparatus adulescens multis munitis, alacri vultu, structas principi insidias, missos in Galliam concitores belli index idem et testis dicebat, adnectebatque Caecilium Cornutum praetorium ministravisse pecuniam; qui taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. at contra reus nihil infracto animo obversus in filium quater vincula, vocare ultores deos, ut sibi quidem redderent exilium, ubi procul tali more ageret, filium autem quandoque supplicia sequerentur; adseverabatque innocentem Cornutum et falsa exterritum, idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se caedem principis et res novas uno socio cogitasse.

29 Tum accusator Cn. Lentulum et Seium Tiberonem nominat, magno pudore Caesaris, cum primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremae, Tubero defecto corpore, tumultus hostilis et turbandae rei publicae accerserentur; sed hi quidem statim exempti: in patrem ex servis quaesitum, et quaestio adversa accusatori fuit; qui scelere vecors, simul vulgi rumore territus, robur et saxum aut parricidarum poenas minitantium, cessit urbe, ac retractus Ravenna exsequi accusationem adigitur, non occultante Tiberio vetus odium adversum exulem Serenum. nam post damnatum Libonem missis ad Caesarem litteris exprobraverat suum tantum studium sine fructu fuisse, addideratque quaedam contumacius quam tutum apud aures superbas et offensioni proniores. ea Caesar octo post annos rettulit, medium tempus varie arguens, etiamsi tormenta pervicacia servorum contra evenissent.

30 Dictis dein sententiis ut Serenus more maiorum puniretur, quo molliret invidiam, intercessit. Gallus Asinius

p. Ch. 24.

cum Gyaro aut Donusa claudendum censeret, id quoque aspernatus est, egenam aquae utramque insulam referens dandosque vitae usus cui vita concederetur: ita Serenus Amorgum reportatur. et quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de praemiis accusatorum abolendis, si quis maiestatis postulatus ante perfectum iudicium se ipse vita privavisset, ibaturque in eam sententiam, ni durius contraque morem suum palam pro accusatoribus Caesar intritas leges, rem publicam in praecipiti conquestus esset: subverterent potius iura quam custodes eorum amoverent. sic delatores, genus hominum publico exitio repertum et *ne* poenis quidem umquam satis coercitum, per praemia eliciebantur.

His tam adsiduis tamque maestis modica laetitia interi- 31
citur, quod C. Cominium, equitem Romanum, probrosi in se carminis convictum, Caesar precibus fratris, qui senator erat, concessit. quo magis mirum habebatur gnarum meliorum, et quae fama clementiam sequeretur, tristiora malle; neque enim socordia peccabat; nec occultum est quando ex veritate, quando adumbrata laetitia facta imperatorum celebrentur: quin ipse compositus alias et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur quotiens subveniret. at P. Suillium, quaestorem quondam Germanici, cum Italia arceretur convictus pecuniam ob rem iudicandam cepisse, amovendum in insulam censuit, tanta contentione animi ut *iure* iurando obstringeret e re publica id esse; quod aspere acceptum ad praesens, mox in laudem vertit regresso Suillio, quem vidit sequens aetas praepotentem, venalem et Claudii principis amicitia diu prospere, numquam bene usum. eadem poena in Catum Firmium senatorem statuitur, tamquam falsis maiestatis criminibus sororem petivisset; Catus, ut rettuli, Libonem inlexerat insidiis, deinde indicio perculerat; eius operae memor Tiberius, sed alia praetendens, exilium deprecatus est: quo minus senatu pelleretur, non obstitit.

Pleraque eorum quae rettuli quaeque referam, parva 32
forsitan et levia memoratu videri non nescius sum: sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit qui veteris populi Romani res composuere; ingentia illi

bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges, aut si quando ad interna praeverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatum certamina libero egressu memorabant: nobis in arto et inglorius labor; immota quippe aut modice lacessita pax, maestae urbis res; et princeps proferendi imperii incuriosus erat; non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum saepe
 33 rerum motus oriuntur. nam cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex iis et consociata rei publicae forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest; igitur ut olim plebe valida vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatum ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur, sic converso statu neque alia re Romana quam si unus imperitet, haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur. ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt; nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas coniungimus, obvia rerum similitudine et satietate; tum, quod antiquis scriptoribus rarus obrectator, neque refert cuiusquam Punicas Romanasve acies laetius extuleris: at multorum, qui Tiberio regente poenam vel infamias subiere, posterius manent; utque familiae ipsae iam extinctae sint, reperies qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putent; etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. sed ad incepta redeo.

34 CORNELIO COSSO, ASINIO AGRIPPA CONSULIBUS Cremutius Cordus postulat, novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Seiani clientes: id perniciabile reo, et Caesar truci vultu defensionem accipiens, quam Cre-

p. Ch. 25.

mutius, relinquendae vitae certus, in hunc modum exorsus est:

„Verba mea, patres conscripti, arguuntur; adeo factorum innocens sum; sed neque haec in principem aut principis parentem, quos lex maiestatis amplectitur: Brutum et Cassium laudavisse dicor, quorum res gestas cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit ut Pompeianum eum Augustus appellaret; neque id amicitiae eorum offecit; Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur, saepe ut insignis viros nominat. Asinii Pollionis scripta egregiam eorundem memoriam tradunt; Messala Corvinus imperatorem suum Cassium praedicabat: et uterque opibus atque honoribus perviguerunt. Marci Ciceronis libro, quo Catonem caelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione, velut apud iudices, respondit? Antonii epistulae, Bruti contiones falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent; carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur: sed ipse divus Iulius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia; namque spreta exolescunt: si irascere, adgnita videntur. non attingo Graecos, 35 quorum non modo libertas, etiam libido impunita; aut si quis advertit, dictis dicta ultus est: sed maxime solum et sine obtrectatore fuit prodere de iis quos mors odio aut gratiae exemisset; num enim armatis Cassio et Bruto ac Philippenses campos obtinentibus belli civilis causa populum per contiones incendio? an illi quidem septuagesimum ante annum peremti, quomodo imaginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem abolevit, sic partem memoriae apud scriptores retinent? suum cuique decus posteritas rependit; nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti sed etiam mei meminerint.“

Egressus dein senatu vitam abstinentia finivit. libros per aediles cremandos censuere patres; sed manserunt, occultati et editi: quo magis socordiam eorum inridere libet,

qui praesenti potentia credunt extingui posse etiam aequantis aevi memoriam; nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas, neque aliud externi reges aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere.

36 Ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit ut feriarum Latinarum diebus praefectum urbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus in Sextum Marium; quod a Caesare palam increpitem causa exilii Salviano fuit. obiecta publice Cyzicenis incuria caerimoniarum divi Augusti, additis violentiae criminibus adversum cives Romanos: et amisere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant, circumsessi nec minus sua constantia quam praesidio Luculli pulso rege. at Fonteius Capito, qui proconsul Asiam curaverat, absolvitur, conperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum; neque tamen id Sereno noxae fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat; nam ut quis restrictior accusator, velut sacrosanctus erat: leves, ignobiles poenis adficiabantur.

37 Per idem tempus Hispania ulterior missis ad senatum legatis oravit ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique eius exstrueret; qua occasione Caesar, validus alioqui spernendis honoribus et respondendum ratus iis quorum rumore arguebatur in ambitionem flexisse, huiusce modi orationem coepit:

„Scio, patres conscripti, constantiam meam a plerisque desideratam, quod Asiae civitatibus nuper idem istud petentibus non sim adversatus; ergo et prioris silentii defensionem, et quid in futurum statuerim, simul aperiam. cum divus Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamum sisti non prohibuisset, qui omnia facta dictaque eius vice legis observem, placitum iam exemplum promptius secutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adiungebatur: ceterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie numinum sacrari ambitiosum, superbum; et vanescet Augusti honor, si promiscis adulationibus vulgatur. ego me, patres conscripti,

38 mortalem esse et hominum officia fungi satisque habere

p. Ch. 25.

si locum principem impleam, et vos testor et meminisse posteros volo; qui satis superque memoriae meae tribuent, ut maioribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant: haec mihi in animis vestris templa, hae pulcherrimae effigies et mansurae; nam quae saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur. proinde socios, cives et deos ipsos precor, hos, ut mihi ad finem usque vitae quietam et intelligentem humani divinique iuris mentem duint, illos, ut, quandoque concessero, cum laude et bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur.“

Perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum, quod alii modestiam, multi, quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur: optimos quippe mortalium altissima cupere; sic Herculem et Liberum apud Graecos, Quirinum apud nos deum numero additos; melius Augustum, qui speraverit; cetera principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam; nam contemptu famae contemni virtutes.

At Seianus nimia fortuna socors et muliebri insuper 39 cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Caesarem codicillos: moris quippe tum erat quamquam praesentem scripto adire; eius talis forma fuit: benivolentia patris Augusti et mox plurimis Tiberii iudiciis ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos quam ad principum aures conferret; neque fulgorem honorum umquam precatum: excubias ac labores, ut unum e militibus, pro incolumitate imperatoris malle; ac tamen quod pulcherrimum, adeptum, ut coniunctione Caesaris dignus crederetur: hinc initium spei; et quoniam audiverit Augustum in collocanda filia nonnihil etiam de equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum; non enim exuere inposita munia: satis aestimare firmari domum adversum iniquas Agrippinae offensiones, idque liberorum causa; nam sibi multum superque vitae fore quod tali cum principe explevisset.

40 Ad ea Tiberius laudata pietate Seiani suisque in eum beneficiis modice percursis, cum tempus tamquam ad integram consultationem petivisset, adiunxit: ceteris mortalibus in eo stare consilia quid sibi conducere putent; principum diversam esse sortem, quibus praecipua rerum ad famam derigenda. ideo se non illuc decurrere quod promptum rescriptu, posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum an in penetibus isdem tolerandum haberet; esse illi matrem et aviam propiora consilia: simplicius acturum, de inimicitii primum Agrippinae, quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviae velut in partes domum Caesarum distraxisset; sic quoque erumpere aemulationem feminarum, eaque discordia nepotes suos convelli: „quid si intendatur certamen tali coniugio? falleris enim, Seiane, si te mansurum in eodem ordine putas, et Liviam, quae C. Caesari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam ut cum equite Romano senescat: ego ut sinam, credisne passuros qui fratrem eius, qui patrem maioresque nostros in summis imperiis videre? vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus et primores, qui te invito perrumpunt omnibusque de rebus consulunt, excessisse iam pridem equestre fastigium longaeque antisse patris mei amicitias non occulti ferunt perque invidiam tui me quoque incusant. at enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est: mirum hercule si, cum in omnis curas distraheretur immensumque attolli provideret quem coniunctione tali super alios extulisset, C. Procleium et quosdam in sermonibus habuit insigni tranquillitate vitae, nullis rei publicae negotiis permixtos. sed si dubitatione Augusti movemur, quanto validius est quod Marco Agrippae, mox mihi conlocavit? atque ego haec pro amicitia non occultavi: ceterum neque tuis neque Liviae destinatis adversabor. ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus inmiscere te mihi parem, omittam ad praesens referre: id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum quod non virtutes istae tuusque in me animus mereantur, datoque tempore vel in senatu vel in contione non reticebo.“

41 Rursum Seianus, non iam de matrimonio sed altius

p. Ch. 25.

metuens, tacita suspicionum, vulgi rumore, ingruentem invidiam deprecatur; ac ne adsiduos in domum coetus arcendo infringeret potentiam aut receptando facultatem criminantibus praeberet, huc flexit ut Tiberium ad vitam procul Roma amoenis locis degendam impelleret. multa quippe providebat: sua in manu aditus, litterarumque magna ex parte se arbitrum fore, cum per milites commearent; mox Caesarem vergente iam senecta secretoque loci mollitum munia imperii facilius tramissurum; et minui sibi invidiam adempta salutantium turba, sublatisque inani-bus vera potentia augeri. igitur paulatim negotia urbis, populi adcursus, multitudinem affluentium increpat, extollens laudibus quietem et solitudinem, quis abesse taedia et offensiones ac praecipua rerum maxime agitari.

Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano, ce- 42
lebris ingenii viro, cognitio cunctantem iam Tiberium per-pulit ut vitandos crederet patrum coetus vocesque quae plerumque verae et graves coram ingerebantur; nam postulato Votieno ob contumelias in Caesarem dictas, testis Aemilius, e militaribus viris, dum studio probandi cuncta refert et, quamquam inter obstrepentes, magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra quis per occultum lacerabatur, adeoque percussus est ut se vel statim vel in cognitione purgaturum clamitaret precibusque proximo-rum, adulatione omnium aegre componeret animum. et Votienus quidem maiestatis poenis adfectus est: Caesar obiectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus, Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure, quamquam Lentulus Gaetulicus, consul designatus, lege Julia damnasset, exilio punivit Apidiumque Merulam, quod in acta divi Augusti non iuraverat, albo senatorio erasisit.

Auditae dehinc Lacedaemoniorum et Messeniorum le- 43
gationes de iure templi Dianae Limnatidis, quod suis a maioribus suaque in terra dicatum Lacedaemonii firma-bant annalium memoria vatumque carminibus: sed Mace-donis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum, ac post C. Caesaris et M. Antonii sententia redditum. contra Messenii veterem inter Herculis posteros divisionem Pe-loponnesi protulere, suoque regi Dentheliatem agrum, in

quo id delubrum, cessisse; monimentaue eius rei sculpta saxi et aere prisco manere; quod si vatum, annalium ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse; neque Philippum potentia sed ex vero statuisset; idem regis Antigoni, idem imperatoris Mummii iudicium; sic Milesios permissio publice arbitrio, postremo Atidium Geminum, praetorem Achaiae, decrevisse: ita secundum Messenios datum. et Segestani aedem Veneris montem apud Erycum, vetustate delapsam, restaurari postulavere, nota memorantes de origine eius et lacta Tiberio: suscepit curam libens ut consanguineus. tunc tractatae Massiliensium preces, probatumque P. Rutilii exemplum; namque cum legibus pulsum civem sibi Zmyrnaei addiderant: quo iure Vulcatius Moschus exul in Massilienses receptus bona sua rei publicae eorum ut patriae reliquerat.

44 Obiere eo anno viri nobiles Cn. Lentulus et L. Domitius. Lentulo super consulatum et triumphalia de Getis gloriae fuerat bene tolerata paupertas, dein magnae opes innocenter paratae et modeste habitae. Domitium decoravit pater civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Caesaris misceretur; avus Pharsalica acie pro optumatis ceciderat: ipse delectus cui minor Antonia, Octavia genita, in matrimonium daretur, post exercitu flumen Albim transcendit longius penetrata Germania quam ququam priorum; easque ob res insignia triumphii adeptus est. obiit et L. Antonius, multa claritudine generis sed inprospere; nam patre eius Iulo Antonio ob adulterium Iuliae morte punito hunc admodum adulescentulum, sororis nepotem, seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exilii tegetur; habitus tamen supremis honor, ossaque tumulo Octavio inlata per decretum senatus.

45 Isdem consulibus facinus atrox in citeriore Hispania admissum a quodam agresti nationis Termestinae; is praetorem provinciae L. Pisonem, pace incuriosum, ex inproviso in itinere adortus uno vulnere in mortem adfecit; ac pernicitate equi profugus, postquam saltuosos locos attigerat, dimisso equo per derupta et avia sequentis frustratus est. neque diu fefellit; nam presso ductoque per proximos

p. Ch. 25. 26.

pagos equo, cuius foret cognitum: et repertus cum tormentis edere conscios adigeretur, voce magna sermone patrio frustra se interrogari clamitavit: adsisterent socii ac spectarent; nullam vim tantam doloris fore ut veritatem eliceret. idemque cum postero ad quaestionem retraheretur, eo nisu proripuit se custodibus saxoque caput adfixit ut statim exanimaretur. sed Piso Termestinatorum dolo caesus habetur, quia pecunias e publico interceptas acrius quam ut tolerarent barbari cobeat.

LENTULO GAETULICO, C. CALVISIO consulibus decreta 46 triumphi insignia Poppaeo Sabino contusis Thraecum gentibus, qui montium editis incultu atque eo ferocius agitabant. causa motus, super hominum ingenium, quod pati dilectus et validissimum quemque militiae nostrae dare aspernabantur, ne regibus quidem parere nisi ex libidine soliti, aut si mitterent auxilia, suos ductores praeficere nec nisi adversum accolas belligerare: ac tum rumor incesserat fore ut disiecti aliisque nationibus permixti diversas in terras traherentur. sed antequam arma inciperent, misere legatos amicitiam obsequiumque memoraturos, et mansura haec, si nullo novo onere temptarentur: sin ut victis servitium indiceretur, esse sibi ferrum et iuventutem et promptum libertati aut ad mortem animum. simul castella rupibus indita conlatosque illuc parentes et coniuges ostentabant bellumque impeditum, arduum, cruentum minitabantur.

At Sabinus, donec exercitus in unum conduceret, datis 47 mitibus responsis, postquam Pomponius Labeo e Moesia cum legione, rex Rhoemetalces cum auxiliis popularium qui fidem non mutaverant venire, addita praesenti copia ad hostem pergit compositum iam per angustias saltuum. quidam audentius apertis in collibus visebantur; quos dux Romanus acie suggestus haud aegre pepulit, sanguine barbarorum modico ob propinqua suffugia. mox castris in loco communis valida manu montem occupat angustum et aequali dorso continuum usque ad proximum castellum, quod magna vis armata, at incondita tuebatur; simul in ferocissimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus et tripudiis persultabant, mittit delectos sagittariorum;

ii dum eminus grassabantur, crebra et inulta vulnera fecere: propius incedentes eruptione subita turbati sunt receptique subsidio Sugambrae cohortis, quam Romanus promptam ad pericula nec minus cantuum et armorum tumultu trucem haud procul instruxerat.

18 Translata dehinc castra hostem propter, relictis apud priora munimenta Threcibus quos nobis adfuisse memoravi, iisque permissum vastare, urere, trahere praedas, dum populatio lucem intra sisteretur noctemque in castris tutam et vigilem capesseret; id primo servatum: mox versi in luxum et raptis opulenti omittere stationes, lascivia epularum aut somno et vino procumbere. igitur hostes incuria eorum conperta duo agmina parant, quorum altero populatores invaderentur, alii castra Romana adpugnarent, non spe capiendi, sed ut clamore, telis, suo quisque periculo intentus sonorem alterius proelii non acciperet; tenebrae insuper delectae augendam ad formidinem. sed qui vallum legionum temptabant, facile pelluntur; Threcum auxilia repentino incursu territa, cum pars munitionibus adiacerent, plures extra palarentur, tanto infensius caesi, quanto perfugae et proditores ferre arma ad suum patriaeque servitium incusabantur.

9 Postera die Sabinus exercitum aequo loco ostendit, si barbari successu noctis alacres proelium auderent; et postquam castello aut coniunctis tumulis non degrediebantur, obsidium coepit per praesidia, quae opportune iam muniebat; dein fossam loricamque contexens quattuor milia passuum ambitu amplexus est. tum paulatim, ut aquam pabulumque eriperet, contrahere claustra artaque circumdare; et struebatur agger, unde saxa, hastae, ignes propinquum iam in hostem iacerentur. sed nihil aequae quam sitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum inbellium uno reliquo fonte uterentur; simulque armenta, ut mos barbaris, iuxta clausa, egestate pabuli exanimari; adiacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat; pollui cuncta sanie, odore, contactu. rebusque turbatis malum extremum discordia accessit, his deditioem, aliis mortem et mutuos inter se ictus parantibus; et erant qui
0 non inultum exitium sed eruptionem suaderent. neque

p. Ch. 26.

ignobiles, quamvis diversi sententiis, verum e ducibus Dinis, proventus senecta et longo usu vim atque clementiam Romanam edoctus, ponenda arma, unum adfectis id remedium disserebat, primusque se cum coniuge et liberis victori permisit; secuti aetate aut sexu inbecilli et quibus maior vitae quam gloriae cupido. at iuventus Tarsam inter et Turesim distrahebatur: utrique destinatum cum libertate occidere, sed Tarsa properum *per* finem abrumpendas pariter spes ac metus clamitans dedit exemplum demisso in pectus ferro; nec defuere qui eodem modo oppeterent. Turesis sua cum manu noctem opperitur, haud nescio duce nostro; igitur firmatae stationes densioribus globis; et ingruerat nox nimbo atrox, hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium, incertos obsessores effecerat, cum Sabinus circumire, hortari ne ad ambigua sonitus aut simulationem quietis casum insidiantibus aperirent, sed sua quisque munia servarent immoti telisque non in falsum iactis. interea barbari catervis decurrentes nunc in vallum 51 manualia saxa, praeustas sudas, decisa robora iacere, nunc virgultis et cratibus et corporibus exanimis complere fossas; quidam pontis et scalas ante fabricati inferre propugnaculis eaque prensare, detrahare et adversum resistentis comminus niti; miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, muralia pila, congestas lapidum moles provolvare. his partae victoriae spes et, si cedant, insignitius flagitium, illis extrema iam salus et adsistentes plerisque matres et coniuges earumque lamenta addunt animos; nox aliis in audaciam, aliis ad formidinem oportuna; incerti ictus, vulnera improvisa; suorum atque hostium ignoratio et montis anfractu repercussae velut a tergo voces adeo cuncta miscuerant ut quaedam munimenta Romani quasi perrupta omiserint. neque tamen pervasere hostes nisi admodum pauci: ceteros, deiecto promptissimo quoque aut saucio, adpetente iam luce truserunt in summa castelli, ubi tandem coacta deditio; et proxima sponte incolarum recepta: reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, praematura montis Haemi et saeva hiemps subvenit.

At Romae commota principis domo, ut series futuri 52 in Agrippinam exitii inciperet, Claudia Pulchra, sobrina

eius, postulatur accusante Domitio Afro: is recens praetura, modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere, crimen inpudicitiae, adulterum Furnium, veneficia in principem et devotiones obiebat. Agrippina semper atrox, tum et periculo propinquae accensa, pergit ad Tiberium, ac forte sacrificantem patri reperit: quo initio invidiae, non eiusdem ait mactare divo Augusto victimas et posteros eius insectari; non in effigies mutas divinum spiritum transfusum; sed imaginem veram, caelesti sanguine ortam intellegere discrimen, suscipere sordes; frustra Pulchram praescribi, cui sola exitii causa sit quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit, oblita Sosiae ob eadem adflictae. audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere; correptamque Graeco versu admonuit non ideo laedi, quia non regnaret. Pulchra et Furnius damnantur. Afer primoribus oratorum additus, divulgato ingenio et secuta adseveratione Caesaris, qua suo iure disertum eum appellavit; mox capessendis accusationibus aut reos tutando prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit, nisi quod aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam.

- 53 At Agrippina pervicax irae et morbo corporis implicata, cum viseret eam Caesar, profusis diu ac per silentium lacrimis, mox invidiam et preces orditur: subveniret solitudini, daret maritum: habilem adhuc iuventam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solatium; esse in civitate [*qui divo Augusto ortam,*] Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignarentur. sed Caesar non ignarus quantum ex re publica peteretur, ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso quamquam instantem reliquit. id ego, a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis, Agrippinae filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris me-
- 54 moravit. ceterum Seianus maerentem et improvidam altius perculit, immissis qui per speciem amicitiae monerent paratum ei venenum, vitandas soceri epulas. atque illa simulationum nescia, cum propter discumberet, non vultu aut sermone flecti, nullos attingere cibos, donec advertit

p. Ch. 26.

Tiberius, forte an quia audiverat; idque quo acrius expe-
raretur, poma, ut erant adposita, laudans nurui sua manu
tradidit; aucta ex eo suspicio Agrippinae, et intacta ore
servis tramisit. nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed
obversus ad matrem non mirum ait, si quid severius in
eam statuisset a qua veneficii insimularetur: inde rumor
parari exitium, neque id imperatorem palam audere, se-
cretum ad perpetrandum quaeri.

Sed Caesar quo famam averteret, adesse frequens se- 55
natui legatosque Asiae, ambigentes quam in civitate
templum statueretur, pluris per dies audivit. undecim ur-
bes certabant, pari ambitione, viribus diversae; neque
multum distantia inter se memorabant de vetustate gene-
ris, studio in populum Romanum per bella Persi et Ari-
stonici aliorumque regum; verum Hypaepeni Tralliamque
Laodiceis ac Magnetibus simul tramissi ut parum validi;
ne Iienses quidem, cum parentem urbis Romae Troiam
referrent, nisi antiquitatis gloria pollebant; paulum addu-
bitatum, quod Halicarnasii mille et ducentos per annos
nullo motu terrae nutavisse sedes suas vivoque in saxo
fundamenta templi adseveraverant; Pergameno, quo ipso
nitebantur, aedem Augusto ibi sitam, satis adeptos credi-
tum; Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianae caerimonia
occupavisse civitates visi: ita Sardianos inter Zmyrnaeosque
deliberatum. Sardiani decretum Etruriae recita-
vere ut consanguinei: nam Tyrrhenum Lydumque Atye
rege genitos ob multitudinem divisisse gentem; Lydum
patriis in terris resedissee, Tyrrheno datum novas ut con-
deret sedes; et ducum e nominibus indita vocabula illis
per Asiam, his in Italia; auctamque adhuc Lydorum opu-
lentiam missis in Graeciam populis, cui mox a Pelope
nomen; simul litteras imperatorum et icta nobiscum foe-
dera bello Macedonum ubertatemque fluminum suorum,
temperiem caeli ac dices circum terras memorabant. at 56
Zmyrnaei repetita vetustate, seu Tantalus Iove ortus illos,
sive Theseus divina et ipse stirpe, sive una Amazonum
condidisset, transcendere ad ea, quis maxime fidebant in
populum Romanum officiis, missa navali copia non modo
externa ad bella, sed quae in Italia tolerabantur; seque

primos templum urbis Romae statuisset, M. Porcio consule, magnis quidem iam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe et validis per Asiam regibus; simul L. Sullam testem adferebant, gravissimo in discrimine exercitus ob asperitatem hiemis et penuriam vestis, cum id Zmyrnam in conditionem nuntiatum foret, omnes qui adstabant detraxisse corpori tegmina nostrisque legionibus misisse. ita rogati sententiam patres Zmyrnaeos praetulere, censuitque Vibius Marsus ut M. Lepido, cui ea provincia obvenerat, super numerum legaretur, qui templi curam susciperet; et quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat, Valerius Naso e praetoriis sorte missus est.

57 Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio tandem Caesar [*concessit*] in Campaniam, specie dedicandi templa apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul urbe degere. causam abscessus quamquam secutus plurimos auctorum ad Seiani artes rettuli, quia tamen caede eius patrata sex postea annos pari secreto coniunxit, plerumque permoveor num ad ipsum referri verius sit, saevitiam ac libidinem cum factis promeret, locis occultantem. erant qui crederent in senectute corporis quoque habitum pudori fuisse: quippe illi praegracilis et incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta; et Rhodi secreto vitare coetus, recondere voluptates insuerat. traditur etiam matris inpotentia extrusum, quam dominationis sociam aspernabatur neque depellere poterat, cum dominationem ipsam donum eius accepisset; nam dubitaverat Augustus Germanicum, sororis nepotem et cunctis laudatum, rei Romanae imponere, sed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit, idque Augusta exprobrabat, reposebat.

58 Profectio arto comitatu fuit: unus senator consulatu functus, Cocceius Nerva, cui legum peritia; eques Romanus, praeter Seianum, ex illustribus Curtius Atticus; ceteri liberalibus studiis praediti, ferme Graeci, quorum sermonibus levaretur. ferebant periti caelestium, iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium ut reditus illi

p. Ch. 26.

negaretur, unde exitii causa multis fuit properum finem vitae coniectantibus vulgantibusque; neque enim tam incredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret. mox patuit breve confinium artis et falsi, veraque quam obscuris tegerentur; nam in urbem non regressurum haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure aut litore et saepe moenia urbis adsidens extremam senectam compleverit.

Ac forte illis diebus oblatum Caesari anceps perieulum auxit vana rumoris praebuitque ipsi materiem cur amicitiae constantiaeque Seiani magis fideret. vescebantur in villa cui vocabulum Speluncae, mare Amuclanum inter et Fundanos montes, nativo in specu; eius os lapsis repente saxis obruit quosdam ministros; hinc metus in omnes et fuga eorum qui convivium celebrabant: Seianus genu vultuque et manibus super Caesarem suspensus opposuit sese incidentibus atque habitu tali repertus est a militibus qui subsidio venerant. maior ex eo; et quamquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius, cum fide audiebatur; adsimulabatque iudicis partes adversum Germanici stirpem, subditis qui accusatorum nomina sustinerent maximeque insectarentur Neronem, proximum successioni et, quamquam modesta iuventa, plerumque tamen quid in praesentiarum conduceret oblitum, dum a libertis et clientibus, apiscendae potentiae properis, exstimulatur ut erectum et fidentem animi ostenderet: velle id populum Romanum, cupere exercitus, neque ausurum contra Seianum, qui nunc patientiam senis et segnitiam iuvenis iuxta insultet. haec atque talia audienti nihil quidem pravae cogitationis, sed interdum voces procidebant contumaces et inconsultae, quas adpositi custodes exceptas auctasque cum deferrent, neque Neroni defendere daretur, diversae insuper sollicitudinum formae oriebantur: nam alius occursum eius vitare; quidam salutatione reddita statim averti; plerique inceptum sermonem abrumpere, insistentibus contra inridentibusque qui Seiano fautores aderant. enimvero Tiberius torvus aut falsum renidens vultu; seu loqueretur seu taceret iuvenis, crimen ex silentio, ex voce; ne nox quidem segura, cum uxor vigiliis, somnos, suspiria matri

Liviae atque illa Seiano patefaceret; qui fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes, spe obiecta principis loci, si priorem aetate et iam labefactum demovisset. atrox Drusi ingenium; super cupidinem potentiae et solita fratribus odia, accendebatur invidia, quod mater Agrippina promptior Neroni erat; neque tamen Seianus ita Drusum fovebat ut non in eum quoque semina futuri exitii meditaretur, gnarus praeferocem et insidiis magis oportunum.

- 61 Fine anni excessere insignes viri Asinius Agrippa, claris maioribus quam vetustis vitaeque non degener, et Q. Haterius, familia senatoria, eloquentiae, quoad vixit, celebratae; monumenta ingenii eius haud perinde retinentur: scilicet impetu magis quam cura vigeat, utque aliorum meditatio et labor in posterum valet, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul extinctum est.
- 62 M. LICINIO, L. CALPURNIO consulibus ingentium bellorum cladem aequavit malum improvisum; eius initium simul et finis exstitit. nam coepto apud Fidenam amphitheatro Atilius quidam libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit, ut qui non abundantia pecuniae nec municipali ambitione, sed in sordidam mercedem id negotium quaesivisset. adfluxere avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus, omnis aetas, ob propinquitatem loci effusius; unde gravior pestis fuit, conferta mole, dein convulsa, dum ruit intus aut in exteriora effunditur immensamque vim mortalium, spectaculo intentos aut qui circum adstabant, praeceps trahit atque operit. et illi quidem quos principium stragis in mortem adfixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere: miserandi magis, quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat; qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu coniuges aut liberos noscebant. iam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari; etiam quorum diversa de causa amici aut necessarii aberant, pavere tamen; nequedum comperto quos illa vis
- 63 perculisset, latior ex incerto metus. ut coepere dimoveri

p. Ch. 27.

obruta, concursus ad exanimos complectentium, osculantium; et saepe certamen, si confusior facies, sed par forma aut aetas errorem adgnoscentibus fecerat. quinquaginta hominum milia eo casu debilitata vel obruta sunt; cautumque in posterum senatus consulto ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum milium res, neve amphitheatrum imponeretur nisi solo firmitatis spectatae. Atilius in exilium actus est. ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta et medici passim praebiti, fuitque urbs per illos dies, quamquam maesta facie, veterum institutis similis, qui magna post proelia saucios largitione et cura sustentabant.

Nondum ea clades exoleverat, cum ignis violentia urbem ultra solitum adfecit deusto monte Caelio; feralemque annum ferebant et ominibus adversis susceptum principi consilium absentiae, qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes, ni Caesar obviam isset tribuendo pecunias ex modo detrimenti; actaeque ei grates apud senatum ab illustribus fama apud populum, quia sine ambitione aut proximorum precibus ignotos etiam et ultro accitos magnificentia iuverat. adduntur sententiae ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quando cunctis circum flagrantibus sola Tiberii effigies, sita in domo Iunii senatoris, inviolata mansisset: evenisse id olim Claudiae Quintae, eiusque statuam vim ignium bis elapsam maiores apud aedem matris deum consecravisse; sanctos acceptosque numinibus Claudios, et augendam caerimoniam loco in quo tantum in principem honorem di ostenderent.

Haud fuerit absurdum tradere montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse quod talis silvae frequens fecundusque erat, mox Caelium appellatum à Caele Vibenna, qui dux gentis Etruscae cum auxilium appellatus tulisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit: nam scriptores in eo dissentiunt. cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitavisse, unde Tuscum vicum e vocabulo advenarum dictum.

Sed ut studia procerum et largitio principis adversum casus solatium tulerant, ita accusatorum maior in dies et

infestior vis sine levamento grassabatur; corripueratque Varum Quintilium, divitem et Caesari propinquum, Domitius Afer, Claudiae Pulchrae, matris eius, condemnator, nullo mirante quod diu egens et parto nuper praemio male usus plura ad flagitia accingeretur; Publium Dolabellam socium delationis extitisse miraculo erat, quia claris maioribus et Varo connexus suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat: restitit tamen senatus et operiendum imperatorem censuit; quod unum urgentium malorum suffugium in tempus erat.

- 67 At Caesar dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuisset ne quis quietem eius inrumperet, concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur, perosus tamen municipia et colonias omniaque in continenti sita, Capreas se in insulam abdidit, trium milium freto ab extremis Surrentini promontorii diiunctam. solitudinem eius placuisse maxime crediderim, quoniam inportuosum circa mare, et vix modicis navigiis pauca subsidia: neque adpulerit quisquam nisi gnaro custode. caeli temperies hieme mitis obiectu montis, quo saeva ventorum arcentur; aestas in favonium obversa et aperto circum pelago peramoena; prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret. Graecos ea tenuisse Capreasque Telebois habitatas fama tradit; sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat, quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus et malum otium resolutus: manebat quippe suspicionum et credendi temeritas, quam Seianus augere etiam in urbe suetus acrius turbabat non iam occultis adversum Agrippinam et Neronem insidiis; quis additus miles nuntios, introitus, aperta, secreta velut in annales referebat, ultroque struebantur qui monerent per fugere ad Germaniae exercitus vel celeberrimo fori effigiem divi Augusti amplecti populumque ac senatum auxilio vocare, eaque spreta ab illis, velut pararent, obiciebantur.

- 68 IUNIO SILANO et SILIO NERVA consulibus foedum anni principium incessit tracto in carcerem inlustri equite Romano, Titio Sabino, ob amicitiam Germanici: neque enim

p. Ch. 28.

omiserat coniugem liberosque eius percolere, sectator domi, comes in publico, post tot clientes unus, eoque apud bonos laudatus et gravis iniquis: hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petilius Rufus, M. Opsius praetura functi adgrediuntur, cupidine consulatus, ad quem non nisi per Seianum aditus; neque Seiani voluntas nisi scelere quaerebatur. compositum inter ipsos ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, ceteri testes adessent, deinde accusationem inciperent: igitur Latiaris iacere fortuitos primum sermones, mox laudare constantiam, quod non, ut ceteri, florentis domus adfictam deseruisset; simul honora de Germanico Agrippinam miserans disserebat; et postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrimas, iunxit questus, audentius iam onerat Seianum, saevitiam, superbiam, spes eius; ne in Tiberium quidem convicio abstinet; iique sermones, tamquam vetita miscuissent, speciem artae amicitiae fecere, ac iam ultro Sabinus quaerere Latiarum, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre.

Consultant quos memoravi, quonam modo ea plurium 69 auditu acciperentur; nam loco in quem coibatur, servanda solitudinis facies; et si pone fores adsisterent, metui visus, sonitus aut forte ortae suspiciones erant: tectum inter et laquearia tres senatores, haud minus turpi latebra quam detestanda fraude, sese abstrudunt; foraminibus et rimis aurem admovent; interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum et in cubiculum trahit; praeteritaque et instantia, quorum adfatim copia, novos terrores cumulat; eadem ille et diutius, quanto maesta, ubi semel prorupere, difficilius reticentur. properata inde accusatio, missisque ad Caesarem litteris ordinem fraudis suumque ipsi dedecus narravere. non alias magis anxia et pavens civitas, tegens adversum proximos: congressus, conloquia, notae ignotaeque aures vitari; etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur.

Sed Caesar sollemnia incipientis anni kalendis Ianua- 70 riis epistula precatus, vertit in Sabinum, corruptos quos-

dam libertorum et petitem se arguens, ultionemque haud obscure poscebat. nec mora quin decerneretur: et trahebatur damnatus, quantum obducta veste et adstrictis faucibus niti poterat, clamitans sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere; quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga, vastitas; deseri itinera, fora; et quidam rediebantur ostentabantque se rursus, id ipsum paventes quod timuissent: quem enim diem vacuum poena, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla et laqueus inducantur? non imprudentem Tiberium tantam invidiam adisse: quaesitum meditatumque ne quid impedire credatur quo minus novi magistratus, quo modo delubra et altaria, sic carcerem recludant. secutae insuper litterae grates agentis quod hominem infensum rei publicae punivissent, adiecto trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias, nullo nominatum compellato; neque tamen dubitabatur in Neronem et Agrippinam intendi.

- 71 Ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum referre, aiebat animus antire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores habuere, non modo postquam C. Caesar rerum potitus est, sed incolumi Tiberio, qui scelerum ministros ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus et oblati in eandem operam recentibus veteres et praegraves adfixit. verum has atque alias sontium poenas in tempore tradimus: tum censuit Asinius Gallus, cuius liberorum Agrippina matertera erat, petendum a principe ut metus suos senatui fateretur amoverique sineret. nullam aequae Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis quam dissimulationem diligebat; eo aegrius accepit recludi quae premeret; sed mitigavit Seianus, non Galli amore, verum ut cunctationes principis opperiretur, gnarus lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrociam facta coniungere.

Per idem tempus Iulia mortem obiit, quam neptem Augustus convictam adulterii damnaverat proieceratque in insulam Trimerum, haud procul Apulis litoribus; illic viginti annis exilium toleravit, Augustae ope sustentata;

p. Ch. 28.

quae florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga adfectos palam ostentabat.

Eodem anno Frisii, transrhenanus populus, pacem 72 exuere, nostra magis avaritia quam obsequii impatientes. tributum iis Drusus iusserat modicum pro angustia rerum, ut in usus militares coria bouum penderent, non intenta cuiusquam cura, quae firmitudo, quae mensura, donec Olennius e primipilaribus regendis Frisiis inpositus terga urorum delegit quorum ad formam acciperentur; id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficiliter tolerabatur, quis ingentium beluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum servitio tradebant; hinc ira et questus, et postquam non subveniebatur, remedium ex bello; rapti qui tributo aderant milites et patibulo adfixi; Olennius infensos fuga praevenit, receptus castello cui nomen Flevum; et haud spernenda illic civium sociorumque manus litora Oceani praesidebat.

Quod ubi L. Apronio, inferioris Germaniae pro praetore, cognitum, vexilla legionum e superiore provincia peditumque et equitum auxiliarium delectos accivit ac simul utrumque exercitum Rheno devectum Frisiis intulit, soluto iam castelli obsidio et ad sua tutanda digressis rebellibus; igitur proxima aestuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmat, atque interim repertis vadis alam Canninefatem et quod peditum Germanorum inter nostros merebat circumgredi terga hostium iubet; qui iam acie compositi pellunt turmas sociales equitesque legionum subsidio missos. tum tres leves cohortes ac rursum duae, dein tempore interiecto *alarius* eques inmissus: satis validi, si simul incubuissent, per intervallum adventantes neque constantiam addiderant turbatis et pavore fugientium auferebantur. Cethego Labconi, legato quintae legionis, quod reliquum auxiliorum, tradit; atque ille dubia suorum re in anceps tractus missis nuntiis vim legionum inplorabat: prorumpunt quintani ante alios et acri pugna hoste pulso recipiunt cohortis alasque fessas vulneribus. neque dux Romanus ultum iit aut corpora humavit, quamquam multi tribunorum praefectorumque et insignes cen-

turiones cecidissent; mox compertum a transfugis nongentos Romanorum apud lucum, quem Baduhennae vocant, pugna in posterum extracta confectos, et aliam quadringentorum manum occupata Cruptoricis quondam stipendiarij villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse.

- 74 Clarum inde inter Germanos Frisium nomen, dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permetteret; neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur: pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quaerebatur; ita quamquam diversis super rebus consulerentur, aram clementiae, aram amicitiae effigiesque circum Caesaris ac Seiani censuere, crebrisque precibus efflagitabant, visendi sui copiam facerent. non illi tamen in urbem aut propinqua urbi degressi sunt: satis visum omittere insulam et in proximo Campaniae aspici; eo venire patres, eques, magna pars plebis, anxii erga Seianum, cuius durior congressus, atque eo per ambitum et societate consiliorum parabatur. satis constabat auctam ei adrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti; quippe Romae sueti discursus, et magnitudine urbis incertum, quod quisque ad negotium pergat: ibi campo aut litore iacentes nullo discrimine, noetem ac diem iuxta gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur, donec id quoque vetitum; et revenere in urbem trepidi, quos non sermone, non visu dignatus erat; quidam male alacres, quibus infaustae amicitiae gravis exitus imminebat.
- 75 Ceterum Tiberius neptem Agrippinam, Germanico ortam, cum coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias iussit; in Domitio super vetustatem generis propinquum Caesaribus sanguinem delegerat; nam is aviam Octaviam et per eam Augustum avunculum praeferebat.

CORNELII TACITI
ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI.

LIBER QUINTUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Liviae Augustae mors et elogium. 2. Tiberius etiam mortuae iniquus. 3. Seiani potentia crescit. Agrippina et Nero a principe accusantur. 4. 5. in eos populi favor irato Tiberio.

Haec gesta cons. C. Rubellio Gemino, C. Fufio Gemino initio anni 782. desunt reliqua huius anni, item omnia anni 783 acta, denique quae anno 784 usque ad mensem Octobrem gesta, quo caesus est Seianus.

RUBELLIO et FUFIO consulibus, quorum utriusque Gemini cognomentum erat, Iulia Augusta mortem obiit, aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Liviorum Iuliorumque clarissimae. primum ei matrimonium et liberi fuere cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta in urbem rediit; exin Caesar cupidine formae aufert marito, incertum an invitam, adeo properus ut ne spatio quidem ad enitendum dato penetibus suis gravidam induxerit; nullam posthac subolem edidit, sed sanguini Augusti per coniunctionem Agrippinae et Germanici adnexa communes pronepotes habuit. sanctitate domus priscum ad morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum; mater inpotens, uxor facilis et cum artibus mariti, simulatione filii bene composita. funus eius modicum, testamentum diu inritum fuit; laudata est pro rostris a C. Caesare pronepote, qui mox rerum potitus est.

At Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset, nihil mutata amoenitate vitae magnitudinem negotiorum per litteras excusavit, honoresque memoriae eius ab senatu large decretos quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis et addito ne caelestis religio decerneretur: sic ipsam maluisse; quin et parte eiusdem epi-

stulae increpuit amicitias muliebres, Fufum consulem oblique perstringens: is gratia Augustae floruerat, aptus alliciendis feminarum animis, dicax idem et Tiberium acerbis facetiis inridere solitus, quarum apud praepotentes in longum memoria est.

3 Ceterum ex eo praerupta iam et urgens dominatio; nam incolumi Augusta erat adhuc perfugium, quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque Seianus audebat auctoritati parentis antire: tunc velut frenis exsoluti proruperunt, missaeque in Agrippinam ac Neronem litterae, quas pridem allatas et cohibitas ab Augusta creditit vulgus; haud enim multum post mortem eius recitatae sunt. verba inerant quaesita asperitate: sed non arma, non rerum novarum studium, amores iuvenum et impudicitiam nepoti obiectabat; in nurum ne id quidem confingere ausus, adrogantiam oris et contumacem animum incusavit, magno senatus pavore ac silentio, donec pauci, quis nulla ex honesto spes — et publica mala singulis in occasionem gratiae trahuntur — ut referretur postulavere, promptissimo Cotta Messalino cum atroci sententia. sed aliis a primoribus, maximeque a magistratibus trepidabatur: quippe Tiberius, etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat.

4 Fuit in senatu Iunius Rusticus, componendis patrum actis delectus a Caesare, eoque meditationes eius introspicere creditus: is fatali quodam motu — neque enim ante specimen constantiae dederat — seu prava sollertia, dum imminetium oblitus incerta pavet, inserere se dubitantibus ac monere consules ne relationem inciperent; dissecabatque brevibus momentis summa verti; posse quandoque *domus Germanici exitium paenitentiae esse* seni. simul populus effigies Agrippinae ac Neronis gerens circumstetit curiam *faustisque* in Caesarem omnibus falsas litteras et principe invito exitium domui eius intendi clamitat; ita nihil triste illo die patratum. ferebantur etiam sub nominibus consularium fictae in Seianum sententiae, exercentibus plerisque per occultum atque eo procacius libidinem ingeniorum. unde illi ira violentior et materies criminandi: spretum dolorem principis ab senatu, descivisse populum;

p. Ch. 29.

audiri iam et legi novas contiones, nova patrum consulta; quid reliquum nisi ut caperent ferrum et, quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent? igitur Caesar repetitis adversum nepotem et nurum probris increpitaque per edictum plebe, questus apud patres quod fraude unius senatoris imperatoria maiestas elusa publice foret, integra tamen sibi cuncta postulavit. nec ultra deliberatum quo minus non quidem extrema decernerent — id enim vetitum — sed paratos ad ultionem vi principis impediri testarentur. *****

CORNELII TACITI

ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER SEXTUS.

BREVIARIUM.

Manco libri initio continentur postrema anni 784 acta: Cap. 1—4. (vulgo V, 6—9) saevitur in Seiani amicos et liberos. 5. (V, 10) rumor acer magis quam diuturnus de iuvene quodam, qui se Drusum, Germanici filium ferebat. 6. (V, 11) discordia consulum suffectorum L. Fulcinii Trionis, P. Memmii Reguli. 7. (VI, 1) Tiberii foedae libidines. 8. (2) in Seiani et Liviae memoriam saevitur. Togonii adulationem princeps irridet, 9. (3) Gallionis increpat et punit. Paconianus. 10. (4) Latiaris. dissidium consulum sedat Maximus. 11. (5) Cotta Messalinus accusatus. 12. (6) Tiberii confessio, tyrannorum occulta supplicia. 13. (7) Caecilianus, Servaeus, Thermus damnati. delationes crebrae. 14. 15. (8. 9) M. Terentius ob Seiani amicitiam accusatus egregie et libere se defendit et absolvitur. Vistilius se interimit. plures acervatim accusati.

16. (10) L. Pisonis pontificis mors et funus. 17. (11) praefecturae urbis origo et progressus. 18. (12) de Sibyllinis carminibus consultatio. 19. (13) seditio Romae ob gravitatem annonae coercita. 20. (14) equites Romani coniurationis crimine cadunt.

21. (15) Germanici filiae L. Cassio et M. Vinicio locatae. 22. (16) feneratorum accusati. repressae usurae. 23. (17) liberalitate Caesaris fides refecta. 24. 25. (18. 19) iterum accusationes maiestatis et omnes societatis cum Seiano rei necati.

26. (20) C. Caesar Claudiam ducit. Tiberii praesagium de Ser. Galba. 27. (21) ars Chaldaea. Thrasyllus. 28. (22) de fato dubitatio. 29. (23) Asinius Gallus obit. mors Drusi miseranda. 30. (24) in

eum atrox Tiberii animus. 31. (25) Agrippina perit inedia. 32. (26) Cōcœius Nerva sponte vita decedit. 33. (27) mors Aëlii Lamiae, Flacci Pomponii, M. Lepidi.

34. (28) Phoenix in Aegypto visa. super ea narrationes et iudicia. 35. (29) Labeo sponte moritur invidiam amoliente Tiberio. Scaurus damnationem anteit. 36. (30) varii cives urbe exacti. Gaeticus mira fiducia evadit.

37. 38. (31. 32) Parthis Artabanum amoturis et petentibus regem Tiberius dat Phraatem et hoc mortuo Tiridatem destinat. Orienti Vitellium praeficit. 39—41. (33—35) Parthos Armenii invadunt, hos Albani Iberique Thessalis orti iuvant. 42. 43. (36. 37) Artabano in Scythiam profugo Tiridates sufficitur. 44. (38) Romae Tiberius saevire pergit. 45. (39) Poppaeus Sabinus obit.

46. (40) Mors Vibuleni Agrippae, Tigranis, Aemiliae Lepidae. 47. (41) Clitas Cappadoces regi suo rebelles reprimit Trebellius. 48—50. (42—44) Tiridates insigne regium accipit, mox procerum dissidio pellitur Artabano restituto.

51. (45) Grave incendium Romae Tiberius liberalitate mitigat. Macro Caligulam captat. 52. (46) Tiberius de successore deliberat. eius praesagium de Caligula. morbum dissimulat. 53. (47) Acutia damnatur. Albucilla impietatis in principem defertur. 54. (48) Aruntius taedio temporum venas resolvit. 55. (49) Papinius se praecipitat. 56. (50) Tiberius defectionem suam tegit Chariclis medici astu compertam. finit oppressus. 57. (51) eius varii casus et mors.

Gesta haec extremo anno 784 coss. suffectis Trione et Regulo, ac deinceps annis sex Cn. Domitio, M. Furio Camillo; Ser. Sulpicio Galba, L. Cornelio Sulla; Paulo Fabio, L. Vitellio; C. Cestio Gallo, M. Servilio Rufo; Q. Plautio, Sex. Papinio; Cn. Acerronio, C. Pontio coss.

¹ ***** Quattuor et quadraginta orationes super ea re
(v, 6) habitae, ex quis ob metum paucae, plures adsuetudine ***
„ *** mihi pudorem aut Seiano invidiam allaturum censui.
versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum
adsciverat, sibi ignoscit: ceteri quem per dedecora
fovere, cum scelere insectantur; miserius sit ob amicitiam
accusari an amicum accusare, haud discreverim; non crudelitatem,
non clementiam cuiusquam experiar, sed liber et mihi ipsi probatus antibo periculum. vos obtestor ne
memoriam nostri per maerorem quam laeti retineatis, adiciendo me quoque iis qui sine egregio publica mala effugerunt.“
² tunc singulos, ut cuique adsistere, adloqui animus erat, retinens aut dimittens partem diei absumpsit,
(v, 7) multoque adhuc coetu et cunctis intrepidum vultum eius spectantibus, cum superesse tempus novissimis crederent,

p. Ch. 31.

gladio quem sinu abdiderat incubuit. neque Caesar ullis criminibus aut probris defunctum insectatus est, cum in Blaesum multa foedaque incusavisset.

Relatum inde de P. Vitellio et Pomponio Secundo: ³
illum indices arguebant claustra aerarii cui praefectus erat ^(V, 8)
et militarem pecuniam rebus novis obtulisse; huic a Con-
sidio, praetura functo, obiectabatur Aelii Galli amicitia,
qui punito Sciano in hortos Pomponii quasi fidissimum
ad subsidium perfugisset; neque aliud periclitantibus auxilii
quam in fratrum constantia fuit, qui vades exstitere. mox
crebris prolationibus spem ac metum iuxta gravatus Vi-
tellius petito per speciem studiorum scalpro levem ictum
venis intulit vitamque aegritudine animi finivit: at Pom-
ponius, multa morum elegantia et ingenio iustri, dum
adversam fortunam aequus tolerat, Tiberio superstes fuit.

Placitum posthac ut in reliquos Seiani liberos adver-
teretur, vanescente quamquam plebis ira ac plerisque per ⁴
priora supplicia lenitis; igitur portantur in carcerem filius ^(V, 9)
imminentium intellegens, puella adeo nescia ut crebro in-
terrogaret quod ob delictum et quo traheretur; neque factu-
ram ultra, et posse se puerili verberare moneri. tradunt tempo-
ris eius auctores, quia triumvirali supplicio adfici virginem
inauditum habebatur, a carnifice laqueum iuxta compressam;
exim obliis faucibus id aetatis corpora in Gemonias abiecta.

Per idem tempus Asia atque Achaia exterritae sunt ⁵
acri magis quam diuturno rumore, Drusum, Germanici ^(V, 10)
filium, apud Cycladas insulas, mox in continenti visum:
et erat iuvenis haud dispari aetate, quibusdam Caesaris
libertis velut agnitus per dolum; quis comitantibus allicie-
bantur ignari fama nominis; et promptis Graecorum ani-
mis ad nova et mira — quippe elapsam custodiae pergere
ad paternos exercitus Aegyptum aut Syriam invasurum
fingebant simul credebantque — iam iuventutis concursu,
iam publicis studiis frequentabatur, laetus praesentibus et
inanium spe, cum auditum id Poppaeo Sabino; is Mace-
doniae tum intentus Achaiam quoque curabat. igitur quo
vera seu falsa antiret, Toronaeum Thermaeumque sinum
praefestinans, mox Euboeam, Aegaei maris insulam, et
Piraeum Atticae orae, dein Corinthiense litus angustias-

que Isthmi evadit; marique alio Nicopolim, Romanam coloniam, ingressus, ibi demum cognoscit sollertius interrogatum, quisnam foret, dixisse M. Silano genitum, et multis sectatorum dilapsis ascendisse navem tamquam Italiam peteret; scripsitque haec Tiberio; neque nos originem finemve eius rei ultra comperimus.

⁶ Exitu anni diu aucta discordia consulum erupit; nam
(V.11) Trio, facilis capessendis inimiciis et foro exercitus, ut segnem Regulum ad opprimendos Seiani ministros oblique perstrinxerat: ille, nisi lacesseretur, modestiae retinens, non modo rettudit collegam, sed ut noxium coniurationis ad disquisitionem trahebat; multisque patrum orantibus ponerent odia in perniciem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

⁷ CN. DOMITIVS ET CAMILLVS SCRIBONIANVS consulatum inie-
(1) rant, cum Caesar transisset quod Capreas et Surrentum interluit freto Campaniam praelegebat, ambiguus an urbem intraret, seu, quia contra destinaverat, speciem venturi simulans; et saepe in propinqua degressus, aditis iuxta Tiberim hortis saxa rursus et solitudinem maris repetiit, pudore scelerum et libidinum, quibus adeo indomitis exarserat ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret; nec formam tantum et decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines maiorum incitamentum cupidinis habebat, tuncque primum ignota antea vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum ex foeditate loci ac multiplici patientia, praepositique servi, qui *conquirerent*, pertraherent, dona in promptos, minas adversum abnuentes, et si retinerent propinquus aut parens, vim, raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant.

⁸ At Romae principio anni, quasi recens cognitis Liviae
(2) flagitiis ac non pridem etiam punitis, atroces sententiae dicebantur in effigies quoque ac memoriam eius, et bona Seiani ablata aerario ut in fiscum cogerentur, tamquam referret. Scipiones haec et Silani et Cassii isdem ferme aut paulum immutatis verbis, adseveratione multa censebant, cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur: nam principem orabat deligere senatores, ex quis viginti

p. Ch. 32.

sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem eius defenderent; crediderat nimirum epistulae subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, ut tutus a Capreis urbem peteret. Tiberius tamen, ludibria seriis permiscere solitus, egit gratis benivolentiae patrum: sed quos omitti posse, quos deligi? semperne eosdem an subinde alios? et honoribus perfunctos an iuvenes, privatos an e magistratibus? quam deinde speciem fore summentium in limine curiae gladios? neque sibi vitam tanti, si armis tegenda foret. haec adversus Togonium verbis moderans, neque *ut* ultra abolitionem sententiae suaderet: at Iunium Gallionem, qui censuerat ut praetoriani actis stipendiis⁹ ius apiscerentur in quattuordecim ordinibus sedendi, violenter increpuit, velut coram rogitans quid illi cum militibus? quos neque dicta imperatoris neque praemia nisi ab imperatore accipere par esset; repperisse prorsus quod divus Augustus non providerit: an potius discordiam et seditionem a satellite Seiani quaesitam, qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiae morem propelleret? hoc pretium Gallio meditatae adulationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus; et quia incusabatur facile toleraturus exilium delecta Lesbo, insula nobili et amoena, retrahitur in urbem custoditurque domibus magistratuum. isdem litteris Caesar Sextium Paconianum praetorium percudit magno patrum gaudio, audacem, maleficum, omnium secreta rimantem delectumque ab Seiano cuius ope dolus C. Caesari pararetur. quod postquam patefactum, prorupere concepta pridem odia, et summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret. ut vero Latinium¹⁰ Latiarem ingressus est, accusator ac reus iuxta⁽⁴⁾ invisigratissimum spectaculum praebebantur. Latiaris, ut retuli, praecipuus olim circumveniendi Titii Sabini et tunc luendae poenae primus fuit. inter quae Haterius Agrippa consules anni prioris invasit, cur mutua accusatione intenta nunc silerent: metum prorsus et noxiam conscientiae pro foedere habere; at non patribus reticenda quae audivissent. Regulus manere tempus ultionis, seque coram principe executurum; Trio aemulationem inter collegas et si qua discordes icissent, melius oblitterari respondit;

urgente Agrippa Sanguinius Maximus, e consularibus, oravit senatum ne curas imperatoris conquisitis insuper acerbitatibus auferent: sufficere ipsum statuendis remediis. sic Regulo salus et Trioni dilatio exitii quaesita: Haterius invisior fuit, quia somno aut libidinis vigiliis marcidus et ob segnitiam quamvis crudelem principem non metuens inlustribus viris perniciem inter ganeam ac stupra medietabatur.

11 Exim Cotta Messalinus, saevissimae cuiusque sententiae auctor eoque inveterata invidia, ubi primum facultas data, arguitur pleraque: Gaiam Caesarem quasi incertae virilitatis, et cum die natali Augustae inter sacerdotes epularetur, novendialem eam cenam dixisse; querensque de potentia M. Lepidi ac L. Arruntii, cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, addidisse: „illos quidem senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus.“ neque cuncta a primoribus civitatis revincebatur, iisque instantibus ad imperatorem provocavit: nec multo post litterae adferuntur, quibus in modum defensionis, repetito inter se atque Cottam amicitiae principio crebrisque eius officiis commemoratis, ne verba prave detorta neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur postulavit.

12 Insigne visum est earum Caesaris litterarum initium; nam his verbis exorsus est: „quid scribam vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam aut quid omnino non scribam hoc tempore, di me deaque peius perdant quam perire me cotidie sentio, si scio“: adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus, quando, ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur: quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur.

13 Tum facta patribus potestate statuendi de Caeciliano senatore, qui plurima adversum Cottam prompserat, placitum eandem poenam inrogari quam in Aruseium et Sanguinium, accusatores L. Arruntii; quo non aliud honorificentius Cottae evenit, qui nobilis quidem, sed egens ob

p. Ch. 32.

luxum, per flagitia infamis, sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultionis aequabatur.

Q. Servaeus posthac et Minucius Thermus inducti, Servaeus praetura functus et quondam Germanici comes, Minucius equestri loco, modeste habita Seiani amicitia; unde illis maior miseratio. contra Tiberius praecipuos ad scelera increpans, admonuit C. Cestium patrem dicere senatui quae sibi scripsisset; suscepitque Cestius accusationem. quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum; neque discernere alienos a coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens aut vetustate obscurum: perinde in foro, in convivio quaque de re locuti incusabantur, ut quis praevenire et reum destinare properat, pars ad subsidium sui, plures infecti quasi validudine et contactu. sed Minucius et Servaeus damnati indicibus accessere, tractique sunt in casum eundem Iulius Africanus e Santonis, Gallica civitate, Seius Quadratus: originem non repperi; neque sum ignarus a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et poenas; dum copia fatiscunt aut quae ipsis nimia et maesta fuerant, ne pari taedio lecturos adficerent verentur: nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.

Nam ea tempestate qua Seiani amicitiam ceteri falso¹⁴ exuerant, ausus est eques Romanus, M. Terentius, ob id⁽⁹⁾ reus, amplecti, ad hunc modum apud senatum ordiendo: „Fortunae quidem meae fortasse minus expediat adgnoscerere crimen quam abnuere; sed utcumque casura res est, fatebor et fuisse me Seiano amicum, et ut essem expectasse, et postquam adeptus eram laetatum. videram collegam patris regendis praetoriis cohortibus, mox urbis et militiae munia simul obeuntem; illius propinqui et adfines honoribus augebantur; ut quisque Seiano intimus, ita ad Caesaris amicitiam validus; contra quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur. nec quemquam exemplo adsumo: cunctos qui novissimi consilii expertes fuimus, meo unius discrimine defendam: non enim Seianum Vulsiniensem, sed Claudiae et Iuliae domus partem, quas adfinitate occupaverat, tuum, Caesar, generum; tui consulatus

socium, tua officia in re publica capessentem colebamus. non est nostrum aestimare quem supra ceteros et quibus de causis extollas: tibi summum rerum iudicium di dedere, nobis obsequii gloria relicta est. spectamus porro quae coram habentur, cui ex te opes, honores, quis plurima iuvandi nocendive potentia; quae Seiano fuisse nemo negaverit: abditos principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps; nec ideo adsequare. ne, patres conscripti, ultimum Seiani diem, sed sedecim annos cogitaveritis: etiam Satrium atque Pomponium venerabamur; libertis quoque ac ianitoribus eius notescere pro magnifico accipiebatur. quid ergo? indistincta haec defensio et promissa dabitur? immo iustis terminis dividatur: insidiae in rem publicam, consilia caedis adversum imperatorem puniantur: de amicitia et officiis idem finis et te, Caesar, et nos absolverit.“

15 Constantia orationis, et quia repertus erat qui efferret
(9) quae omnes animo agitabant, eo usque potuere ut accusatores eius, additis quae ante deliquerant, exilio aut morte multarentur.

Secntae dehinc Tiberii litterae in Sex. Vistilium praetorium, quem Druso fratri percarum in cohortem suam transtulerat: causa offensionis Vistilio fuit, seu composuerat quaedam in C. Caesarem ut impudicum, sive ficto habita fides. atque ob id convictu principis prohibitus cum senili manu ferrum temtavisset, obligat venas; precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit.

Acervatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio maiestatis postulantur, et Vinicianus Pollioni patri adiciebatur, clari genus et quidam summis honoribus; contremuerantque patres — nam quotus quisque adfinitatis aut amicitiae tot inlustrium virorum expers erat? — ni Celsus, urbanae cohortis tribunus, tum inter indices, Appium et Calvisium discrimini emisisset. Caesar Pollionis ac Viniciani Scaurique causam, ut ipse cum senatu nosceret, distulit, datis quibusdam in Scaurum tristibus notis.

16 Ne feminae quidem exsortes periculi: quia occupandae
(10) rei publicae argui non poterant, ob lacrimas inculpabantur;

p. Ch. 32.

necataque est anus Vitia, Fufii Gemini mater, quod filii necem flevisset.

Haec apud senatum. nec secus apud principem Vesularius Flaccus ac Iulius Marinus ad mortem aguntur, e vetustissimis familiarium, Rhodum secuti et apud Capreas individui, Vesularius insidiarum in Libonem internuntius: Marino particeps Seianus Curtium Atticum oppreserat; quo laetius acceptum sua exempla in consultores recidissee.

Per idem tempus L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit, nullius servilis sententiae sponte auctor, et quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans; patrem ei censorium fuisse memoravi; aetas ad octogesimum annum processit; decus triumphale in Thraecia meruerat; sed praecipua ex eo gloria, quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi gravio-rem mire temperavit.

Namque antea profectis domo regibus ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur qui ius redderet ac subitis mederetur; feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium inpositos. dein consules mandabant, duratque simulacrum, quotiens ob ferias Latinas praeficitur qui consulare munus usurpet. ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit; mox rerum potitus ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia sumpsit e consularibus qui coeceret servitia et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat: primusque Messala Corvinus eam potestatem et paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi; tum Taurus Statilius, quamquam pro-vecta aetate, egregie toleravit; dein Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto senatus celebratus est.

Relatum inde ad patres a Quintiliano, tribuno plebei, de libro Sibyllae, quem Caninius Gallus quindecimvirum recipi inter ceteros eiusdem vatis et ea de re senatus consultum postulaverat. quo per discessionem facto misit lit-

teras Caesar, modice tribunum increpans, ignarum antiqui moris ob iuventam: Gallo exprobrabat quod scientiae caerimoniarumque vetus incerto auctore, ante sententiam collegii, non, ut adsolet, lecto per magistros aestimatoque carmine, apud infrequentem senatum egisset. simul commonefecit, quia multa vana sub nomine celebri vulgabatur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad praetorem urbanum deferrentur, neque habere privatim liceret. quod a maioribus quoque decretum erat post exustum [sociali bello] Capitolium, quaesitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias carminibus Sibyllae, una seu plures fuere, datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subicitur.

¹⁹
⁽¹³⁾ Isdem consulibus gravitate annonae iuxta seditionem ventum, multaque et plures per dies in theatro licentius efflagitata quam solitum adversum imperatorem. quis commotus incusavit magistratus patresque quod non publica auctoritate populum coercuissent, addiditque quibus ex provinciis et quanto maiorem quam Augustus rei frumentariae copiam advectaret. ita castigandae plebi compositum senatus consultum prisca severitate, neque segnius consules edixere. silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur.

²⁰
⁽¹⁴⁾ Fine anni Geminius, Celsus, Pompeius, equites Romani, cecidere coniurationis crimine; ex quis Geminius prodigientia opum ac mollitia vitae amicus Seiano, nihil ad serium. et Iulius Celsus tribunus in vinclis laxatam catenam et circumdatam in diversum tendens suam ipse cervicem perfregit. at Rubrio Fabato, tamquam desperatis rebus Romanis Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additi: sane is repertus apud fretum Siciliae retractusque per centurionem nullas probabiles causas longinquae peregrinationis adferebat; mansit tamen incolumis, oblivione magis quam clementia.

²¹
⁽¹⁵⁾ SER. GALBA, L. SULLA consulibus diu quaesito quos neptibus suis maritos destinaret Caesar, postquam instabat virginum aetas, L. Cassium, M. Vinicium legit. Vinicio oppidanum genus: Calibus ortus, patre atque avo

p. Ch. 33.

consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae. Cassius, plebeii Romae generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus, facilitate saepius quam industria commendabatur: huic Drusillam, Vinicio Iuliam Germanico genitas coniungit superque ea re senatui scribit, levi cum honore iuvenum. dein redditis absentiae causis admodum vagis flexit ad graviora et offensiones ob rem publicam coeptas, utque Macro praefectus tribunorumque et centurionum pauci secum introirent, quotiens curiam ingrederetur, petivit: factoque large et sine praescriptione generis aut numeri senatus consulto ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium numquam adiit, deviis plerumque itineribus ambiens patriam et declinans.

Interea magna vis accusatorum in eos inrupit, qui pecunias faenore auctitabant, adversum legem dictatoris Caesaris, qua de modo credendi possidendique intra Italiam cavetur, omissam olim, quia privato usui bonum publicum postponitur. sane vetus urbi faenebre malum et seditio-num discordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus: nam primo duodecim tabulis sanctum ne quis unciario faenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur; dein rogatione tribunicia ad semuncias redactum; postremo vetita versura; multisque plebis scitis obviam itum fraudibus, quae totiens repressae miras per artes rursum oriebantur. sed tum Gracchus praetor, cui ea quaestio venerat, multitudine periclitantium subactus rettulit ad senatum, trepidique patres — neque enim quisquam tali culpa vacuus — veniam a principe petivere, et concedente annus in posterum sexque menses dati, quis secundum iussa legis rationes familiares quisque componerent. hinc inopia rei nummariae, commoto simul omnium aere alieno, et quia tot damnatis bonisque eorum divenditis signatum argentum fisco vel aerario attinebatur. ad hoc senatus praescripserat, duas quisque faenoris partes in agris per Italiam conlocaret; sed creditores in solidum appellabant, nec decorum appellatis minuere fidem: ita primo concursatio et preces; dein strepere praetoris tribunal; eaque quae re-

medio quaesita, venditio et emptio, in contrarium mutari, quia faeneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obaeratio, aegrius distrahebant; multique fortunis proolvebantur, eversio rei familiaris dignitatem ac famam praecipue dabat, donec tulit opem Caesar disposito per mensas milies sestertio factaque mutuandi copia sine usuris per triennium si debitor populo in duplum praediis cavisset. sic reflecta fides, et paulatim privati quoque creditores reperti; neque emptio agrorum exercita ad formam senatus consulti, acerbis, ut ferme talia, initiis, incu-
rioso fine.

²⁴
⁽¹⁸⁾ Dein redeunt priores metus postulato maiestatis Considio Proculo; qui nullo pavore diem natalem celebrans raptus in curiam pariterque damnatus interfectusque, et sorori eius Sanciae aqua atque igni interdictum, accusante Q. Pomponio: is moribus iniquis haec et huiuscemodi a se factitari praetendebat, ut parta apud principem gratia periculis Pomponii Secundi fratris mederetur. etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur, cuius maritum Argolicum, socerum Laconem, e primoribus Achaeorum, Caesar adfixerat; pater quoque, illustris eques Romanus, ac frater praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere: datum erat crimini quod Theophanen Mitylanaeum, proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat:

²⁵
⁽¹⁹⁾ Post quos Sex. Marius, Hispaniarum ditissimus, defertur incestasse filiam et saxo Tarpeio deicitur; ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniae malo vertisse, aurarias eius, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit. irritatusque suppliciiis cunctos, qui carcere attingebantur accusati societatis cum Seiano, necari iubet: iacuit immensa strages, omnis sexus, omnis aetas, illustres, ignobiles, dispersi aut aggerati; neque propinquis aut amicis adsistere, inlacrimare, ne visere quidem diutius dabatur; sed circumiecti custodes et in maerorem cuiusque intenti corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur, ubi fluitantia aut ripis adpulsa non

p. Ch. 33.

cremare quisquam, non contingere: interciderat sortis humanae commercium vi metus, quantumque saevitia glisceret, miseratio arcebatur.

Sub idem tempus C. Caesar, discedenti Capreas avo comes, Claudiam, M. Silani filiam, coniugio accepit, immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exitio fratrum rupta voce; qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis; unde mox scitum Passieni oratoris dictum percerebruit, neque meliorem umquam servum neque deteriorem dominum fuisse.

Non omiserim praesagium Tiberii de Servio Galba tum consule; quem accitum et diversis sermonibus peremptatum postremo Graecis verbis in hanc sententiam adlocutus [*est*]: „et tu, Galba, quandoque degustabis imperium,“ seram ac brevem potentiam significans, scientia Chaldaeorum artis, cuius apiscendae otium apud Rhodum, magistrum Thrasillum habuit, peritiam eius hoc modo expertus. quotiens super tali negotio consultaret, edita domus parte ac liberti unius conscientia utebatur; is litterarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta — nam saxis domus imminet — praeibat eum cuius artem experiri Tiberius statuisset, et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subiectum mare praecipitabat, ne index arcani existeret. igitur Thrasullus isdem rupibus inductus postquam percontantem commoverat, imperium ipsi et futura solerter patefaciens, interrogatur an suam quoque genitalem horam comperisset; quem tum annum, qualem diem haberet. ille positus siderum ac spatia dimensus, haerere primo, dein pavescere, et quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis et metus, postremo exclamat ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare: tum complexus eum Tiberius praescium periculorum et incolumem fere gratatur; quaeque dixerat, oracli vice accipiens, inter intimos amicorum tenet.

Sed mihi haec ac talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur; quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum aemulantur, diversos reperias, ac multis insitam

opinionem non initia nostri, non finem, non denique homines dis curae; ideo creberrime tristitia in bonos, laeta apud deteriores esse; contra alii fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium causarum; ac tamen electionem vitae nobis relinquunt, quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem; neque mala vel bona quae vulgus putet: multos qui conflictari adversis videantur, beatos, at plerosque quamquam magnas per opes miserrimos, si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. ceterum plurimis mortalium non eximitur quin primo cuiusque ortu ventura destinentur; sed quaedam secus, quam dicta sint, cadere, fallaciis ignara dicentium: ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit. quippe a filio eiusdem Thrasulli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim.

²⁹ Isdem consulibus Asinū Galli mors vulgatur, quem ⁽²⁸⁾ egestate cibi peremptum haud dubium, sponte vel necessitate, incertum habebatur; consultusque Caesar an sepeliri sineret, non erubuit permittere ultroque incusare casus qui reum abstulissent, antequam coram convinceretur: scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi iudicium consulari seni, tot consularium parenti. Drusus deinde extinguitur, cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinisset. tradidere quidam praescriptum fuisse Macroni, si arma ab Seiano temptarentur, extractum custodiae iuvenem — nam in palatio attingebatur — ducem populo imponere. mox quia rumor incedebat fore ut nuru ac nepoti conciliaretur Caesar, saevitiam quam paenitentiam maluit. quin et invectus in ³⁰ defunctum probra corporis, exitiabilem in suos, infensum ⁽²⁴⁾ rei publicae animum obiecit recitarique factorum dictorumque eius descripta per dies iussit; quo non aliud atrocius visum: adstitisse tot per annos qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent, et potuisse avum audire, legere, in publicum promere, vix fides, nisi quod Attii centurionis et Didymi liberti epistulae servorum nomina praeferebant, ut quis egredientem cubiculo Drusum

p. Ch. 33.

pulsaverat, exterruerat; etiam sua verba centurio saevitiae plena, tamquam egregium, vocesque deficientis adiecerat, quis primo [alienationem mentis simulans] quasi per dementiam funesta Tiberio, mox, ubi exspes vitae fuit, medietas compositasque diras imprecabatur, ut quemadmodum nurum filiumque fratris et nepotes domumque omnem caedibus complevisset, ita poenas nomini generique maiorum et posteris exsolveret. obturbabant quidem patres specie detestandi, sed penetrabat pavor et admiratio, callidum olim et tegendis sceleribus obscurum huc confidentiae venisse, ut tamquam dimotis parietibus ostenderet nepotem sub verbere centurionis, inter servorum ictus, extrema vitae alimenta frustra orantem.

Nondum is dolor exoleverat, cum de Agrippina auditum, quam interfecto Seiano spe sustentatam provixisse reor, et postquam nihil de saevitia remittebatur, voluntate extinctam, nisi si negatis alimentis adsimulatus est finis, qui videretur sponte sumptus: enimvero Tiberius foedissimis criminationibus exarsit, impudicitiam arguens et Asinium Gallum adulterum, eiusque morte ad taedium vitae compulsam; sed Agrippina aequi inpatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat. eodem die defunctam, quo biennio ante Seianus poenas luisset, memoriaeque id prodendum addidit Caesar, iactavitque quod non laqueo strangulata neque in Gemonias proiecta foret. actae ob id grates decretumque ut quintumdecimum kal. Novembris, utriusque necis die, per omnis annos donum Iovi sacraretur.

Haud multo post Cocceius Nerva, continuus principis, omnis divini humanique iuris sciens, integro statu, corpore inlaeso, moriendi consilium cepit; quod ut Tiberio cognitum, adsidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo grave conscientiae, grave famae suae, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret: aversatus sermonem Nerva abstinentiam cibi coniunxit. ferebant gnari cogitationum eius, quanto propius mala rei publicae viseret, ira et metu, dum integer, dum intemptatus, honestum finem voluisse.

Ceterum Agrippinae perniciēs, quod vix credibile, Plan-

cinam traxit. nupta olim Cn. Pisoni et palam laeta morte Germanici, cum Piso caderet, precibus Augustae nec minus inimicitii Agrippinae defensa erat: ut odium et gratia desiere, ius valuit, petitaque criminibus haud ignotis sua manu sera magis quam inmerita supplicia persolvit.

³³ Tot luctibus funesta civitate pars maeroris fuit quod
⁽²⁷⁾ Iulia, Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cuius avum Tiburtem, equitem Romanum plerique meminerant.

Extremo anni mors Aelii Lamiae funere censorio celebrata, qui administrandae Syriae imagine tandem exsolutus urbi praefuerat. genus illi decorum, vivida senectus; et non permissa provincia dignationem addiderat. exin Flacco Pomponio, Syriae propraetore, defuncto recitantur Caesaris litterae, quis incusabat egregium quemque et regendis exercitibus idoneum abnuere id munus, seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur, oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri. obiit eodem anno et M. Lepidus, de cuius moderatione atque sapientia in prioribus libris satis conlocavi; neque nobilitas diutius demonstranda est: quippe Aemilium genus fecundum bonorum civium, et qui eadem familia corruptis moribus, inlustri tamen fortuna egere.

³⁴ PAULO FABIO, L. VITELLIO consulibus post longum saeculorum ambitum avis phoenix in Aegyptum venit praebuitque materiem doctissimis indigenarum et Graecorum multa super eo miraculo disserendi: de quibus congruunt et plura ambigua sed cognitu non absurda promere libet. sacrum Soli id animal et ore ac distinctu pinnarum a ceteris avibus diversum consentiunt qui formam eius effinxerunt; de numero annorum varia traduntur: maxime vulgatum quingentorum spatium; sunt qui adseverent mille quadringentos sexaginta unum interici, prioresque alites Sesoside primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolemaeo qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem cui Heliopolis nomen advolavisse, multo ceterarum volucrum comitatu novam faciem mirantium. sed antiquitas quidem obscura: inter Ptolemaeum ac Tiberium minus

p. Ch. 34.

ducenti quinquaginta anni fuerunt; unde nonnulli falsum hunc phoenicem neque Arabum e terris ereditere, nihilque usurpavisse ex his quae vetus memoria firmavit: confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum eique vim genitalem adfundere, ex qua fetum oriri; et primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temere, sed sublato murræ pondere temptatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus inque Solis aram perferre atque adolere. haec incerta et fabulosis aucta: ceterum aspici aliquando in Aegypto eam volucrem non ambigitur.

At Romae caede continua Pomponius Labeo, quem praefuisse Moesiae rettuli, per abruptas venas sanguinem effudit; aemulataque est coniunx Paxaea; nam promptas eiusmodi mortes metus carnificis faciebat, et quia damnati publicatis bonis sepultura prohibebantur, eorum qui de se statuebant humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi. sed Caesar missis ad senatum litteris disseruit morem fuisse maioribus, quotiens dirimerent amicitias, interdicere domo eumque finem gratiae ponere: id se repetivisse in Labeone, atque illum, quia male administratae provinciae aliorumque criminum urgebatur, culpam invidia velavisse, frustra conterrita uxore, quam etsi nocentem, periculi tamen expertem fuisse. Mamercus dein Scaurus rursus postulatur, insignis nobilitate et orandis causis, vita probrosus; nihil hunc amicitia Seiani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium, qui easdem artes occultius exercebat; detuleratque argumentum tragoediae a Scauro scriptae, additis versibus qui in Tiberium flecterentur: verum ab Servilio et Cornelio accusatoribus adulterium Liviae, magorum sacra obiectabantur. Scaurus, ut dignum veteribus Aemiliis, damnationem anteit, hortante Sextia uxore, quae incitamentum mortis et particeps fuit.

Ac tamen accusatores, si facultas incideret, poenis adficiabantur, ut Servilius Corneliusque perditio Scauro famosi, quia pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperant, in insulas interdicto igni atque aqua demoti sunt. et Abudius Ruso, functus aedilitate, dum Lentulo

Gaetulico, sub quo legioni praefuerat, periculum facessit, quod is Seiani filium generum destinasset, ultro damnatur atque urbe exigitur. Gaetulicus ea tempestate superioris Germaniae legiones curabat mirumque amorem adsecutus erat; effusae clementiae, modicus severitate et proximo quoque exercitui per L. Apronium socerum non ingratus; unde fama constans ausum mittere ad Caesarem litteras, adfinitatem sibi cum Seiano haud sponte, sed consilio Tiberii coeptam; perinde se quam Tiberium falli potuisse, neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum: sibi fidem integram et, si nullis insidiis peteretur, mansuram; successorem non aliter quam indicium mortis accepturum: firmarent velut foedus, quo princeps ceterarum rerum poteretur, ipse provinciam retineret. haec, mira quamquam, fidem ex eo trahebant, quod unus omnium Seiani adfinium incolumis multaue gratia mansit, reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam aetatem, magisque fama quam vi stare res suas.

³⁷ C. CESTIO, M. SERVILIO consulibus nobiles Parthi in
⁽³¹⁾ urbem venire, ignaro rege Artabano: is metu Germanici fidus Romanis, aequabilis in suos, mox superbiam in nos, saevitiam in populares sumpsit, fretus bellis, quae secunda adversum circumiectas nationes exercuerat, et senectutem Tiberii ut inermem despiciens avidusque Armeniae, cui defuncto rege Artaxia Arsacen, liberorum suorum veterimum, inposuit, addita contumelia et missis qui gazam a Vonone relictam in Syria Ciliciaque reposcerent; simul veteres Persarum ac Macedonum terminos, seque invasurum possessa Cyro et post Alexandro per vaniloquentiam ac minas iaciebat. sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimis auctor fuit Sinnaces, insigni familia ac perinde opibus, et proximus huic Abdus, ademptae virilitatis (non despectum id apud barbaros, ultroque potentiam habet): ii adscitis et aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summae rei inponere poterant, interfectis ab Artabano plerisque aut nondum adultis, Phraaten, regis Phraatis filium, Roma poscebant: nomine tantum et auctore opus, ut sponte Caesaris, ut genus Arsacis ripam apud Euphratis cerneretur.

p. Ch. 34 35.

Cupitum id Tiberio: ornat Phraaten accingitque patrum ad fastigium, destinata retinens, consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. interea cognitis insidiis Artabanus tardari metu, modo cupidine vindictae inardescere: et barbaris cunctatio servilis, statim exequi regum videtur: valuit tamen utilitas, ut Abdum specie amicitiae vocatum ad epulas lento veneno inligaret, Sinacen dissimulatione ac donis, simul per negotia moraretur. et Phraates apud Syriam dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum sumit, patriis moribus impar morbo absumptus est. sed non Tiberius omisit incepta: Tiridatem sanguinis eiusdem aemulum Artabano, recipierandaeque Armeniae Hiberum Mithridaten deligit conciliatque fratri Pharasmani, qui gentile imperium obtinebat; et cunctis quae apud Orientem parabantur L. Vitellium praefecit. eo de homine haud sum ignarus sinistram in urbe famam, pleraque foeda memorari; ceterum regendis provinciis prisca virtute egit: unde regressus et formidine C. Caesaris, familiaritate Claudii turpe in servitium mutatus exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur, cesseruntque prima postremis, et bona iuventae senectus flagitiosa oblitteravit.

At ex regulis prior Mithridates Pharasmanem perpulit dolo et vi conatus suos iuvare, repertique corruptores ministros Arsacis multo auro ad scelus cogunt; simul Hiberi magnis copiis Armeniam inrumpunt et urbe Artaxata potiuntur. quae postquam Artabano cognita, filium Orodem ultorem parat; dat Parthorum copias, mittit qui auxilia mercede facerent; contra Pharasmanes adiungere Albanos, accire Sarmatas, quorum sceptuchi utrimque donis acceptis more gentico diversa induere. sed Hiberi locorum potentes Caspia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt. at qui Parthis adventabant, facile arcebantur, cum alios incessus hostis clausisset, unum reliquum, mare inter et extremos Albanorum montes, aestas impediret, quia flatibus etesiarum implentur vada: hibernus auster revolvit fluctus, pulsoque introrsus freto brevia litorum nudantur. interim Orodem sociorum inopem auctus auxilio Pharasmanes vocare ad pugnam et detrectantem incessere, ad-

38

(32)

39

(33)

40

(34)

equitare castris, infensare pabula; ac saepe in modum obsidii stationibus cingebat, donec Parthi contumeliarum insolentes circumsisterent regem, poscerent proelium. atque illis sola in equite vis: Pharasmanes et pedite valebat; nam Hiberi Albanique saltuosos locos incolentes duritiae patientiaeque magis insuevere, feruntque se Thessalis ortos, qua tempestate Iaso post avectam Medeam genitosque ex ea liberos inanem mox regiam Aeetae vacuosque Colchos repetivit; multaque de nomine eius et oraculum Phixi celebrant; nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phixum, sive id animal seu navis insigne fuit. ceterum directa utrimque acie Partho imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum contraque ignobilem Hiberum mercenario milite disserebat; Pharasmanes integros semet a Parthico dominatu, quanto maiora peterent, plus decoris victores aut, si terga darent, flagitii atque periculi laturos; simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina; hinc viros, inde praedam ostendere.

⁴¹
⁽³⁵⁾ enimvero apud Sarmatas non una vox ducis: se quisque stimulant ne pugnam per sagittas sinerent: impetu et comminus praeveniendum. variae hinc bellantium species, cum Parthus sequi vel fugere pari arte suetus distraheret turmas, spatium ictibus quaerere, Sarmatae omissa arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent; modo equestris proelii more frontis et tergi vices, aliquando, ut conserata acies, corporibus et pulsu armorum pellerent, pellerentur; iamque et Albani Hiberique prensare, detrudere, ancipitem pugnam hostibus facere, quos super equites et propioribus vulneribus pedites adflictabant. inter quae Pharasmanes Orodesque, dum strenuis adsunt aut dubitantibus subveniunt, conspicui eoque gnari, clamore, telis, equis concurrunt, instantius Pharasmanes: nam vulnus per galeam adegit; nec iterare valuit, praelatus equo et fortissimis satellitum protegentibus saucium; fama tamen occisi falso credita exterruit Parthos victoriamque concessere.

⁴²
⁽³⁶⁾ Mox Artabanus tota mole regni ultum iit. peritia locorum ab Hiberis melius pugnatum; nec ideo abscedebat, ni contractis legionibus Vitellius et subdito rumore, tam-

p. Ch. 35.

quam Mesopotamiam invasurus, metum Romani belli fecisset. tum omissa Armenia versaeque Artabani res, inlicente Vitellio, desererent regem saevum in pace et adversis proeliorum exitiosum; igitur Sinnaces, quem antea infensum memoravi, patrem Abdagaesen aliosque oculos consilii et tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit, affluentibus paulatim qui metu magis quam benivolentia subiecti repertis auctoribus sustulerant animum. nec iam aliud Artabano reliquum quam si qui externorum corpori custodes aderant, suis quisque sedibus extorres, quis neque boni intellectus neque mali cura, sed mercede aluntur ministri sceleribus: his adsumptis in longinqua et contermina Scythiae fugam maturavit, spe auxilii, quia Hyrcanis Carmaniisque per adfinitatem in-nexus erat: atque interim posse Parthos absentium aequos, praesentibus mobiles, ad paenitentiam mutari.

At Vitellius profugo Artabano et flexis ad novum re-⁴³
gem popularium animis, hortatus Tiridaten parata capes-⁽³⁷⁾
sere, robur legionum sociorumque ripam ad Euphratis ducit. sacrificantibus, cum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando anni adornasset, nuntiavere accolae Euphraten nulla imbrum vi sponte et immensum attolli, simul albensis spumis in modum diadematis sinuare orbes, auspiciū prosperi transgressus; quidam callidius interpretabantur initia conatus secunda neque diuturna, quia eorum quae terra caelove portenderentur certior fides, fluminum instabilis natura simul ostenderet omina raperetque. sed ponte navibus effecto tramissoque exercitu primus Ornospades multis equitum milibus in castra venit, exul quondam et Tiberio, cum Delmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator eoque civitate Romana donatus, mox repetita amicitia regis multo apud eum honore, praefectus campis qui Euphrate et Tigre, inclutis amnibus, circumflui Mesopotamiae nomen acceperunt. neque multo post Sinnaces auget copias, et columnen partium Abdagaeses gazam et paratus regios adicit. Vitellius ostentasse Romana arma satis ratus monet Tiridaten primoresque, hunc, Phraatis avi et altoris Caesaris quae-que utrobique pulchra meminerit, illos, obsequium in regem,

reverentiam in nos, decus quisque suum et fidem retinent. exim cum legionibus in Syriam remeavit.

⁴⁴
⁽³⁸⁾ Quae duabus aestatibus gesta coniunxi, quo requiesceret animus a domesticis malis; non enim Tiberium, quamquam triennio post caedem Seiani, quae ceteros mollire solent, tempus, preces, satias mitigabant, quin incerta vel abolita pro gravissimis et recentibus puniret. eo metu Fulcinus Trio, ingruentis accusatores haud perpessus, supremis tabulis multa et atrocia in Macronem ac praecipuos libertorum Caesaris composuit, ipsi fluxam senio mentem et continuo abscessu velut exilium obiectando, quae ab heredibus occultata recitari Tiberius iussit, patientiam libertatis alienae ostentans et contemptor suae infamiae, an scelerum Seiani diu nescius, mox quoquo modo dicta vulgari malebat veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri. isdem diebus Granius Marcianus senator a C. Graccho maiestatis postulatus vim vitae suae attulit, Tariusque Gratianus, praetura functus, lege eadem extremum ad supplicium damnatus.

⁴⁵
⁽³⁹⁾ Nec dispare Trebellieni Rufi et Sextii Paconiani exitus: nam Trebellienus sua manu cecidit, Paconianus in carcere ob carmina illic in principem factitata strangulatus est. haec Tiberius non maritus olim, divisus neque per longinquos nuntios accipiebat, sed urbem iuxta, eodem ut die vel noctis interiectu litteris consulum rescriberet, quasi aspiciens undantem per domos sanguinem aut manus carnificum.

Fine anni Poppaeus Sabinus concessit vita, modicus originis, principum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus maximisque provinciis per quattuor et viginti annos inpositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis neque supra erat.

⁴⁶
⁽⁴⁰⁾ QUINTUS PLAUTIUS, SEX. PAPINIUS consules sequuntur. eo anno neque quod L. Aruseius *** morte adfecti forent, adsuetudine malorum ut atrox advertebatur, sed exterruit quod Vibulenus Agrippa, eques Romanus, cum perorassent accusatores, in ipsa curia depromptum sinu venenum hausit, prolapsusque ac moribundus festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est, faucesque iam exanimis

p. Ch. 36.

laqueo vexatae. ne Tigranes quidem, Armenia quondam potitus ac tunc reus, nomine regio supplicia civium effugit. at C. Galba consularis et duo Blaesi voluntario exitu cecidere, Galba tristibus Caesaris litteris provinciam sortiri prohibitus: Blaesis sacerdotia integra eorum domo destinata convulsa distulerat, tunc ut vacua contulit in alios, quod signum mortis intellexere et exsecuti sunt. et Aemilia Lepida, quam iuveni Druso nuptam rettuli, crebris criminibus maritum insectata, quamquam instabilis, tamen impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus: post a delatoribus corripitur ob servum adulterum; nec dubitabatur de flagitio: ergo omissa defensione finem vitae sibi posuit.

Per idem tempus Clitarum natio Cappadoci Archelao ⁴⁷ subiecta, quia nostrum in modum deferrè census, pati tributa adigebatur, in iuga Tauri montis abscessit locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur, donec M. Trebellius legatus, a Vitellio, praeside Syriae, cum quattuor milibus legionariorum et delectis auxiliis missus, duos collis quos barbari insederant — minori Cadra, alteri Davara nomen est — operibus circumdedit et erumpere ausos ferro, ceteros siti ad deditionem coegit.

At Tiridates volens Parthis Nicephorium et Anthemusiada ceterasque urbes, quae Macedonibus sitae Graeca vocabula usurpant, Halumque et Artemitam, Parthica oppida, recepit, certantibus gaudio qui Artabanum Scythas inter eductum ob saevitiam exsecrati come Tiridatis ingenium Romanas per artes sperabant. plurimum adulationis Seleucenses induere, civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens; ⁴⁸ trecenti opibus aut sapientia delecti, ut senatus; sua populo vis; et quotiens concordēs agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere, dum sibi quisque contra aemulos subsidium vocant, accitus in partem adversum omnes valescit. id nuper acciderat Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex suo usu: nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est. tum adventantem Tiridaten extollunt veterum regum honoribus et quos recens aetas largius invenit; simul probra

in Artabanum fundebant, materna origine Arsaciden, cetera degenerem. Tiridates rem Seleucensem populo permittit. mox consultans quonam die sollempnia regni capesseret, litteras Phraatis et Hieronis, qui validissimas praefecturas obtinebant, accipit, brevem moram precantium; placitumque opperiri viros praepollentis, atque interim Ctesiphon, sedes imperii, petita: sed ubi diem ex die prolatabant, multis coram et adprobantibus Surena patrio more Tiridaten insigni regio evinxit. ac si statim interiora ceterasque nationes petivisset, oppressa cunctantium dubitatio et omnes in unum cedebant: adsidendo castellum, in quod pecuniam et paelices Artabanus contulerat, dedit spatium exuendi pacta; nam Phraates et Hiero et si qui alii delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant, pars metu, quidam invidia in Abdagaesen, qui tum aula et novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere; isque in Hyrcanis repertus est, inlue obsitus et alimenta arcu expediens. ac primo, tamquam dolus pararetur, terribus, ubi data fides reddendae dominationi venisse, adlevatur animum et quae repentina mutatio exquirat; tum Hiero pueritiam Tiridatis increpat, neque penes Arsaciden imperium, sed inane nomen apud inbellem externa mollitia, vim in Abdagaesis domo. ⁵⁰ ~~scilicet~~ ⁽⁴⁴⁾ ~~scilicet~~ vetus regnandi falsos in amore odia non fingere, nec ultra moratus, quam dum Scytharum auxilia conciret, pergit properus et praeveniens inimicorum astus, amicorum paenitentiam; neque exuerat paedorem, ut vulgum miseratione adverteret. non fraus, non preces, nihil omisum quo ambiguos inliceret, prompti firmarentur; iamque multa manu propinqua Seleucia adventabat, cum Tiridates simul fama atque ipso Artabano percusus distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret. quibus proelium et festinati casus placebant, disiectos et longinquitate itineris fessos ne animo quidem satis ad obsequium coaluisse disserunt, proditores nuper hostesque eius quem rursus foveant. verum Abdagaeses regrediendum in Mesopotamiam censebat, ut amne obiecto, Armeniis interim Elymaeisque et ceteris a tergo exeat, aucti copiis socialibus et quas dux Romanus misisset fortunam temptarent: ea sententia valuit,

p. Ch. 36. 37.

quia plurima auctoritas penes Abdagaesen et Tiridates ignavus ad pericula erat. sed fugae specie discessum; ac principio a gente Arabum facto ceteri domos abeunt vel in castra Artabani, donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus pudore proditionis omnes exsolvit.

Idem annus gravi igne urbem adfcit deusta parte circi, quae Aventino contigua, ipsoque Aventino; quod ⁵¹ ⁽⁴⁵⁾ damnum Caesar ad gloriam vertit exsolutis domuum et insularum pretiis: milies sestertium ea munificentia conlocatum, tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis aedificationibus ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scenam Pompeiani theatri; eaque perfecta, contemptu ambitionis an per senectutem, haud dedicavit. sed aestimando cuiusque detrimento quatuor progeneri Caesaris, Cn. Domitius, Cassius Longinus, M. Vinicius, Rubellius Blandus delecti additusque nominatione consulum P. Petronius; et pro ingenio cuiusque quaesiti decretique in principem honores; quos omiserit receperitve, in incerto fuit ob propinquum vitae finem.

Neque enim multo post supremi Tiberio consules, Cn. ACERONIVS, C. PONTIVS, magistratum occeperere, nimiam potentia Macronis, qui gratiam C. Caesaris numquam sibi neglectam acrius ~~sed~~ fovebat impuleratque post mortem Claudiae, quam nuptam ei rettuli, uxorem suam Enniam imitando amorem iuvenem illicere pactoque matrimonii vincire, nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur; nam etsi commotus ingenio simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat. gnarum hoc principi, eoque ⁵² ⁽⁴⁶⁾ dubitavit de tradenda re publica, primum inter nepotes, quorum Druso genitus sanguine et caritate propior, sed nondum pubertatem ingressus, Germanici filio robur iuventutis, vulgi studia, eaque apud avum odii causa; etiam de Claudio agitanti, quod is composita aetate, bonarum artium cupiens erat, imminuta mens eius obstitit: sin extra domum successor quaereretur, ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent metuebat; quippe illi non perinde curae gratia praesentium quam in posteros ambitio. mox incertus animi, fesso corpore, consilium, cui impar erat, fato permisit, iactis

tamen vocibus per quas intellexeretur providus futurorum: namque Macroni non abdita ambage occidentem ab eo desereri, orientem spectari exprobravit, et C. Caesari forte orto sermone L. Sullam inridenti omnia Sullae vitia et nullam eiusdem virtutem habiturum praedixit. simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu „occides hunc tu“ inquit „et te alius.“ sed gravescente valitudine nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem simulans solitusque eludere medicorum artes atque eos qui post tricesimum aetatis annum ad interoscenda corpori suo utilia vel noxia alieni consilii indigerent.

- ⁵³
(47) Interim Romae futuris etiam post Tiberium caedibus semina iaciebantur. Laelius Balbus Acutiam, P. Vitellii quondam uxorem, maiestatis postulaverat; qua damnata cum praemium accusatori decerneretur, Iunius Otho, tribunus plebei, intercessit, unde illis odia, mox Othoni exitium. dein multorum amoribus famosa Albucilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo, coniurationis indice, fuerat, defertur impietatis in principem; connectebantur ut conscii et adulteri eius Cn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius, de claritudine Domitii supra memoravi; Marsus quoque vetustis honoribus et illustribus studiis erat: sed testium interrogationi, tormentis servorum Macronem praesedis commentarii ad senatum missi ferebant, nullaeque in eos imperatoris litterae suspicionem dabant, invalido ac fortasse ignaro ficta pleraque ob inimicitias Macronis notas
- ⁵⁴
(48) in Arruntium. igitur Domitius defensionem meditans, Marsus, tamquam incediam destinavisset, produxere vitam; Arruntius cunctationem et moras suadentibus amicis non eadem omnibus decora respondit: sibi satis aetatis, neque aliud paenitendum quam quod inter ludibria et pericula anxiam senectam toleravisset, diu Seiano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus, non culpa, sed ut flagitiorum inpatiens; sane paucos et supremos principis dies posse vitari: quemadmodum evasurum imminentis iuventam? an, cum Tiberius post tantam rerum experientiam vi dominationis convulsus et mutatus sit, C. Caesarem vix finita pueritia, ignarum omnium aut pessimis innutri-

p. Ch. 37.

tum, meliora capessiturum Macrone duce? qui ut deterior ad opprimendum Seianum delectus plura per scelera rem publicam conflictavisset; prospectare iam se acrius servitium, eoque fugere simul acta et instantia. haec vatis in modum dictitans venas resolvit: documento sequentia erunt bene Arruntium morte usum. Alucilla inrito ictu a semet vulnerata iussu senatus in carcerem fertur; stuprorum eius ministri, Carsidius Sacerdos praetorius ut in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem senatorium, et eadem poenae in Laelium Balbum decernuntur, id quidem a laetantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur, promptus adversum insontes.

Isdem diebus Sex. Papinius, consulari familia, repentinum et informem exitum delegit, iacto in praecipuum corpore. causa ad matrem referebatur, quae pridem repudiata adsentationibus atque luxu perpulisset iuvenem ad ea quorum effugium non nisi morte inveniret; igitur accusata in senatu, quamquam genua patrum advolveretur luctumque communem et magis inbecillum tali super casu feminarum animum aliaque in eundem dolorem maesta et miseranda diu ferret, urbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum iuventae exiret.

Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio deserebat: idem animi rigor; sermone ac vultu intentus, quaesita interdum comitate quamvis manifestam defectio-⁵⁵
(49) nem tegebat, mutatisque saepius locis tandem apud promontorium Miseni consedit in villa, cui L. Lucullus quondam dominus. illic eum adpropinquare supremis tali modo compertum: erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valitudo-nes principis solitus, consilii tamen copiam praebere; is velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii manum complexus pulsum venarum attigit; neque fefellit: nam Tiberius, incertum an offensus tantoque magis iram premens, instaurari epulas iubet discumbitque ultra solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret: Charicles tamen labi spiritum nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit. inde cuncta conloquii inter praesentes, nuntiis apud legatos et exercitus festinabantur. septimum decimum kal. Aprilis interclusa

anima creditus est mortalitatem explevisse; et multo gra-
tantum concursu ad capienda imperii primordia C. Caesar
egrediebatur, cum repente adfertur redire Tiberio vocem
ac visus vocarique qui recreandae defectioni cibum ad-
ferrent. pavor hinc in omnes: et ceteri passim dispergi,
se quisque maestum aut nescium fingere; Caesar in silen-
tium fixus a summa spe novissima exspectabat: Macro
intrepidus opprimi senem iniectu multae vestis iubet disce-
dique ab limine. sic Tiberius finivit, octavo et septuagse-
simo aetatis anno.

⁵⁷ Pater ei Nero et utrimque origo gentis Claudiae, quam
⁽⁵¹⁾quam mater in Liviam et mox Iuliam familiam adoptio-
nibus transierit. casus prima ab infantia ancipites: nam
proscriptum patrem exul secutus, ubi domum Augusti
privignus introiit, multis aemulis conflictatus est, dum
Marcellus et Agrippa, mox Gaius Luciusque Caesares
viguere; etiam frater eius Drusus prosperiore civium amore
erat. sed maxime in lubrico egit accepta in matrimonium
Iulia, inpudicitiam uxoris tolerans aut declinans. dein
Rhodo regressus vacuos principis penates duodecim annis,
mox rei Romanae arbitrium tribus ferme et viginti obti-
nuit. morum quoque tempora illi diversa: egrcgium vita
famaque, quaad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit;
occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Ger-
manicus ac Drusus superfuere; idem inter bona malaque
mixtus incolumi matre; instabilis saevitia; sed obtectis
libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve: postremo in
scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pu-
dore et metu, suo tantum ingenio utebatur.

CORNELII TACITI
ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER UNDECIMUS.

BREVIARIUM.

[Desunt acta annorum circiter decem. quae narrantur cap. 1—22, gesta sunt a. u. 800. coss. Ti. Claudio Caesare III, L. Vitellio III.]

Cap. 1—3. Valerius Asiaticus a Suillio et Sosibio accusatus fraude Messalinae et Vitellii evertitur et hilare moritur. 4. somnium saevitiae causa. 5. in perfidiam advocatorum lex Cincia flagitatur. 6. 7. praemiis pro patrocinio modus ponitur a principe. 8. Parthi discordant. Gotarzes pulsus vires reparat. 9. pacem init cum Bardane. 10. hic victor a suis caeditur. 11. ludi saeculares. Domitius Nero destinatur imperio. 12. Messalina Silium deperit. 13. Claudius aliud agit. leges fert. novas litterarum formas vulgat. 14. de litterarum inventoribus. 15. Claudius haruspices firmat. 16. Italicus rex Cheruscis petentibus datur. 17. mox de eo discordia gentis et bellum. 18. rebellantes Chaucos Corbulo reprimit. is severe agit in milites. 19. Frisios componit. Gannascum caedit. 20. ardor eius a Claudio repressus. fossam inter Mosam et Rhenum ducit. insignia triumphii ei indulta. 21. sic et Curtio Rufo. 22. Nonius perit. de spectaculo gladiatorum et quaestoribus.

23—25. Galli civitatem plenam affectant et principe patrocinate impetrant, et primo quidem Aedui. patricii suppleti. lustrum conditum.

26. 27. Messalina amore vaecors Silio palam nubit. 28. turbantur aulici. 29. 30. Narcissus per paelices rem defert. 31. 32. Claudius trepidat. Messalina bacchatur, preces per Vestalem parat. 33—36. Narcissus principem nutantem incitat, preces amolitur, sontium, in his Mnesteris, supplicium urget. 37. 38. Messalinam languente principe, dein ignaro caedi curat.

Haec gesta annis fere duobus Ti. Claudio Caesare III, L. Vitellio III; A. Vitellio, L. Vipstano coss.

***** nam Valerium Asiaticum, bis consulem, fuisse quondam adulterum eius credidit; pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo coeptos insigni magnificentia extollebat, Suillium accusandis utrisque immitit; adiungitur Sosibius, Britannici educator, qui per speciem bepivolentiae

moneret Claudium cavere vim atque opes principibus infensas: praecipuum auctorem Asiaticum interficiendi [C.] Caesaris; non extimuisse contionem populi Romani; fateri gloriamque facinoris ultro petere; clarum ex eo in urbe; didita per provincias fama parare iter ad Germanicos exercitus, quando genitus Viennae multisque et validis propinquitatibus subnixus turbare gentiles nationes promptum haberet. at Claudius nihil ultra scrutatus citis cum militibus tamquam opprimendo bello Crispinum, praetorii praefectum, misit; a quo repertus est apud Baias vinclisque
 2 inditis in urbem raptus. neque data senatus copia: intra cubiculum auditur, Messalina coram et Suillio corruptionem militum, quos pecunia et stupro in omne flagitium obstrictos arguebat, exin adulterium Poppaeae, postremum mollitiam corporis obiectante. ad quod victo silentio prorupit reus et „interroga,“ inquit „Suilli, filios tuos: virum esse me fatebuntur.“ ingressusque defensionem, commoto maiorem in modum Claudio, Messalinae quoque lacrimas excivit. quibus abluendis cubiculo egrediens monet Vitellium, ne elabi reum sineret: ipsa ad perniciem Poppaeae festinat, subditis qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent, adeo ignaro Caesare ut paucos post dies epulantem apud se maritum eius Scipionem percontaretur, cur sine uxore discubisset, atque ille functam fato responderet.

3 Sed consultantis super absolute Asiatici flens Vitellius commemorata vetustate amicitiae utque Antoniam, principis matrem, pariter observavissent, dein percursis Asiatici in rem publicam officiis recentique adversus Britanniam militia, quaeque alia conciliandae misericordiae videbantur, liberum mortis arbitrium ei permisit; et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam. hortantibus dehinc quibusdam inedia et lenem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait, et usurpatis quibus insueverat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, cum se honestius calliditate Tiberii vel impetu C. Caesaris periturum dixisset quam quod fraude muliebri et in pudico Vitellii ore caderet, venas exsolvit, viso tamen ante rogo iussoque transferri partem in aliam, ne opacitas arbo-

p. Cl. 47.

rum vapore ignis minueretur: tantum illi securitatis novissimae fuit.

Vocantur post haec patres pergitque Suillius addere 4 reos equites Romanos illustres, quibus Petra cognomen- tum; [at] causa necis ex eo quod domum suam Mnesteris et Poppaeae congressibus praebuissent: verum nocturnae quietis species alteri obiecta, tamquam vidisset Claudium spicea corona evinctum, spicis retro conversis, eaque imaginis gravitatem annonae dixisset; quidam pampineam coronam albertibus foliis visam atque ita interpretatum tradidere, vergente auctumno mortem principis ostendi: illud haud ambigitur, qualicumque insomnio ipsi fratrique perniciem allatam. sestertium quindecies et insignia praeturae Crispino decreta. adiecit Vitellius sestertium decies Sosibio, quod Britannicum praeceptis, Claudium consiliis iuvaret. rogatus sententiam et Scipio „cum idem“ inquit „de admissis Poppaeae sentiam quod omnes, putate me idem dicere quod omnes,“ eleganti temperamento inter conjugalem amorem et senatoriam necessitatem.

Continuus inde et saevus accusandis reis Suillius, 5 multique audaciae eius aemuli; nam cuncta legum et magistratuum munia in se trahens princeps materiam praedandi patefecerat; nec quicquam publicae mercis tam venale fuit quam advocatorum perfidia, adeo ut Samius, insignis eques Romanus, quadringentis nummorum milibus Suillio datis et cognita praevaricatione ferro in domo eius incubuerit. igitur incipiente C. Silio, consule designato, cuius de potentia et exitio in tempore memorabo, consurgunt patres legemque Cinciam flagitant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat. deinde obstrepentibus his quibus ea contumelia 6 paratur, discors Suillio Silius acriter incubuit, veterum oratorum exempla referens, qui famam et posteros praemia eloquentiae cogitavissent pulcherrima: alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis foedari; ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quaestuum spectetur; quod si in nullius mercedem negotia agantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia et iniurias foveri, ut quomodo vis morborum pretia medenti-

bus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. meminissent Asinii, Messalae, ac recentiorum, Arruntii et Aesernini: ad summa provectos incorrupta vita et facundia. talia dicente consule designato, consentientibus aliis, parabatur sententia qua lege repetundarum tenerentur, cum Suillius et Cossutianus et ceteri, qui non iudicium, quippe in manifestos, sed poenam statui volebant; circumstant Cacsarem, ante acta deprecantes; et postquam annuit, agere incipiunt: quem illum tanta superbia esse ut aeternitatem famae spe praesumat? usui et rebus subsidium [prae]parari, ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit. neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat. multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam; nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante providerit. facile Asinium et Messalam inter Antonium et Augustum bellorum praemiis refertos, aut ditium familiarum heredes Aeserninos et Arruntios magnum animum induisse. prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius aut C. Curio contionari soliti sint: se modicos senatores qui quieta re publica nulla nisi pacis emolumenta peterent, cogitaret plebem, quae toga enitesceret: sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura. ut minus decora haec, ita haud frustra dicta princeps ratus, capiendis pecuniis [posuit] modum usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur.

8 Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis, [iussu C.] Caesaris vinctum memoravi, monente Claudio in regnum remeavit, fisis Pharasmanis opibus. is rex Hiberis, idemque Mithridatis frater, nuntiabat discordare Parthos summaque imperii ambigua minora sine cura haberi [nam] inter Gotarxis pleraque saeva, qui necem fratri Artabano coniugique ac filio eius [prae]paraverat; unde metus [eius] in ceteros; et accivere Vardanen: ille, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria milia stadiorum pervadit ignarumque et exterritum Gotarzen proturbat; neque cunctatur quin proximas praefecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem eius abnuentibus, in quos, ut patris sui quoque defectores, ira

p. Ch. 47.

magis quam ex usu praesenti accensus, implicatur obsidione urbis validae et munimentis obiecti amnis muroque et com meatibus firmatae. interim Gotarzes Daharum Hyrcanorumque opibus auctus bellum renovat coactusque Vardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud campos castra contulit.

Tunc distractis Orientis viribus et quonam inclinarent 9 incertis, casus Mithridati datus est occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excindenda castellorum ardua, simul Hiberno exercitu campos persultante; nec enim resistere Armenii, fuso, qui proelium ausus erat, Demonacte praefecto. paululum cunctationis attulit rex minoris Armeniae Cotys, versis illuc quibusdam procerum; dein litteris Caesaris coercitus, et cuncta in Mithridaten fluxere, quamquam atrociorum quam novo regno conduceret, at Parthi imperatores cum pugnam pararent, foedus repente faciunt cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecit; congressisque primo cunctanter, dein complexi dextras apud altaria deum pepigere fraudem inimicorum ulcisci atque ipsi inter se concedere; potiorque Vardanes visus retinendo regno: at Gotarzes, ne quid aemulationis existeret, penitus in Hyrcaniam abiit. regressoque Vardani deditur Seleucia septimo post defectionem anno, non sine dedecore Parthorum, quos una civitas tam diu eluserat. exin validissimas praefecturas invisit: et recu- 10 rare Armeniam aiebat, ni a Vibio Marso, Syriae legato, bellum minitante cohibitus foret. atque interim Gotarzes paenitentia concessi regni et vocante nobilitate, cui in pace durius servitium est, contrahit copias; et hinc contra itum ad amnem Erinden; in cuius transgressu multum certato pervicit Vardanes, prosperisque proeliis medias nationes subegit ad flumen Sinden; quod Dahas Ariosque determinat: ibi modus rebus secundis positus; nam Parthi, quamquam victores, longinquam militiam aspernabantur. igitur exstructis monumentis, quibus opes suas testabatur nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur ingens gloria atque eo ferocior et subiectis intolerantior; qui dolo ante composito incautum venationique intentum interfecere, primam intra iuventam,

sed claritudine paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares quam metum apud hostes quaesivisset. nece Vardanis turbatae Parthorum res inter ambiguos, quis in regnum acciperetur: multi ad Gotarzen inclinabant, quidam ad Meherdaten, prolem Phraatis, obsidio nobis datum: dein praevaluit Gotarzes, potitusque regiam, per saevitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis permitti Meherdaten patrium ad fastigium orabant.

- 11 Isdem consulibus ludi saeculares octingentesimo post Romam conditam, quarto et sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt; utriusque principis rationes praetermitto, satis narratas libris quibus res imperatoris Domitiani composui: nam is quoque edidit ludos saeculares hisque intentius affui sacerdotio quindecimvirali praeditus ac tunc praetor, quod non iactantia refero, sed quia collegio quindecimvirum antiquitus ea cura, et magistratus potissimum exequabantur officia caerimoniarum. sedente Claudio circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Troiae inirent interque eos Britannicus imperatore genitus et L. Domitius adoptione mox in imperium et cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium loco praesagii acceptus est; vulgabaturque adfuisse infantiae eius dracones in modum custodum, fabulosa et externis miraculis adsimilata: nam ipse, haudquaquam sui detractor, unam omnino anguem in cubiculo visam narrare solitus est.
- 12 verum inclinatio populi supererat ex memoria Germanici, cuius illa reliqua suboles virilis; et matri Agrippinae miseratio augebatur ob saevitiam Messalinae, quae semper infesta et tunc commotior, quo minus strueret crimina et accusatores, novo et furori proximo amore distinebatur: nam in C. Silium, iuventutis Romanae pulcherrimum, ita exarserat ut Iuniam Silanam, nobilem feminam, matrimonio eius exturbaret vacuoque adultero peteretur; neque Silius flagitii aut periculi nescius erat; sed certo, si abnueret, exitio et nonnulla fallendi spe, simul magnis praemiis, opperiri futura et praesentibus frui pro solatio habebat: illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum, egressibus adhaerescere, largiri opes, ho-

p. Ch. 47.

nores; postremo, velut translata iam fortuna, servi, liberti, paratus principis apud adulterum visebantur.

At Claudius matrimonii sui ignarus et munia censoria 13 usurpans, theatralem populi lasciviam severis edictis increpuit, quod in Publium Pomponium consularem — is carmina scenae dabat — inque feminas illustres probra iecerat; et lege lata saevitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum fenori darent; fontesque aquarum Simbruinis collibus deductos urbi intulit; ac novas litterarum formas addidit vulgavitque comperto Graecam quoque litteraturam non simul coeptam absolutamque.

Primi per figuras animalium Aegyptii sensus mentis 14 effingebant — ea antiquissima monumenta memoriae humanae impressa saxis cernuntur — et litterarum semet inventores perhibent; inde Phoenicas, quia mari praepolebant, intulisse Graeciae gloriamque adeptos tamquam reppererint quae acceperant; quippe fama est Cadmum classe Phoenicum vectum rudibus adhuc Graecorum populis artis eius auctorem fuisse. quidam Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum et temporibus Troianis Palamedem Argivum memorant sedecim litterarum formas, mox alios ac praecipuum Simoniden ceteras repperisse. at in Italia Etrusci ab Corinthio Demarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt; et forma litteris Latinis, quae veterrimis Graecorum; sed nobis quoque paucae primum fuere, deinde additae sunt. quo exemplo Claudius tres litteras adiecit, quae usui imperitante eo, post oblitteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere publico [*publicandis plebis scitis*] per fora ac templa fixo.

Retulit deinde ad senatum super collegio haruspicum, 15 ne vetustissima Italiae disciplina per desidiam exolesceret: saepe adversis rei publicae temporibus accitos, quorum monitu redintegratas caerimonias et in posterum rectius habitas; primoresque Etruriae sponte aut patrum Romanorum impulsu retinuisse scientiam et in familias propagasse; quod nunc segnius fieri publica circa bonas artes socordia, et quia externae superstitiones valescant; et laeta quidem in praesens omnia, sed benignitati deum gratiam

referendam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti per prospera oblitterarentur. factum ex eo senatus consultum, viderent pontifices quae retinenda firmandaque haruspicum.

- 16 Eodem anno Cheruscorum gens regem Roma petivit, amissis per interna bella nobilibus et uno reliquo stirpis regiae, qui apud urbem habebatur, nomine Italicus. patrum huic genus e Flavo, fratre Arminii, mater ex Catumero, principe Chattorum, erat; ipse forma decorus et armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus; igitur Caesar auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capessere: illum primum Romae ortum, nec obsidem sed civem, ire externum ad imperium. ac primo laetus Germanis adventus, atque eo quod nullis discordiis inbutus pari in omnes studio ageret, celebrari, coli, modo comitatem et temperantiam, nulli invisam, saepius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans: iamque apud proximos, iam longius clarescere, cum potentiam eius suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos ac testificantur adimi veterem Germaniae libertatem et Romanas opes insurgere: adeo neminem isdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flavi progenies super cunctos attollatur? frustra Arminium praescribi; cuius si filius hostili in solo adultus in regnum venisset, posse extimesci infectum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis: at si paterna Italico mens esset, non alium infensus arma contra patriam ac deos penates quam parentem eius exercuisse.

- 17 His atque talibus magnas copias coegere; nec pauciores Italicum sequebantur: non enim irrupisse ad invitos, sed accitum memorabat, quando nobilitate ceteros anteiret: virtutem experirentur, an dignum se patruo Arminio, avo Catumero praerberet; nec patrem rubori, quod fidem adversus Romanos volentibus Germanis sumptam numquam omisisset; falso libertatis vocabulum obtendi ab his qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habeant. adstrepebat huic alacre vulgus; et magno inter barbaros proelio victor rex, dein secunda fortuna ad superbiam prolapsus pulsusque ac rursus Langobardorum opibus reffectus, per lacta, per adversa res Cheruscas afflictabat.

p. Ch. 47.

Per idem tempus Chauci, nulla dissensione domi, et 18
morte Sanquini alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem
Germaniam incursavere duce Gannasco, qui natione Can-
ninfas, auxiliariis et diu meritis, post transfuga, levibus
navigiis praedabundus Gallorum maxime oram vastabat,
non ignarus dites et inbelles esse. at Corbulo provinciam
ingressus, magna cum cura et mox gloria, cui principium
illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut
quaeque habiles, per aestuaria et fossas adegit; lintribus-
que hostium depressis et exturbato Gannasco, ubi praesen-
tia satis composita sunt, legiones operum et laboris igna-
vas, populationibus lactantes, veterem ad morem reduxit,
ne quis agmine decederet nec pugnam nisi iussus iniret:
stationes, vigiliae, diurna nocturnaue munia in armis agi-
tabantur, feruntque militem, quia vallum non accinctus,
atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte
punitos. quae nimia et incertum an falso iacta, originem
tamen e severitate ducis traxere; intentumque et magnis
delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam ad-
versus levia credebatur.

Ceterum is terror milites hostesque in diversum affecit: 19
nos virtutem auximus, barbari ferociam infregere. et natio
Frisiorum post rebellionem clade L. Apronii coeptam in-
fensa aut male fida, datis obsidibus consedit apud agros
a Corbulone descriptos; idem senatum, magistratus, leges
inposuit, ac ne iussa exuerent, praesidium immunivit, mis-
sis qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent, simul
Gannascum dolo aggredierentur: nec irritae aut degeneres
insidiae fuere adversus transfugam et violatorem fidei. sed
caede eius motae Chaucorum mentes; et Corbulo semina
rebellionis praebebat, ut laeta apud plerosque, ita apud
quosdam sinistra fama: cur hostem conciret? adversa in
rem publicam casura; sin prospere egisset, formidolosum
paci virum insignem et ignavo principi praegravem.

Igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohi-
buit ut referri praesidia cis Rhenum iuberet. iam castra 20
in hostili solo molienti Corbuloni eae litterae redduntur:
ille re subita quamquam multa simul offunderentur, metus
ex imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud so-

cios, nihil aliud prolocutus quam beatos quondam duces Romanos, signum receptui dedit. ut tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium et viginti milium spatio fossam praeduxit, qua incerta Oceani vetarentur. insignia tamen triumphi indulsit Caesar, quamvis bellum negavisset.

Nec multo post Curtius Rufus eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti; unde tenuis fructus nec in longum fuit, at legionibus cum damno labor, effodere rivos, quaeque in aperto gravia, humum infra moliri. quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas litteras nomine exercituum, precantium imperatorem ut, quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret.

21 De origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falsa prompserim et vera exequi pudet. postquam adolevit, sectator quaestoris cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto vacuis per medium dici porticibus secretus agitatur, oblata ei species muliebris ultra modum humanum et audita est vox „tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro consule venies.“ tali omine in spem sublatus degressusque in urbem et largitione amicorum, simul acri ingenio, quaesturam et mox nobiles inter candidatos praeturam principis suffragio assequitur, cum haec verbis Tiberius dedecus natalium eius velavisset: „Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.“ longa post haec senecta, et adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphali insignia, ac postremo Africam obtinuit; atque ibi defunctus fatale praesagium implevit.

22 Interea Romae nullis palam neque cognitis mox causis Cn. Nonius, eques Romanus, ferro accinctus reperitur in coetu salutantum principem; nam postquam tormentis dilaniabatur, de se non *infinitatus* consocios non edidit, incertum an occultans.

Isdem consulibus P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum qui quaesturam adipiscerentur. apud maiores virtutis id praec-

p. Ch. 47. 48.

mium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus; ac ne aetas quidem distinguebatur, quin prima iuventa consulatum et dictaturas inirent. sed quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt, quod lex curiata ostendit ab L. Bruto repetita; mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret: creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus sexagesimo tertio anno post Tarquinius exactos, ut rem militarem comitarentur. dein gliscen-tibus negotiis duo additi, qui Romae curarent; mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus; post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat, et quamquam equites iudicia reciperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venundaretur.

A. VITELLIO, L. VIPSTANO consulibus cum de supplendo 23
senatu ageretur, primoresque Galliae, quae comata appellatur, foedera et civitatem Romanam pridem assecuti, ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus ea super re variusque rumor et studiis diversis apud principem certabatur, asseverantium non adeo aegram Italiam ut senatum suppeditare urbi suae nequiret; sufficisse olim indigenas consanguineis populis, nec paenitere veteris rei publicae; quin adhuc memorari exempla quae priscis moribus ad virtutem et gloriam Romana insoles prodiderit. an parum quod Veneti et Insubres curiam inruperint, nisi coetus alienigenarum, velut *capta sit civitas*, inferatur? quem ultra honorem residuis nobilium, aut si quis pauper e Latio senator foret? oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro vique ceciderint, divum Iulium apud Alesiam obsederint; recentia haec: quid si memoria eorum moveretur, qui Capitolio et ara Romana manibus eorundem per se satis ***? fruerentur sane vocabulo civitatis: insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent.

His atque talibus haud permotus princeps et statim contra 24
disseruit et vocato senatu ita exorsus est: „Miores mei, quorum antiquissimus Clausus, origine Sabina, simul in

civitatem Romanam et in familias patriciorum adscitus est, hortantur uti paribus consiliis rem publicam capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit; neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, et ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque et omni Italia in senatum accitos, postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terrae, gentes in nomen nostrum coalescerent. tunc solida domi quies, et adversus externa floruius, cum Transpadani in civitatem recepti, cum specie deductarum per orbem terrae legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est: num paenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? manent posterii eorum nec amore in hanc patriam nobis concedunt. quid aliud exitio Lacedaemoniis et Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? at conditor nostri Romulus tantum sapientia valuit ut plebsque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. advenae in nos regnaverunt; libertinorum filii magistratus mandari non, ut plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum est. at cum Senonibus pugnavimus: scilicet Volsci et Aequi numquam adversam nobis aciem instruxere. capti a Gallis sumus: sed et Tuscia obsides dedimus et Samnitium iugum subiimus. ac tamen si cuncta bella recenseas, nullum brevius spatio quam adversus Gallos confectum; continua inde ac fida pax. iam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti, aurum et opes suas inferant potius quam separati habeant. omnia, patres conscripti, quae nunc vetustissima creduntur, nova fuere: plebeii magistratus post patricos, Latini post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos: inveterascet hoc quoque; et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.

25 Orationem principis secuto patrum consulto primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt; datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.

Isdem diebus in numerum patriciorum ascivit Caesar vetustissimum quemque e senatu aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum quas Romulus

p. Ch. 48.

maiorum et L. Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Saenia sublegere; laetaque haec in rem publicam munia multo gaudio censoris inibantur. famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem et recens repertam quam ex severitate prisca rationem adhibuit, monendo, secum quisque de se consultaret peteretque ius exuendi ordinis; facilem eius rei veniam, et motos senatu excusatosque simul propositurum, ut iudicium censorum ac pudor sponte cedentium permixti ignominiam mollirent. ob ea Vipstanus consul rettulit patrem senatus appellandum esse Claudium: quippe promiscum patris patriae cogno-mentum; nova in rem publicam merita non usitatis vocabulis honoranda; sed ipse cohibuit consulem ut nimium adsentantem; condiditque lustrum, quo censa sunt civium quinquaginta novem centena octoginta quattuor milia septuaginta duo. isque illi finis inscitiae erga domum suam fuit: haud multo post flagitia uxoris noscere ac punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas.

Iam Messalina facilitate adulteriorum in fastidium versa, 26 ad incognitas libidines profuebat, cum abrumpi dissimulationem etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urgebat: quippe non eo ventum ut senectam principis opperiretur; insontibus innoxia consilia, flagitiis manifestis subsidium ab audacia petendum; adesse conscios paria metuentes, se caelibem, orbem, nuptiis et adoptando Britannico paratum; mansuram eandem Messalinae potentiam, addita securitate, si praevenirent Claudium, ut insidiis incautum, ita irae properum. segniter eae voces acceptae, non amore in maritum, sed ne Silius summa adeptus sperneret adulteram scelusque inter ancipitia probatum veris mox pretiis aestimaret: nomen tamen matrimonii concupivit ob magnitudinem infamiae, cuius apud prodigos novissima voluptas est. nec ultra expectato quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum sollemnia celebrat.

Haud sum ignarus fabulosum visum iri tantum ullis 27 mortalium securitatis fuisse in civitate omnium gnara et

nihil reticente, nedum consulem designatum cum uxore principis, praedicta die, adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse, atque illam [audisse] auspicum verba subisse, sacrificasse apud deos, discubitu inter convivas, oscula, complexus, noctem denique actam licentia coniugali: sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam.

- 28 Igitur domus principis inhorruerat; maximeque quos penes potentia et, si res verterentur, formido, non iam secretis colloquiis, sed aperte fremere, dum histrio cubiculum principis *insultaverit*, dedecus quidem illatum, sed excidium procul afuisse: nunc iuvenem nobilem dignitate formae, vi mentis ac propinquo consulatu maiorem ad spem adcingi; nec enim occultum, quid post tale matrimonium superesset. subibat sine dubio metus reputantes hebetem Claudium et uxori devinctum, multasque mortes iussu Messalinæ patratas: rursus ipsa facilitas imperatoris fiduciam dabat, si atrocitate criminis praevaluissent, posse opprimi damnatam ante quam ream; sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque clausae aures etiam confitenti forent.
- 29 Ac primo Callistus, iam mihi circa necem C. Caesaris narratus, et Appianae caedis molitor Narcissus, flagrantissimaque eo in tempore gratia Pallas agitavere, num Messalinam secretis minis depellerent amore Sili, cuncta alia dissimulantes. dein metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt Pallas per ignaviam, Callistus prioris quoque regiae peritus, et potentiam cautis quam acribus consiliis tutius haberi: perstitit Narcissus, ut solum id imputans, ne quo sermone praesciam criminis et accusatoris facerent: ipse ad occasiones intentus, longa apud Ostiam Caesaris mora duas paelices, quarum is corpori maxime insueverat, largitione ac promissis et uxore deiecta plus potentiae ostentando perpulit delationem subire.
- 30 Exim Calpurnia — id paelici nomen —, ubi datum secretum, genibus Caesaris provoluta nupsisse Messalinam Silio exclamat; simul Cleopatram, quae idem opperiens adstabat, an comperisset interrogat; atque illa annuente cieri Narcissum postulat. is veniam in praeteritum petens, quod ei cis Vettios, cis Plautios dissimulavisset, nec nunc

p. Ch. 48.

adulteria obiecturum ait, *nedum* domum, servitia et ceteros fortunae paratus reposceret; frueretur immo his: at redderet uxorem rumperetque tabulas nuptiales: „an discidium“ inquit „tuum nosti? nam matrimonium Silii vidit populus et senatus et miles; ac ni propere agis, tenet urbem maritus.“

Tum potissimos amicorum vocat; primumque rei frumentariae praefectum Turranium, post Lusium Getam, praetorianis inpositum, percontatur; quis fatentibus certatim ceteri circumstrepunt: iret in castra, firmaret praetorias cohortes, securitati ante quam vindictae consuleret. satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret an ipse imperii potens, an Silius privatus esset.

At Messalina non alias solutior luxu, adulto auctumno simulacrum vindemiae per domum celebrabat: urgeri praela, fluere lacus; et feminae pellibus accinctae adsultabant ut sacrificantes vel insanientes Bacchae; ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, iuxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum procaci choro. ferunt Vettium Valentem lascivia in praecaltam arborem connisum, interrogantibus, quid aspiceret, respondisse tempestatem ab Ostia atrocem, sive coeperat ea species, seu forte lapsa vox in praesagium vertit.

Non rumor interea, sed undique nuntii incedunt, qui gnara Claudio cuncta et venire promptum ultioni afferrent. igitur Messalina Lucullianos in hortos, Silius dissimulando metu ad munia fori digrediuntur; ceteris passim dilabentibus adfuere centuriones, inditaque sunt vincla, ut quis reperiebatur in publico aut per latebras: Messalina tamen, quamquam res adversae consilium eximerent, ire obviam et aspici a marito, quod saepe subsidium habuerat, haud segniter intendit, misitque ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent; et Vibidiam, virginum Vestalium vetustissimam, oravit pontificis maximi aures adire, clementiam expetere; atque interim, tribus omnino comitantibus — id repente solitudinis erat — spatium urbis pedibus emensa, vehiculo quo purgamenta hortorum eripiuntur, Ostiensem viam intrat, nulla cuiusquam misericordia, quia flagitiorum deformitas praevalebat.

- 33 Trepidabatur nihilo minus a Caesare: quippe Getae, praetorii praefecto, haud satis fidebant, ad honesta seu prava iuxta levi: ergo Narcissus, adsumptis quibus idem metus, non aliam spem incolumitatis Caesaris affirmat, quam si ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret; seque offert suscepturum; ac ne, dum in urbem vehitur, ad paenitentiam a L. Vitellio et Largo Caecina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit sumitque.
- 34 Crebra post haec fama fuit, inter diversas principis voces, cum modo incusaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam coniugii et infantium liberorum revolveretur, non aliud prolocutum Vitellium quam „o facinus! o scelus!“ instabat quidem Narcissus aperire ambages et veri copiam facere; sed non ideo pervicit, quin suspensa et quo ducerentur inclinatura responderet, exemploque eius Largus Caecina uteretur. et iam erat in aspectu Messalina clamitabatque audiret Octaviae et Britannici matrem, cum obstrepere accusator, Silium et nuptias referens; simul codicillos libidinum indices tradidit, quis visus Caesaris averteret; nec multo post urbem ingredienti offerebantur communes liberi, nisi Narcissus amoveri eos iussisset. Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret ne indefensa coniux exitio daretur; igitur auditorum principem et fore diluendi criminis facultatem respondit: iret interim virgo et sacra capesseret.
- 35 Mirum inter haec silentium Claudii, Vitellius ignaro propior: omnia liberto obediebant. patefieri domum adulteri atque illuc deduci imperatorem iubet: ac primum in vestibulo effigiem patris Siliii consulto senatus abolitam demonstrat, tum, quidquid avitum Neronibus et Drusis, in pretium probri cessisse; incensumque et ad minas erumpentem castris infert, parata contione militum; apud quos praemonente Narcisso pauca verba fecit: nam etsi iustum dolorem pudor impediabat. continuus dehinc cohortium clamor nomina reorum et poenas flagitantium; admotusque Silius tribunali non defensionem, non moras temptavit, precatus ut mors acceleraretur. eadem constantia et illustres equites Romanos cupidos maturaec necis fecit: [et] Titium Proculum, custodem a Silio Messalinae datum et

p. Ch. 48.

indicium offerentem, Vettium Valentem confessum et Pompeium Urbicum ac Saufeium Trogum ex consciis tradi ad supplicium iubet; Decrius quoque Calpurnianus, vigillum praefectus, Sulpicius Rufus, ludi procurator, Iuncus Vergilianus senator eadem poena affecti.

Solus Mnester cunctationem attulit, dilaniata veste clamitans: aspiceret verberum notas, reminisceretur vocis quae se obnoxium iussis Messalinae dedisset; aliis largitione aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam; nec cuiquam ante pereundum fuisse, si Silius rerum poteretur. commotum his et pronum ad misericordiam Caesarem perpulere liberti, ne tot illustribus viris interfectis histrioni consulere: sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre. ne Trauli quidem Montani, equitis Romani, defensio recepta est; is modesta iuventa, sed corpore insigni, accitus ultro noctemque intra unam a Messalina proturbatus erat paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia. Suillio Caesonino et Plautio Laterano mors remittitur: huic ob patrum egregium meritum; Caesoninus vitiiis protectus est, tamquam in illo foedissimo coetu passus muliebricia.

Interim Messalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe et aliquando ira: tantum inter extrema superbiae gerebat; ac ne caedem eius Narcissus properavisset, verterat perniciem in accusatorem. nam Claudius domum regressus et tempestivis epulis delentus, ubi vino incaluit, iri iubet nuntiarique miserae — hoc enim verbo usum ferunt — dicendam ad causam postera die adesset; quod ubi auditum, et languescere ira, redire amor, ac si cunctarentur, propinqua nox et uxorii cubiculi memoria timebantur, prorumpit Narcissus denuntiatque centurionibus et tribuno, qui aderat, exequi caedem: ita imperatorem iubere. custos et exactor e libertis Euodus datur; isque raptim in hortos praegressus reperit fusam humi, assidente matre Lepida, quae florenti filiae haud concursu supremis eius necessitatibus ad miserationem evicta erat suadebatque ne percussorem opperiretur: transisse vitam, neque aliud quam morti decus quaerendum. sed animo per libidines corrupto nihil honestum inerat, lacrimaeque et questus irriti ducebantur, cum impetu venientium pulsae

fores, astititque tribunus per silentium, at libertus increpans multis et servilibus probris.

- 38 Tunc primum fortunam suam introspevit, ferrumque accepit, quod frustra iugulo aut pectori per trepidationem admovens ictu tribuni transigitur. corpus matri concessum; nuntiatumque Claudio epulanti perisse Messalinam, non distincto sua an aliena manu; nec ille quaesivit, poposcitque poculum et solita convivio celebravit; ne secutis quidem diebus odii, gaudii, irae, tristitiae, ullius denique humani affectus signa dedit, non cum laetantes accusatores aspiceret, non cum filios maerentes; iuvitque oblivionem eius senatus censendo nomen et effigies privatis ac publicis locis demovendas; decreta Narcisso quaestoria insignia, levissimum fastidiis eius, cum supra Pallantem et Callistum ageret * honesta quidem, sed ex quis deterrima orerentur, * tristitiis multis*.

CORNELII TACITI

A N N A L I U M

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER DUODECIMUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. 2. Claudius de matrimonio cum libertis deliberat. 3—7. Agrippina, Germanici fratris eius filia, aliis praelata L. Silano, cui desponsa Octavia, insidias struit administro Vitellio, cuius artibus inducti senatus populusque infames nuptias probant. 8. 9. Silanus mortem sibi consciscit. Seneca ab exilio redux studiis Neronis praestet, cui despondetur Octavia. 10. 11. Parthi regem Roma petunt Meherdatem, quem missum a Claudio Cassius in regnum ducere conatur. 12. 13. obstat fraus Acbari et Izatis. 14. victus Meherdates Gotarzi traditur. hoc mortuo regnum in Vononem, dein Vologesem transfertur. 15. Mithridati regnum Ponti recipere niso Romani resistunt et Cotys et Eunones. 16—21. Uspe urbe capta Zorsines deserit Mithridatem, qui supplex Eunoni per eum a principe veniam impetrat Romamque perducitur.

22. Agrippinae artibus Lollia codere Italia iubetur, Calpurnia pervertitur. 23. Salutis augurium. pomoerium urbis prolatum. 24. memorantur, qui olim protulerint. 25. Nero Domitius a Claudio

p. Ch. 48.

adoptatur auctoritate Pallantis. 26. Britannicus depressus. 27. 28. colonia in Ubios deducta. Chatti latrocinia agitantes vincuntur. 29. 30. Vannius Suevorum rex a suis pulsus.

31. 32. In Britannia turbantes reprimit Ostorius Icenos, Cangos, Brigantes. 33—35. Silurum regem Caratacum vincit. 36. 37. is Romam perductus mascule Caesarem alloquitur et veniam impetrat. 38. 39. Britanni vires reparant. Ostorius obtentis triumphis insignibus obit. 40. ei Didius suffectus. bellum intestinum Venutii et Carimanduae.

41. Neroni virilis toga maturatur posthabito Britannico. 42. Burrus praetorio praefectus. Agrippinae arrogantia. Vitellio favet. 43. prodigia Romae. caritas annonae.

44—47. Bellum Armenios inter et Iberos. Radamistus Pharamanis filius Iberos specie foederis Mithridatem invadit, vinclis onerat, interimit. 48. Quadratus Syriae praeses de ultione deliberat. 49. Pelignus Radamistum temere regium insigne sumere hortatur. 50. Parthi Armeniam invadunt. 51. Radamistus a suis pellitur. Zenobia coniux ab eo vulnerata aegre servatur.

52. Furius Scribonianus relegatus. SC. de mathematicis. 53. SC. Claudianum de feminis quae servis coniungerentur. adulatio in Palantem. 54. Felix et Ventidius turbant Iudaeam. Quadratus quietem reddit. 55. motus in Cilicia sedat rex Antiochus.

56. 57. Lacus Fucinus emissus et in eo navale spectaculum et convivium cum periculo. 58. Nero ducit Octaviam. 59. Statilius Taurus eversus. 60. procuratorum in provinciis auctoritas aucta. 61. Cois concessa immunitas. 62. 63. Byzantiis tributum ad tempus remissum. eius urbis situs.

64. Prodigia Claudianae necis. 65. Lepidae mors indicta. Narcissi liberae voces. 66. 67. Claudium Agrippina veneno tollit. 68. Nero primordia imperii capit. 69. Funus et consecratio Claudii.

Gesta haec annis sex, C. Pompeio, Q. Veranio; C. Antistio, M. Suillio Rufo; Ti. Claudio V, Ser. Cornelio Orfito; P. Cornelio Sulla, L. Salvio Othone; D. Iunio Silano, Q. Haterio; M. Asinio Marcello, M'. Acilio Aviola coss.

Caede Messalinae convulsa principis domus orto apud 1
libertos certamine quis deligeret uxorem Claudio, caelibis
vitae intoleranti et coniugum imperiis obnoxio; nec minore
ambitu feminae exarserant: suam quaeque nobilitatem,
formam, opes contendere ac digna tanto matrimonio
ostentare; sed maxime ambigebatur inter Lolliam Pauli-
nam M. Lollii consularis et Iuliam Agrippinam Germanico
genitam: huic Pallas, illi Callistus fautores aderant; at
Aelia Paetina e familia Tuberorum Narcisso fovebatur.
ipse huc modo, modo illuc, ut quemque suadentium au-

dierat, promptus, discordantes in consilium vocat ac pro-
mere sententiam et adicere rationes iubet.

- 2 Narcissus vetus matrimonium, familiam communem —
nam Antonia ex Paetina erat —, nihil in penetibus eius
novum disserebat, si sueta coniux rediret, haudquaquam
novercalibus odiis visura Britannicum et Octaviam, proxima
suis pignora. Callistus improbatam longo discidio, ac si
rursum assumeretur, eo ipso superbam; longeque rectius
Lolliam induci, quando nullos liberos genuisset, vacuam
aemulatione et privignis parentis loco futuram. at Pallas id
maxime in Agrippina laudare, quod Germanici nepotem
secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna: stir-
pem nobilem et familiae *Iuliae* *Claudiaequae* posteros con-
iungeret, ne femina expertae fecunditatis, integra iuventa,
claritudinem Caesarum aliam in domum ferret.
- 3 Praevaluere haec adiuta Agrippinae inlecebris, quae
ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pel-
licit patrum, ut praelata ceteris et nondum uxor potentia
uxoria iam uteretur; nam ubi sui matrimonii certa fuit,
struere maiora nuptiasque Domitii, quem ex Cn. Ahenobarbo
genuerat, et Octaviae, Caesaris filiae, moliri; quod sine
scelere perpetrari non poterat, quia L. Silano despon-
derat Octaviam Caesar iuvenemque et alia clarum in-
signi triumphalium et gladiatorii muneris magnificentia pro-
tulerat ad studia vulgi; sed nihil arduum videbatur in animo
principis, cui non iudicium, non odium erat nisi indita et
iussa.
- 4 Igitur Vitellius, nomine censoris serviles fallacias ob-
tegens ingruentiumque dominationum provisor, quo gra-
tiam Agrippinae pararet, consiliis eius implicari, ferre cri-
mina in Silanum, cuius sane decora et procax soror, Iunia
Calvina, haud multum ante Vitellii nurus fuerat: hinc ini-
tium accusationis; fratrumque non incestum sed incusto-
ditum amorem ad infamiam traxit; et praebebat Caesar
aures, accipiendis adversus generum suspicionibus caritate
filiae promptior. at Silanus insidiarum nescius ac forte eo
anno praetor, repente per edictum Vitellii ordine senatorio
movetur, quamquam lecto pridem senatu lustroque con-
dito; simul affinitatem Claudius diremit, adactusque Si-

p. Ch. 48. 49.

lanus eiurare magistratum, et reliquus praeturae dies in Eprium Marcellum collatus est.

C. POMPEIO, Q. VERANIO consulibus pactum inter Clau- 5
dium et Agrippinam matrimonium iam fama, iam amore
illicito firmabatur; necdum celebrare sollemnia nuptiarum
audebant, nullo exemplo deductae in domum patrum fra-
tris filiae; quin et incestum ac, si sperneretur, ne in ma-
lum publicum erumperet metuebatur. nec ante omnia cun-
ctatio quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumpsit;
percontatusque Caesarem, an iussis populi, an auctoritati
senatus cederet, ubi ille unum se civium et consensui im-
parem respondit, opperiri intra palatium iubet; ipse curiam
ingreditur, summamque rem publicam agi obtestans ve-
niam dicendi ante alios exposcit, orditurque: gravissimos
principis labores, quis orbem terrae capessat, egere admi-
niculis, ut domestica cura vacuus in commune consulat;
quod porro honestius censoriae mentis levamentum quam
assumere coniugem, prosperis dubiisque sociam, cui co-
gitationes intimas, cui parvos liberos tradat, non luxui aut
voluptatibus adsuefactus, sed qui prima ab iuventa legibus
obtemperavisset. postquam haec favorabili oratione praec- 6
misit multaue patrum assentatio sequebatur, capto rur-
sus initio, quando maritandum principem cuncti suaderent,
deligi oportere feminam nobilitate, puerperiis, sanctimonia
insignem; nec diu anquirendum quin Agrippina claritudine
generis anteiret: datum ab ea fecunditatis experimentum,
et congruere artes honestas; id vero egregium, quod pro-
visu deum vidua iungeretur principi sua tantum matrimo-
nia experto; audivisse a parentibus, vidisse ipsos abripi
coniuges ad libita Caesarum; procul id a praesenti mode-
stia: statueretur immo documentum, quo uxorem impera-
tor * acciperet. at enim nova nobis in fratrum filias coniu-
gia: sed aliis gentibus sollemnia, neque lege ulla prohibita;
et sobrinarum diu ignorata tempore addito percrebuisse:
morem accommodari prout conducatur, et fore hoc quoque
in iis quae mox usurpentur.

Haud defuere qui certatim, si cunctaretur Caesar, vi 7
acturos testificantes erumperent curia; conglobatur promisca
multitudo populumque Romanum eadem orare clamitat.

nec Claudius ultra expectato obuius apud forum praebet se gratantibus, senatumque ingressus decretum postulat quo iustae inter patruos fratrumque filias nuptiae etiam in posterum statuerentur; nec tamen repertus est nisi unus talis matrimonii cupitor, T. Alledius Severus, eques Romanus, quem plerique Agrippinae gratia impulsum ferebant. versa ex eo civitas, et cuncta feminae obediebant, non per lasciviam, ut Messalina, rebus Romanis illudenti: adductum et quasi virile servitium: palam severitas ac saepius superbia; nihil domi inpudicum, nisi dominationi expedit; cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur.

8 Die nuptiarum Silanus mortem sibi conscivit, sive eo usque spem vitae produxerat, seu delecto die augendam ad invidiam. Calvina, soror eius, Italia pulsa est. addidit Claudius sacra ex legibus Tulli regis piaculaque apud lucum Dianae per pontifices danda, irridentibus cunctis, quod poenae procurationesque incesti id temporis exquirentur. at Agrippina, ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exilii pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat, laetum in publicum rata ob claritudinem studiorum eius, utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret et consiliis eiusdem ad spem dominationis uterentur, quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficii et infensus Claudio dolore iniuriae credebatur.

9 Placitum dehinc non ultra cunctari, sed designatum consulem Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt sententiam expromere, qua oraretur Claudius despondere Octaviam Domitio; quod aetati utriusque non absurdum et maiora patefacturum erat. Pollio haud disparibus verbis ac nuper Vitellius censet; despondeturque Octavia, ac super priorem necessitudinem sponsus iam et gener Domitius aequari Britannico studiis matris, arte eorum quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio timebatur.

10 Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, ut rettuli, Meherdaten missi senatum ingrediuntur mandataque in hunc modum incipiunt: non se foederis ignaros nec defectione a familia Arsacidarum venire; sed filium Vonnis, nepotem Phraatis accersere adversus dominationem

p. Ch. 49.

Gotarzis nobilitati plebique iuxta intolerandam; iam fratres, iam propinquos, iam longius sitos caedibus exhaustos; adici coniuges gravidas, liberos parvos, dum socors domi, bellis infaustus ignaviam saevitia tegat. veterem sibi ac publice coeptam nobiscum amicitiam, et subveniendum sociis virium aemulis cedentibusque per reverentiam. ideo regum obsides liberos dari ut, si domestici imperii taedeat, sit regressus ad principem patresque, quorum moribus assuefactus rex melior adscisceretur.

Ubi haec atque talia dissertavere, incipit orationem Caesar de fastigio Romano Parthorumque obsequiis; seque divo Augusto adaequabat, petitem ab eo regem referens, omissa Tiberii memoria, quamquam is quoque miserat. addidit praecepta — etenim aderat Meherdates — ut non dominationem et servos sed rectorem et cives cogitaret, clementiamque ac iustitiam, quanto ignara barbaris, tanto tolerantiora capesseret. hinc versus ad legatos extollit laudibus alumnium urbis, spectatae ad id modestiae: ac tamen ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes. rem Romanam huc satietate gloriae provecam ut externis quoque gentibus quietem velit. datum posthac C. Cassio, qui Syriae praeerat, deducere iuvenem ripam ad Euphratis.

Ea tempestate Cassius ceteros praeminebat peritia legum; nam militares artes per otium ignotae, industriosque aut ignavos pax in aequo tenet. ac tamen quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercitare legiones, cura, provisu perinde agere ac si hostis ingrueret: ita dignum maioribus suis et familia Cassia ratus per illas quoque gentes celebrata. igitur excitis quorum de sententia petitus rex, positisque castris apud Zeugma, unde maxime pervius amnis, postquam illustres Parthi rexque Arabum Acbarus advenerat, monet Meherdaten barbarorum impetus acres cunctatione languescere aut in perfidiam mutari: ita urgeret coepta. quod spretum fraude Acbari, qui iuvenem ignarum et summam fortunam in luxu ratum multos per dies attinuit apud oppidum Edessam; et vocante Carene promptasque res ostentante, si citi advenissent, non comminus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petunt, id temporis inportunam, quia hiems occipiebat.

- 13 Exim nivibus et montibus fessi, postquam campos propinquabant, copiis Carenis adiunguntur, tramissoque amne Tigri permeant Adiabenos, quorum rex Izates societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzeni per occulta et magis fida inclinabat; sed capta in transitu urbs Ninos, vetustissima sedes Assyriae, et * castellum insigne fama, quod postremo inter Darium atque Alexandrum proelio Persarum illic opes conciderant. interea Gotarzes apud montem cui nomen Sanbulos, vota dis loci suscipiebat, praecipua religione Herculis, qui tempore stato per quietem monet sacerdotes ut templum iuxta equos venatui adornatos sistant; equi ubi pharetras telis onustas acceperere, per saltus vagi nocte demum vacuis pharetris multo cum anhelitu redeunt; rursum deus, qua silvas pererraverit, nocturno visu demonstrat, reperiunturque fusae passim ferae.
- 14 Ceterum Gotarzes, nondum satis aucto exercitu, flumine Corma pro munimento uti, et *quamquam* per insectationes et nuntios ad proelium vocaretur, nectere moras, locos mutare et missis corruptoribus exuendam ad fidem hostes emercari: ex quis Izates Adiabenus, mox Acbarus Arabum cum exercitu abscedunt, levitate gentili, et quia experimentis cognitum est barbaros malle Roma petere reges quam habere. at Meherdates validis auxiliis nudatus, ceterorum proditione suspecta, quod unum reliquum, rem in casum dare proelioque experiri statuit: nec detrectavit pugnam Gotarzes deminutis hostibus ferox; concursusque magna caede et ambiguo eventu, donec Carenem profligatis obversis longius evectum integer a tergo globus circumveniret. tum omni spe perdita Meherdates, promissa Parracis, paterni clientis, secutus, dolo eius vincitur traditurque victori: atque ille non propinquum neque Arsacis de gente, sed alienigenam et Romanum increpans, auribus decisus vivere iubet, ostentui clementiae suae et in nos dehonestamento. dein Gotarzes morbo obiit, accitusque in regnum Vonones Medos tum praesidens. nulla huic prospera aut adversa, quis memoraretur: brevi et inglorio imperio perfunctus est, resque Parthorum in filium eius Vologesen translatae.
- 15 At Mithridates Bosporanus amissis opibus vagus, post-

p. Ch. 49.

quam Didium, ducem Romanum, roburque exercitus abisse cognoverat, relictos in novo regno Cotyn iuventa rudem et paucas cohortium cum Iulio Aquila, equite Romano, spre-tis utrisque concire nationes, illicere perfugas; postremo exercitū coacto regem Dandaridarum exturbat imperioque eius potitur. quae ubi cognita et iam iamque Bosporum invasurus habebatur, diffusi propriis viribus Aquila et Co-tys, quia Zorsines, Siracorum rex, hostilia resumpserat, externas et ipsi gratias quaesivere missis legatis ad Eu-nonen, qui Aorsorum genti praesidebat: nec fuit in arduo societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithrida-ten ostentantibus; igitur pepigere, equestribus proeliis Eu-nones certaret, obsidia urbium Romani capesserent.

Tunc composito agmine incedunt, cuius frontem et terga 16 Aorsi, media cohortes et Bosporani tutabantur nostris in armis: sic pulsus hostis; ventumque Sōzam, oppidum Dan-daricae, quod desertum a Mithridate ob ambiguos popu-larium animos, obtineri relicto ibi praesidio visum; exim in Siracos pergunt, et transgressi amnem Pandam circum-veniunt urbem Uспен, editam loco et moenibus ac fossis munitam, nisi quod moenia non saxo sed cratibus et vi-mentis ac media humo adversum irrumpentes invalida erant; eductaeque altius turrets facibus atque hastis turbabant ob-sessos, ac ni proelium nox diremisset, coepta patrataque expugnatio eundem intra diem foret.

Postero misere legatos, veniam liberis corporibus oran- 17 tes; servitii decem milia offerebant: quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos saevum, tantam multitudi-nem custodia cingere arduum: at belli potius iure cade-rent; datumque militibus, qui scalis evaserant, signum caedis. excidio Uspensium metus ceteris iniectus, nihil tu-tum ratis, cum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amnesque et urbes iuxta perrumperentur; igitur Zor-sines, diu pensitato Mithridatisne rebus extremis an pa-trio regno consuleret, postquam praevaluit gentilis utilitas, datis obsidibus apud effigiem Caesaris procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum et victorem tri-dui itinere abfuisse ab amne Tanai constitit. sed in regressu dispar fortuna fuit, quia navium quasdam, quae mari re-

meabant, in litora Taurorum delatas circumvenere barbari, praefecto cohortis et plerisque *auxilium* interfectis.

- 18 Interca Mithridates, nullo in armis subsidio, consultat cuius misericordiam experiretur: frater Cotys, proditor olim, deinde hostis, metuebatur; Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promissa eius magni penderentur: ad Eunonen convertit, propriis odiis non infensum et recens coniuncta nobiscum amicitia validum. igitur cultu vultuque quam maxime ad praesentem fortunam comparato regiam ingreditur, genibusque eius provolutus „Mithridates“ inquit „terra marique Romanis per tot annos quaesitus sponte adsum: utere, ut voles, prole magni Achaemenis, quod mihi solum hostes non abstulerunt.“
- 19 At Eunones claritudine viri, mutatione rerum et prece haud degeneri permotus, adlevat supplicem laudatque quod gentem Aorsorum, quod suam dextram petendae veniae delegerit. simul legatos litterasque ad Caesarem in hunc modum mittit: populi Romani imperatoribus, magnarum nationum regibus primam ex similitudine fortunae amicitiam, sibi et Claudio etiam communionem victoriae esse; bellorum egregios fines, quotiens ignoscendo transigatur; sic Zorsini victo nihil ereptum: pro Mithridate, quando gravius mereretur, non potentiam neque regnum precari, sed ne triumpharetur neve poenas capite expenderet.
- 20 At Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis an repetere armis rectius foret: hinc dolor iniuriarum et libido vindictae adigebat; sed disserebatur contra: suscipi bellum avio itinere, inportuoso mari; ad hoc reges feroces, vagos populos, solum frugum egens; tum taedium ex mora, pericula ex properantia, modicam victoribus laudem ac multum infamiae si pellerentur: quin arriperet oblata et servaret exulem, cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore. his permotus scripsit Eunoni: meritum quidem novissima exempla Mithridaten, nec sibi vim ad exequendum deesse; verum ita maioribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum: nam triumphos de populis regnisque integris acquiri.

p. Ch. 49.

Traditus posthac Mithridates vectusque Romam per Iu-
nium Cilonem, procuratorem Ponti, ferocius quam pro for-
tuna disseruisse apud Caesarem ferebatur, elataque vox
eius in vulgum hisce verbis: „non sum remissus ad te,
sed reversus: vel si non credis, dimitte et quaere.“ vultu
quoque interrito permansit, cum rostra iuxta, custodibus
circumdatus, visui populo praeberetur. consularia insignia
Ciloni, Aquilae praetoria decernuntur.

Isdem consulibus atrox odii Agrippina ac Lolliae in-
fensa, quod secum de matrimonio principis certavisset, mo-
litur crimina et accusatorem, qui obiceret Chaldaeos, ma-
gos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super
nuptiis imperatoris. exim Claudius inaudita rea, multa de
claritudine eius apud senatum praefatus, sorore L. Volusii
genitam, maiorem ei patrum Cottam Messalinum esse,
Memmio quondam Regulo nuptam — nam de C. Caesaris
nuptiis consulto reticebat — addidit perniciose in rem pu-
blicam consilia et materiem sceleri detrahendam; proin
publicatis bonis cederet Italia: ita quinquagies sestertium
ex opibus immensis exuli relictum. et Calpurnia, illustris
femina, pervertitur, quia formam eius laudaverat princeps,
nulla libidine, sed fortuito sermone; unde ira Agrippinae
citra ultima stetit: in Lolliam mittitur tribunus, a quo ad
mortem adigeretur. damnatus et lege repetundarum Ca-
dus Rufus accusantibus Bithynis.

Galliae Narbonensi ob egregiam in patres reverentiam 23
datum ut senatoribus eius provinciae non exquisita princi-
pis sententia, iure quo Sicilia haberetur, res suas invisere
liceret; Ituraeque et Iudaei defunctis regibus, Sohaemo
atque Agrippa, provinciae Syriae additi. Salutis augurium
quinque et *septuaginta* annis omissum repeti ac deinde con-
tinuari placitum. et pomoerium urbis auxit Caesar, more
prisco, quo iis qui protulere imperium, etiam terminos ur-
bis propagare datur; nec tamen duces Romani quamquam
magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi L. Sulla
et divus Augustus.

Regum in eo ambitio vel gloria varie vulgata: sed ini-
tium condendi, et quod pomoerium Romulus posuerit, no-
scere haud absurdum reor. igitur a foro boario, ubi acreum

tauri simulacrum aspiciamus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi coeptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur; inde certis spatiis interiecti lapides per ima montis Palatini, ad aram Consi, mox curias veteres, tum ad sacellum Larundae; forumque Romanum et Capitolium non a Romulo sed a Tito Tatio additum urbi credidere; mox pro fortuna pomoerium auctum: et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu et publicis actis perscriptum.

25 C. ANTISTIO, M. SULLIO consulibus adoptio in Domitium auctoritate Pallantis festinatur, qui obstrictus Agrippinae ut conciliator nuptiarum et mox stupro eius inligatus, stimulabat Claudium consuleret rei publicae, Britannici pueritiam robore circumdaret: sic apud divum Augustum, quamquam nepotibus subnixum, viguisse privignos; a Tiberio super propriam stirpem Germanicum assumptum: se quoque accingeret iuvene partem curarum capessituro. his evictus biennio maiorem natu Domitium filio anteponit, habita apud senatum oratione in eundem quem a liberto acceperat modum. adnotabant periti nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Atto Clauso continuos duravisse.

26 Ceterum actae principi grates, quaesitiore in Domitium adulatione; rogataque lex qua in familiam Claudiam et nomen Neronis transiret; augetur et Agrippina cognomento Augustae: quibus patratis nemo adeo expers misericordiae fuit, quem non Britannici fortunae maeror afficeret: desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis, per intempestiva novercae officia in ludibria vertebat, intellegens falsi; neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt, sive verum, seu periculis commendatus retinuit famam sine experimento.

27 Sed Agrippina quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum e vocabulo ipsius; ac forte acciderat ut eam gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fidem acciperet.

Isdem temporibus in superiore Germania trepidatum adventu Chattorum latrocinia agitantium, dein l*** Pompo-

p. Ch. 50.

nus legatus auxiliares Vangionas ac Nemetas, addito equite alario, monitos ut anteirent populatores vel dilapsis inprovisi circumfunderentur: et secuta consilium ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui laevum iter petiverant, recens reversos praedaeque per luxum usos et somno graves circumvenere; aucta laetitia, quod quosdam e clade Variana quadragesimum post annum servitio exemerant. at qui dextris et propioribus compendiis ierant, obvio hosti 28 et aciem auso plus cladis faciunt, et praeda famaue onusti ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Chatti cupidine ulciscendi casum pugnae praeberent: illi metu, ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quis aeternum discordant, circumgrederentur, legatos in urbem et obsides misere; decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famae eius apud posteros, in quis carminum gloria praecellit.

Per idem tempus Vannius Suevis a Druso Caesare in- 29 positus pellitur regno, prima imperii aetate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans, et odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus; auctores fuere Vibilius, Hermundurorum rex, et Vangio ac Sido, sorore Vannii geniti. nec Claudius, quamquam saepe oratus, arma certantibus barbaris interposuit, tutum Vannio perfugium promittens, si pelleretur; scripsitque Palpellio Histro, qui Pannoniam praesidebat, legionem ipsaque e provincia lecta auxilia pro ripa componere, subsidio victis et terrorem adversus victores, ne fortuna elati nostram quoque pacem turbarent. nam vis innumera, Lygii aliaeque gentes adventabant, fama ditis regni, quod Vannius triginta per annos praedationibus et vectigalibus auxerat: ipsi manus propria pedites, eques e Sarmatis Iazygibus erat, impar multitudini hostium, eoque castellis sese defensare bellumque ducere statuerat. sed Lazyges 30 obsidionis impatientes et proximos per campos vagi necessitudinem pugnae attulere, quia Lygius Hermundurisque illic ingrueant; igitur degressus castellis Vannius funditur proelio, quamquam rebus adversis, laudatus quod et pugnam manu capessit et corpore adverso vulnera excipit. ceterum ad classem in Danuvio opperientem perfu-

git; secuti mox clientes, et acceptis agris in Pannonia locati sunt. regnum Vangio ac Sido inter se partivere, egregia adversus nos fide, subiectis, suone an servitii ingenio, dum adipiscerentur dominationis, multa caritate, et maiore odio, postquam adepti sunt.

31 At in Britannia P. Ostorium pro praetore turbidae res excepere, effusis in agrum sociorum hostibus eo violentius, quod novum ducem exercitu ignoto et coepta hieme iturum obviam non rebantur: ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit, et caesis qui restiterant, disiectos consecutus, ne rursus conglabarentur infensaque et infida pax non duci, non militi requiem permetteret, detrahere arma suspectis cunctaque castris ad Arionam et Sabrinam fluvios cohibere parat. quod primi Icenii abnuere, valida gens, nec proeliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant; hisque auctoribus circumiectae nationes locum pugnae delegere saeptum agresti aggere et aditu angusto, ne pervius equiti foret. ea munimenta dux Romanus, quamquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere aggreditur et distributis cohortibus turmas quoque peditum ad munia accingit; tunc dato signo perfringunt aggerem suisque claustris impeditos turbant, atque illi conscientia rebellionis et obseptis effugiis multa et clara facinora fecere. qua pugna filius legati M. Ostorius servati civis decus meruit.

32 Ceterum clade Icenorum compositi qui bellum inter et pacem dubitabant; et ductus inde Cangos exercitus; vastati agri, praedae passim actae, non ausis aciem hostibus, vel si ex occulto carpere agmen temptarent, punito dolo; iamque ventum haud procul mari quod Hiberniam insulam aspectat, cum ortae apud Brigantas discordiae retraxere ducem, destinationis certum, ne nova moliretur nisi prioribus firmatis. et Brigantes quidem, paucis qui arma coeptabant interfectis, in reliquos data venia, resedere: Silurum gens non atrocitate, non clementia mutabatur quin bellum exerceret castrisque legionum premenda foret; id quo promptius veniret, colonia Camulodunum valida veteranorum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles et inbuendis sociis ad officia legum.

Ch. 50.

Itum inde in Siluras, super propriam ferociam Carat- 33
taci viribus confisos, quem multa ambigua, multa prospera
extulerant, ut ceteros Britannorum imperatores praemine-
ret: sed tum [astu] locorum fraude prior, vi militum in-
ferior, transfert bellum in Ordovicas, additisque qui pacem
nostram metuebant, novissimum casum experitur, sumpto
ad proelium loco, ut aditus, abscessus, cuncta nobis in-
portuna et suis in melius essent, hinc montibus arduis, et
si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa prae-
struit; et praefluebat amnis vado incerto, catervaeque arma-
torum pro munimentis constitierant. ad hoc gentium ducto- 34
res circumire, hortari, firmare animos minuendo metu,
accendenda spe, aliisque belli incitamentis: enimvero Ca-
ratacus huc illuc volitans illum diem, illam aciem testaba-
tur aut recuperandae libertatis aut servitutis aeternae ini-
tium fore; vocabatque nomina maiorum, qui dictatorem
Caesarem pepulissent, quorum virtute vacui a securibus
et tributis intemerata coniugum et liberorum corpora reti-
nerent. haec atque talia dicenti adstrepere vulgus; gentili
quisque religione obstringi, non telis, non vulneribus ces-
suros.

Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum; simul ob- 35
iectus amnis, additum vallum, imminetia iuga, nihil nisi
atrox et propugnatoribus frequens terrebat; sed miles proe-
lium poscere, cuncta virtute expugnabilia clamitare; prae-
fectique et tribuni paria disserentes ardorem exercitus in-
tendebant. tum Ostorius, circumspectis quae impenetrabilia
quaeque pervia, ducit infensos amnemque haud difficulter
evadit; ubi ventum ad aggerem, dum missilibus certaba-
tur, plus vulnere in nos et pleraeque caedes oriebantur:
postquam facta testudine rudes et informes saxorum con-
pages distractae parque comminus acies, decedere barbari
in iuga montium; sed eo quoque irrupere ferentarius gra-
visque miles, illi telis adsultantes, hi conferto gradu, tur-
batis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla lori-
carum galearumve tegmina; et si auxiliaribus resisterent,
gladiis ac pilis legionariorum, si huc verterent, spathis et
hastis auxiliarium sternebantur.

Clara ea victoria fuit, captaque uxor et filia Caratati, 36

fratresque in deditionem accepti: ipse, ut ferme intuta sunt adversa, cum fidem Cartimanduae, reginae Brigantum, petivisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno quam bellum in Britannia coeptum. unde fama eius evecta insulas et proximas provincias pervagata per Italiam quoque celebrabatur avebantque visere, quis ille tot per annos opes nostras sprevisset; ne Romae quidem ignobile Carataci nomen erat; et Caesar dum suum decus extollit, addidit gloriam victo. vocatus quippe ut ad insigne spectaculum populus: stetere in armis praetoriae cohortes campo qui castra praeiacet; tunc incedentibus regiis clientelis phalerae, torques quaeque bellis externis quaesiverat, traducta; mox fratres et coniux et filia, postremo ipse ostentatus. ceterorum preces degeneres fuere ex metu; at non Caratacus aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens, ubi tribunali astitit, in hunc modum locutus est:

37 „Si, quanta nobilitas et fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc urbem quam captus venissem, neque dedignatus esses claris maioribus ortum, pluribus gentibus imperitantem foedere pacis accipere: praesens sors mea ut mihi informis, sic tibi magnifica est. habui equos, viros, arma, opes: quid mirum, si haec invitus amisi? nam si vos omnibus imperitare vultis, sequitur ut omnes servitatem accipiant? si statim deditus traderer, neque mea fortuna neque tua gloria inclaruisset, et supplicium mei oblivio sequeretur: at si incolumem servaveris, aeternum exemplar clementiae ero.“ ad ea Caesar veniam ipsique et coniugi et fratribus tribuit atque illi vinclis [ab]soluti Agrippinam quoque, haud procul alio suggestu conspicuam, isdem quibus principem laudibus gratibusque venerati sunt: novum sane et moribus veterum insolitum, feminam signis Romanis praesidere; ipsa semet parti a maioribus suis imperii sociam ferebat.

38 Vocati posthac patres multa et magnifica super captivitate Carataci disseruere, neque minus id clarum quam quod Syphacem P. Scipio, Persen L. Paulus, et si qui alii vinctos reges populo Romano ostendere; censentur Ostorio triumpho insignia, prosperis ad id rebus eius, mox

p. Ch. 50.

ambiguus, sive amoto Carataco, quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit, sive hostes miseratione tanti regis acrius ad ultionem exarsere. praefectum castrorum et legionarias cohortes extruendis apud Siluras praesidiis relictas circumfundunt, ac ni citis nuntiis e castellis proximis subventum foret copiarum obsidioni, obcubissent; praefectus tamen et octo centuriones ac promptissimus quisque e manipulis cecidere.

Nec multo post pabulantis nostros [ipsos] missasque 39 ad subsidium turmas profligant: tum Ostorius cohortes expeditas opposuit; nec ideo fugam sistebat, ni legiones proelium exceperant: earum robore aequata pugna, dein nobis pro meliore fuit; effugere hostes tenui damno, quia inclinabat dies. crebra hinc proelia, et saepius in modum latrocinii per saltus, per paludes; ut cuique sors aut virtus, temere, provisus; ob iram, ob praedam, iussu et aliquando ignaris ducibus, [ac] praecipua Silurum pervicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Romani vox, ut quondam Sugambri excisi aut in Gallias traieci forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum; igitur duas auxiliares cohortes avaritia praefectorum incautius populantes intercepte; spoliaque et captivos largiendo ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cum taedio curarum fessus Ostorius concessit vita, laetis hostibus, tamquam ducem haud spernendum etsi non proelium, at certe bellum absumpsisset.

At Caesar cognita morte legati, ne provincia sine re- 40 ctore foret, A. Didium suffecit; is prope vectus non tamen integras res invenit, adversa interim legionis pugna cui Manlius Valens praeerat; auctaque et apud hostes eius rei fama, quo venientem ducem exterrerent, aequae illo augente audita, ut maior laus compositis, vel si duravissent, venia iustior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant; lateque persultabant, donec adcursum Didii pellerentur. sed post captum Caratacum praecipuus scientia rei militaris Venutius, e Brigantum civitate, ut supra memoravi, fidusque diu et Romanis armis defensus, cum Carthimandua reginam matrimonio teneret; mox orto discidio et statim bello etiam adversus nos hostilia induerat;

sed primo tantum inter ipsos certabatur, callidisque Car-
timandua artibus fratrem ac propinquos Venutii intercepit:
inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne feminae im-
perio subderentur, valida et lecta armis iuventus regnum
eius invadunt; quod nobis praevisum, et missae auxilio
cohortes acre proelium fecere, cuius initio ambiguo finis
lactor fuit. neque dispari eventu pugnatum a legione cui
Caesius Nasica praecerat; nam Didius senectute gravis, et
multa copia honorum, per ministros agere et arcere hostem
satis habebat. haec, quamquam a duobus [Ostorio Didio-
que] propractoribus plures per annos gesta, coniunxi, ne
divisa haud perinde ad memoriam sui valerent: ad tem-
porum ordinem redeo.

41 Ti. CLAUDIO QUINTUM, SERVIO CORNELIO ORFITO consu-
libus virilis toga Neroni maturata, quo capessendae rei
publicae habilis videretur; et Caesar adulationibus sena-
tus libens cessit, ut vicesimo aetatis anno consulatum Nero
iniret atque interim designatus proconsulare imperium ex-
tra urbem haberet ac princeps iuventutis appellaretur; ad-
ditum nomine eius donativum militi, congiarium plebei;
et ludicro circensium, quod acquirendis vulgi studiis ede-
batur, Britannicus in praetexta, Nero triumphali veste tra-
vecti sunt: spectaret populus hunc decore imperatorio, il-
lum puerili habitu, ac perinde fortunam utriusque prae-
sumeret; simul, qui centurionum tribunorumque sortem
Britannici miserabantur, remoti fictis causis et alii per spe-
ciem honoris; etiam libertorum si quis incorrupta fide, de-
pellitur tali occasione: obvii inter se Nero Britannicum
nomine, ille Domitium salutavere, quod ut discordiae ini-
tium Agrippina multo questu ad maritum defert: sperni
quippe adoptionem, quaeque censuerint patres, iusserit po-
pulus, intra penates abrogari; ac nisi pravitas tam infensa
docentium arceatur, eruptura in publicam perniciem. com-
motus his quasi criminibus optimum quemque educatorem
filii exilio ac morte afficit datosque a noverca custodiae
eius inponit.

42 Nondum tamen summa moliri Agrippina audebat, ni
praetoriarum cohortium cura exsolverentur Lusius Geta et
Rufius Crispinus, quos Messalinae memores et liberis eius

p. Ch. 51.

devinctos credebat; igitur distrahi cohortes ambitu duorum, et si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam adseverante uxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium, egregiae militaris famae, gnarum tamen, cuius sponte praeficeretur. suum quoque fastigium Agrippina extollere altius: carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus venerationem augebat feminae, quam imperatore genitam, sororem eius qui rerum potitus sit et coniugem et matrem fuisse, unicum ad hunc diem exemplum est. inter quae praecipuus propugnator eius Vitellius, validissima gratia, aetate extrema — adeo incertae sunt potentium res — accusatione corripitur, deferente Iunio Lupo senatore: is crimina maiestatis et cupidinem imperii obiectabat; praebuissetque aures Caesar, nisi Agrippinae minis magis quam precibus mutatus esset, ut accusatori aqua atque igni interdiceret: hactenus Vitellius voluerat.

Multa eo anno prodigia ~~evenere~~: inessum diris avibus 43
Capitolium, crebris terrae motibus proruptae domus, ac dum latius metuitur, trepidatione vulgi invalidus quisque obriti; frugum quoque egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur. nec occulti tantum questus; sed iura reddentem Claudium circumvasere clamoribus turbidis, pulsumque in extremam fori partem vi urgebant, donec militum globo infensos perrupit. quindecim dierum alimenta urbi, non amplius, superfuisse constitit; magnaue deum benignitate et modestia hiemis rebus extremis subventum: at hercule olim Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabat; nec nunc infecunditate laboratur; sed Africam potius et Aegyptum exercemus, navibusque et casibus vita populi Romani permissa est.

Eodem anno bellum inter Armenios Hiberosque exortum Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa fuit. genti Parthorum Vologeses imperitabat, materna origine ex paelice Graeca, concessu fratrum regnum adeptus; Hiberos Pharasmanes vetusta possessione, Armenios frater eius Mithridates obtinebat opibus nostris. erat Pharasmanis filius nomine Radamistus, decora proceritate, vi corporis insignis et patrias artes edoctus cla-

raque inter accolas fama: is modicum Hiberiae regnum senecta patris detineri ferocius crebriusque iactabat quam ut cupidinem occultaret; igitur Pharasmanes iuvenem potentiae *properum* et studio popularium accinctum vergentibus iam annis suis metuens, aliam ad spem trahere et Armeniam ostentare, pulsus Parthis datam Mithridati a semet memorando: sed vim differendam, et potiore dolum, quo incautum opprimerent. ita Radamistus simulata adversus patrem discordia, tamquam novercae odiis impar, pergat ad patrum; multa ab eo comitate in speciem liberum cultus primores Armeniorum ad res novas illicit, ignaro et ornante insuper Mithridate.

45 Reconciliationis specie assumpta regressusque ad patrem, quae fraude confici potuerint, prompta nuntiat, cetera armis exequenda. interim Pharasmanes belli causas confingit: proelianti sibi adversus regem Albanorum et Romanos auxilio vocanti fratrem adversatum, eamque iniuriam excidio ipsius ultum iturum; simul magnas copias filio tradidit. ille irruptione subita territum exutumque campis Mithridaten compulit in castellum Gorneas, tutum loco ac praesidio militum, quis Caelius Pollio praefectus, centurio Casperius praeerat. nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta et astus oppugnationum; [at nobis ea pars militiae maxime gnara est]: ita Radamistus frustra vel cum damno temptatis munitionibus obsidium incipit; et cum vis neglegeretur, avaritiam praefecti emercatur, obtestante Casperio ne socius rex, ne Armenia, donum populi Romani, scelere et pecunia verterentur; postremo quia multitudinem hostium Pollio, iussa patris Radamistus obtinebant, pactus indutias abscedit, ut nisi Pharasmanen bello absterruisset, Ummidium Quadratum, praesidem Syriae, doceret quo in statu Armenia foret.

46 Digressu centurionis velut custode exsolutus praefectus hortari Mithridaten ad sancendum foedus, coniunctionem fratrum ac priorem aetate Pharasmanen et cetera necessitudinum nomina referens, quod filiam eius in matrimonio haberet, quod ipse Radamisto socer esset; non abnuere pacem Hiberos, quamquam in tempore validiores; et satis cognitam Armeniorum perfidiam, nec aliud subsidii quam

p. Ch. 51.

castellum commeatu egenum: ne dubitaret armis incruentitas condiciones malle. cunctante ad ea Mithridate et suspectis praefecti consiliis, quod paelicem regiam polluerat inque omnem libidinem venalis habebatur, Casperius interim ad Pharasmanen pervadit, utque Hiberi obsidio decedant expostulat: ille propalam incerta et saepius molliora respondens, secretis nuntiis monet Radamistum obpugnationem quoquo modo celerare; augetur flagitii merces, et Pollio occulta corruptione inpellit milites, ut pacem flagitarent seque praesidium omissuros minitarentur: qua necessitate Mithridates diem locumque foederi accepit castelloque egreditur.

Ac primo Radamistus in amplexus eius effusus simulare obsequium, socerum ac parentem appellare; adicit ius iurandum, non ferro, non veneno vim allaturum; simul in lucum propinquum trahit, provisum illic sacrificii paratum dictitans, ut diis testibus ~~per~~ firmaretur. mos est regibus, quotiens in societate ~~con~~oeant, implicare dextras pollicesque inter se vincire nodoque praestringere: mox ubi sanguis [in] artus extremos suffuderit, levi ictu cruorem eliciunt atque invicem lambunt; id foedus arcanum habetur quasi mutuo cruore sacratum. sed tunc qui ea vincla admovebat, decidisse simulans genua Mithridatis invadit ipsumque prosternit; simulque concursu plurium iniciuntur catenae ac compede, quod dedecorum barbaris, trahebatur; moxque vulgus, duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat: et erant contra qui tantam fortunae commutationem miserarentur; secutaque cum parvis liberis coniuX cuncta lamentatione complebat. diversis et cunctis vehiculis abduntur, dum Pharasmanis iussa exquirentur: illi cupido regni fratre et filia potior, animusque sceleribus paratus; visui tamen consuluit, ne coram interficeret; et Radamistus, quasi iuris iurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem et patrum expromit, sed proiectos in humum et veste multa gravique opertos necat. filii quoque Mithridatis, quod caedibus parentum illacrimaverant, trucidati sunt.

At Quadratus cognoscens proditum Mithridaten et regnum ab interfecto-⁴⁸ribus obtineri, vocat consilium, docet acta,

et an ulcisceretur consultat: paucis decus publicum curae; plures tuta disserunt: omne scelus externum cum laetitia habendum; semina etiam odiorum iacienda, ut saepe principes Romani eandem Armeniam specie largitionis turbandis barbarorum animis praeberint; poteretur Radamistus male partis, dum invisus, infamis, quando id magis ex usu quam si cum gloria adeptus foret. in hanc sententiam itum; ne tamen adnuisse facinori viderentur et diversa Caesar iuberet, missi ad Pharasmanen nuntii, ut abscederet a finibus Armeniis filiumque abstraheret.

49 Erat Cappadociae procurator Iulius Pelignus, ignavi animi et deridiculo corporis iuxta despiciendus, sed Claudio perquam familiaris, cum privatus olim conversatione scurrarum incers otium oblectaret: is Pelignus auxiliis provincialium contractis tamquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis quam hostes praedatur, abscessu suorum et incursantibus barbaris praesidii egens ad Radamistum venit; donisque eius evictus ultro regium insigne sumere cohortatur, sumentique adest auctor et satelles. quod ubi turpi fama divulgatum, ne ceteri quoque ex Peligno coniectarentur, Helvidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore ut consuleret; igitur prope montem Taurum transgressus moderatione plura quam vi composuerat, cum redire in Syriam iubetur, ne initium belli adversus Parthos existeret.

50 Nam Vologeses casum invadendae Armeniae obvenisse ratus, quam a maioribus suis possessam externus rex flagitio obtineret, contrahit copias fratremque Tiridaten deducere in regnum parat, ne qua pars domus sine imperio ageret. incessu Parthorum sine acie pulsi Hiberi, urbesque Armeniorum Artaxata et Tigranocerta iugum accipere; deinde atrox hiems seu parum provisi commeatus et orta ex utroque tabes perpellunt Vologesen omittere praesentia, vacuumque rursus Armeniam Radamistus invasit, truculentior quam antea, tamquam adversus defectores et in tempore rebellaturos. atque illi, quamvis servitio sueti, patientiam abrumpunt armisque regiam circumveniunt, nec aliud Radamisto subsidium fuit quam pernicitas equorum, quis seque et coniugem abstulit.

p. Ch. 51. 52.

Sed coniux gravis primam utcumque fugam ob metum hostilem et mariti caritatem toleravit; post festinatione continua, ubi quati uterus et viscera vibrantur, orare ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur; ille primo amplecti, adlevare, adhortari, modo virtutem admirans, modo timore aeger, ne quis relicta poteretur; postremo violentia amoris, et facinorum non rudis, destrinxit acinacem vulneratamque ripam ad Araxis trahit, flumini tradit, ut corpus etiam auferretur: ipse praeceps Hiberos ad patrium regnum pervadit. interim Zenobiam — id mulieri nomen — placida illuvie spirantem ac vitae manifestam advertere pastores, et dignitate formae haud degenerem reputantes obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent cognitoque nomine et casu in urbem Artaxata ferunt; unde publica cura deducta ad Tiridaten comiterque excepta cultu regio habita est.

FAUSTO SULLA, SALVIO ~~OTRONE~~ consulibus Furius Scribonianus in exilium agitur, ~~quasi~~ ^{quasi} finem principis per Chaldaeos scrutaretur; adnectebatur crimini Vibia, mater eius, ut casus prioris — nam relegata erat — inpatiens: pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam moverat; idque ad clementiam trahebat Caesar, quod stirpem hostilem iterum conservaret; neque tamen exuli longa posthac vita fuit: morte fortuita an per venenum extinctus esset, ut quisque credidit, vulgavere de mathematicis Italia pellendis factum senatus consultum atrox et irritum. laudati dehinc oratione principis qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, motique qui remanendo inopudentiam paupertati adicerent.

Inter quae refert ad patres de poena feminarum quae servis coniungerentur; statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsae in servitute, sin consensisset, pro libertis haberentur. Pallanti, quem repertorem eius relationis ediderat Caesar, praetoria insignia et centies quinquagies sextertium censuit consul designatus Barea Soranus. additum a Scipione Cornelio grates publice agendas, quod regibus Arcadiae ortus veterrimam nobilitatem usui publico postponeret seque inter ministros principis haberi sineret; adseveravit Claudius contentum honore Pallantem

intra priorem paupertatem subsistere: et fixum est aere publico senatus consultum, quo libertinus sestertii ter miliens possessor antiquae parsimoniae laudibus cumulabatur.

- 51 At non frater eius, cognomento Felix, pari moderatione agebat, iam pridem Iudaeae impositus et cuncta malefacta sibi impune ratus tanta potentia subnixo. sane praebuerant Iudaei speciem motus orta seditione, postquam [a C. Caesare iussi erant effigiem eius in templo locare; et quamquam] cognita caede eius haud obtemperatum esset, manebat metus ne quis principum eadem imperitaret. atque interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat aemulo ad deterrima Ventidio Cumanò, cui pars provinciae habebatur, ita divisus ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent, discordes olim et tum contemptu regentium minus coercitis odiis; igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias et aliquando proeliis congregi, spoliaque et praedas ad procuratores referre; hique primo lactari; mox gliscente pernicie cum arma militum interiecissent, caesi milites: arsissetque bello provincia, ni Quadratus, Syriae rector, subvenisset. nec diu adversus Iudaeos, qui in necem militum proruperant, dubitatum quin capite poenas luerent: Cumanus et Felix cunctationem adferebant, quia Claudius causis rebellionis auditis ius statuendi etiam de procuratoribus dederat; sed Quadratus Felicem inter iudices ostentavit, receptum in tribunal, quo studia accusantium deterrentur; damnatusque flagitiorum quae duo deliquerant Cumanus, et quies provinciae reddita.

- 55 Nec multo post agrestium Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum, saepe et alias commotae, tunc Troxoboro duce montes asperos castris cepere atque inde decursu in litora aut urbes vim cultoribus et oppidanis, ac plerumque in mercatores et navicularios audebant, obsessaque civitas Anemuriensis; et missi e Syria in subsidium equites cum praefecto Curtio Severo turbantur, quod duri circum loci peditibusque ad pugnam idonei equestre proelium haud patiebantur. dein rex eius orae Antiochus, blandimentis adversum plebem, fraude in ducem cum bar-

p. Ch. 52. 53.

barorum copias dissociasset, Troxoboro paucisque primoribus interfectis ceteros clementia composuit.

Sub idem tempus inter lacum Fucinum amnemque Li-⁵⁶rim perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso navale proelium adornatur, ut quondam Augustus structo *trans* Tiberim stagno, sed levibus navigiis et minore copia ediderat: Claudius triremes quadrimemesque et undeviginti hominum milia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent, ac tamen spatium amplexus ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium et proelio solita. in ratibus praetoriarum cohortium manipuli turmaeque adstiterant antepositis propugnaculis, ex quis catapultae ballistaeque tenderentur; reliqua lacus classarii tectis navibus obtinebant; ripas et colles ac montium edita in modum theatri multitudo innumera complevit proximis e municipiis, et alii urbe ex ipsa, visendi cupidine aut officio in principem; ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata, praesedere. pugnatum, quamquam inter sontes, fortium virorum animo; ac post multum vulnere occidioni exempti sunt.

Sed perfecto spectaculo apertum aquarum iter: incu-⁵⁷ria operis manifesta fuit, haud satis depressi ad lacus ima vel media, eoque, tempore interiecto, altius effossi specus et contrahendae rursus multitudini gladiatorum spectaculum editur inditis pontibus pedestrem ad pugnam. quin et convivium effluvio lacus appositum magna formidine cunctos affecit, quia vis aquarum prorumpens proxima trahebat, convulsis ulterioribus aut fragore et sonitu exterritis. simul Agrippina trepidatione principis usa ministrum operis Narcissum incusat cupidinis ac praedarum: nec ille reticet, inpotentiam muliebrem nimiasque spes eius arguens.

D. IUNIO, Q. HATERIO consulibus sedecim annos natus⁵⁸ Nero Octaviam, Caesaris filiam, in matrimonium accepit; utque studiis honestis et eloquentiae gloria enitesceret, causa Iliensium suscepta Romanum Troia demissum et Iuliae stirpis auctorem Aeneam aliaque haud procul fabulis [vetera] facunde executus perpetrat ut Ilienses omni publico munere solverentur. eodem oratore Bononiensi coloniae igni haustae subventum centies sestertii largitione. redditur Rho-

diis libertas, adempta saepe aut firmata, prout bellis externis meruerant aut domi seditione deliquerant; tributumque Apamensibus terrae motu convolsis in quinquennium remissum.

59 At Claudius saevissima quaeque promere adigebatur eiusdem Agrippinae artibus, quae Statilium Taurinum opibus inlustrem, hortis eius inhians pervertit accusante Tarquithio Prisco; legatus is Tauri Africam imperio proconsulari regentis, postquam revenerant, pauca repetundarum crimina, ceterum magicas superstitiones obiectabat; nec ille diutius falsum accusatorem, indignas sorde perpeusus, vim vitae suae attulit ante sententiam senatus; Tarquithius tamen curia exactus est, quod patres odio delatoris contra ambitum Agrippinae pervicere.

60 Eodem anno saepius audita vox principis, parem vim rerum habendam a procuratoribus suis iudicatarum ac si ipse statuisset; ac ne fortuito prolapsus videretur, senatus quoque consulto cautum plenius quam antea et uberius: nam divus Augustus apud equestres, qui Aegypto praesiderent, lege agi decretaque eorum proinde haberi iusserat ac si magistratus Romani constituissent; mox alias per provincias et in urbe pleraque concessa sunt quae olim a praetoribus noscebantur: Claudius omne ius tradidit, de quo totiens seditione aut armis certatum, cum Sempronius rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locaretur, aut rursus Serviliae leges senatui iudicia redderent, Mariusque et Sulla olim de eo vel praecipue bellarent; sed tunc ordinum diversa studia, et quae vicerant, publice valebant: C. Oppius et Cornelius Balbus primi Caesaris opibus potuere condiciones pacis et arbitria belli tractare; Matios posthac et Vedios et cetera equitum Romanorum praevalida nomina referre nihil attinuerit, cum Claudius libertos, quos rei familiari praefecerat, sibi que et legibus adacquaverit.

61 Rettulit deinde de immunitate Cois tribuenda, multaque super antiquitate eorum memoravit: Argivos vel Coeum, Latonae parentem, vetustissimos insulae cultores; mox adventu Aesculapii artem medendi inlatam maximeque inter posteros eius celebrem fuisse, nomina singulorum referens,

p. Ch. 53. 54.

et quibus quisque aetatibus viguissent; quin etiam dixit Xenophontem, cuius scientia ipse uteretur, eadem familia ortum, precibusque eius dandum ut omni tributo vacui in posterum Coi sacram et tantum dei ministram insulam colerent: neque dubium habetur multa eorundem in populum Romanum merita sociasque victorias potuisse tradi; sed Claudius facilitate solita, quod uni concesserat, nullis extrinsecus adiumentis velavit.

At Byzantii data dicendi copia, cum magnitudinem 62 onerum apud senatum deprecarentur, cuncta repetivere: orsi a foedere, quod nobiscum icerant qua tempestate bellavimus adversus regem Macedonum, cui ut degeneri Pseudophilippi vocabulum inpositum, missas posthac copias in Antiochum, Persen, Aristonicum, et piratico bello adiutum Antonium memorabant, quaeque Sullae aut Lucullo aut Pompeio obtulissent, mox recentia in Caesares merita, quando ea loca insiderent quae transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque, simul vehendo commeatu opportuna forent. namque artissimo inter Europam Asiam- 63 que divortio Byzantium in extrema Europa posuere Graeci, quibus Pythium Apollinem consulentibus ubi conderent urbem, redditum oraculum est, quaererent sedem caecorum terris adversam: ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti, praevisa locorum utilitate, peiora legissent; quippe Byzantium fertili solo, secundo mari, quia vis piscium immensa Pontum erumpens et obliquis subter undas saxis exterrita omisso alterius litoris flexu hos ad portus defertur. unde primo quaestuosi et opulenti, post magnitudine onerum urgente finem aut modum orabant, adnitente principe, qui Threcio Bosporanoque bello recens fessos iuvandosque rettulit: ita tributa in quinquennium remissa.

M. ASINIO, M. ACILIO consulibus mutationem rerum in 64 deterius portendi cognitum est crebris prodigiis: signa ac tentoria militum igne caelesti arsere; fastigio Capitolii examen apium insedit; bifformes hominum partus, et suis fetum editum, cui accipitrum unguis inessent; numerabatur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus, quaestore, aedili, tribuno ac praetore et consule paucos

intra menses defunctis. sed in praecipuo pavore Agrippina, vocem Claudii, quam temulentus iecerat, fatale sibi ut coniugum flagitia ferret, dein puniret, metuens, agere et celerare statuit, perclita prius Domitia Lepida, muliebribus causis, quia Lepida minore Antonia genita, avunculo Augusto, Agrippinae sobrina prior ac Gnaei mariti eius soror, parem sibi claritudinem credebat; nec forma, aetas, opes multum distabant; et utraque impudica, infamis, violenta, haud minus vitiis aemulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant: enimvero certamen acerrimum, anita potius an mater apud Neronem praevaleret; nam Lepida blandimentis ac largitionibus iuvenilem animum devinciebat, truci contra ac minaci Agrippina, quae filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.

65 ceterum obiecta sunt quod coniugem principis devotionibus petivisset, quodque parum coercitis per Calabriam servorum agminibus pacem Italiae turbaret: ob haec mors indicta, multum adversante Narcisso, qui Agrippinam magis magisque suspectans prompsisse inter proximos ferebatur certam sibi perniciem, seu Britannicum rerum, seu Nero poteretur; verum ita de se meritum Caesarem ut vitam usui eius impenderet; convictam Messalinam et Silium: pares iterum accusandi causas esse; si Nero imperaret Britannico successore, nullum principi meritum: at novercae insidiis domum omnem convelli, maiore flagitio quam si impudicitiam prioris coniugis reticuisset, quamquam ne impudicitiam quidem nunc abesse Pallante adultero, ne quis ambigat decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere. haec atque talia dictitans amplecti Britannicum, robur aetatis quam maturimum precari, modo ad deos, modo ad ipsum tendere manus: adolesceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfectores ulcisceretur.

66 in tanta mole curarum valetudine adversa corripitur, refovendisque viribus mollitia caeli et salubritate aquarum Sinuessam pergit.

Tum Agrippina, sceleris olim certa et oblatae occasionis propra nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit, ne repentino et praecipiti facinus proderetur; si lentum et tabidum delegisset, ne admotus supremis

p. Ch. 54.

Claudius et dolo intellecto ad amorem filii rediret: exquisitum aliquid placebat, quod turbaret mentem et mortem differret. deligitur artifex talium, vocabulo Locusta, nuper beneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita; eius mulieris ingenio paratum virus, cuius minister e spadonibus fuit Halotus, inferre epulas et explorare gustu solitus: adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum delectabili cibo, *boleto*, venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane Claudii an vinolentia; simul soluta alvus subvenisse videbatur. igitur exterrita Agrippina, et quando ultima timebantur, spreta praesentium invidia, provisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet: ille, tamquam nisus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno inlitam faucibus eius demisisse creditur, haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum praemio.

Vocabatur interim senatus votaue pro incolumitate principis consules et sacerdotes nuncupabant, cum iam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur. iam primum Agrippina, velut dolore victa et solatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, veram paterni oris effigiem appellare ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur; Antoniam quoque et Octaviam, sorores eius, attinuit, et cunctos aditus custodiis clauserat, crebroque vulgabat ire in melius validudinem principis, quo miles bona in spe ageret, tempusque prosperum ex monitis Chaldaeorum adventaret.

Tunc medio diei, tertium ante idus Octobris, foribus palatii repente diductis, comitante Burro Nero egreditur ad cohortem quae more militiae excubiis adest; ibi momente praefecto festis vocibus exceptus inditur lecticae; dubitavisse quosdam ferunt, respectantes rogitanesque ubi Britannicus esset: mox nullo in diversum auctore, quae offerebantur, secuti sunt, illatusque castris Nero et congruentia tempori praefatus, promisso donativo ad exemplum paternae largitionis, imperator consalutatur. sententiam militum secuta patrum consulta, nec dubitatum est apud provincias. caelestesque honores Claudio decernuntur et funeris sollemne perinde ac divo Augusto celebra-

tur, aemulante Agrippina proaviae Liviae magnificentiam; testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus iniuria et invidia animos vulgi turbaret.

CORNELII TACITI

ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER TERTIUS DECIMUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Silanus proconsul Asiae veneno necatus Agrippinae fraude. Narcissus ad mortem actus. 2. laus Burri et Senecae. 3. Claudius censorio funere elatus laudatur a principe. 4. bona Neronis initia. multa senatus arbitrio constituta. 5. Agrippinae viriles curae. 6. Parthi Armeniam affectant. de Nerone varia iudicia vulgi. 7. 8. is curam belli suscipit. Parthi amittunt Armeniam, cui praepositus Corbulo. 9. Vologeses dat obsides. Nero dissidium ducum componit.

10. 11. Nero civiliter agit et clementiam ostentat. 12. 13. Acten amat matre fremente, mox frustra blandiente: cuius hinc fracta potentia. 14. Pallas libertus cura rerum demotus. Agrippina ad minas ruit. 15—17. Britannicum Nero praecipiti veneno tollit et eius funus festinat. 18. matrem indignantem custodibus privat, domum separat. 19—22. derelicta, rerum novarum incusata se purgat. accusatores eius puniti. 23. Pallas et Burrus delati. 24. theatri maior species libertatis data. urbs lustrata.

25. Neronis nocturna lascivia. Montanus cum principe per tenebras congressus mori adactus. histriones Italia pulsi. 26. 27. actum de libertis ingratis in servitatem revocandis, sed non peractum. 28. tribunorum et aedilium cohibita potestas. 29. aerarii cura varie habita. 30. 31. illustrium aliquot damnationes. L. Volusius fato concedit. amphitheatrum Neronis. praesides ludos edere prohibiti. 32. vitae dominorum consultum. Pomponia Graecina, superstitionis externa rea, a marito et propinquis causa cognita insons nuntiatur. 33. rei P. Celer, Cossutianus Capito, Eprius Marcellus.

34. Neronis innohiles pauperes liberalitas. 35. cum Parthis rursus discordia de Armenia. Corbulonis disciplina, virtus, severitas. 36. Paccius Orfitus contra imperium pugnans fususque extra vallum tendere iussus. 37—41. Tiridates bello infestat Armeniam, legatos ad Corbulonem mittit, qui fraudem sibi per colloquium paratam eludit et Armeniae castella capit, Artaxata aggreditur et decedente hoste capit, igne delet. ob haec Neroni et diis honores. 42. 43. P. Suillius reus in Senecam invehitur; deportatur. 44. Octavius

p. Ch. 54.

Sagitta amore vaccors Pontiam tergiversantem ferro transverberat. liberti mira fides.

45. Poppaeam Sabinam amare Nero occipit. istius genus, forma, opes, mores, matrimonia, adulter. 46. eius maritus Otho, ut amoveatur, Lusitaniae praeficitur. 47. Cornelius Sulla, principi suspectus, Massiliam mittitur. 48. Puteolis concordia restituta. 49. denumero gladiatorum Syracusis edendorum disceptatio. Thraseae Paeti sententia. 50. vectigalia contra Neronis impetum retenta. 51. publicanorum iniquitas temperata. 52. proconsules rei absoluti.

53. L. Vetus ope Mosellae et Araris Rhenum cum Oceano iungere parat. obstat Aelii Gracilis invidia. 54. Frisii iuxta Rhenum sedes figere frustra conantur. 55. eosdem agros Ampsivarii occupant fato eodem. 56. Boiocali constantia. Ampsivarii deleti. 57. Chatti ab Hermunduris fere ad exitium gentis caesi. ignes terra editi vix oppressi. 58. ficus Ruminalis.

Gesta haec mensibus quattuor et annis quattuor, imp. Claudio Nerone, L. Antistio Vetere; Q. Volusio, P. Cornelio Scipione; imp. Claudio Nerone II, L. Calpurnio Pisone; imp. Claudio Nerone III, Valerio Messalla coss.

Prima novo principatu mors Iunii Silani, proconsulis Asiae, ignaro Nerone per dolum Agrippinae paratur, non quia ingenii violentia exitium irritaverat, segnis et dominationibus aliis fastiditus, adeo ut C. Caesar pecudem auream eum appellare solitus sit; verum Agrippina fratri eius L. Silano necem molita ultorem metuebat, crebra vulgi fama anteponendum esse vixdum pueritiam egresso Neroni et imperium per scelus adepto virum aetate composita, insontem, nobilem, et quod tunc spectaretur, e Caesarum posteris: quippe et Silanus divi Augusti abnepos erat; haec causa necis. ministri fuere P. Celer, eques Romanus, et Helius libertus, rei familiari principis in Asia impositi; ab his proconsuli venenum inter epulas datum est apertius quam ut fallerent. nec minus properato Narcissus, Claudii libertus, de cuius iurgii adversus Agrippinam retuli, aspera custodia et necessitate extrema ad mortem agitur, invito principe, cuius abditis adhuc vitiis per avaritiam ac prodigientiam mire congruebat: ibaturque 2 in caedes, nisi Afranius Burrus et Annaeus Seneca obviam issent. hi rectores imperatoriae iuventae et, rarum in societate potentiae, concordēs, diversa arte ex aequo pollebant, Burrus militaribus curis et severitate morum,

Seneca praeceptis eloquentiae et comitate honesta, iuantes in vicem, quo facilius lubricam principis aetatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinae, quae cunctis malae dominationis cupidinibus flagrans habebat in partibus Pallantem, quo auctore Claudius nuptiis incestis et adoptione exitiosa semet perverterat; sed neque Neroni infra servos ingenium, et Pallas tristi adrogantia modum liberti egressus taedium sui moverat; propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur, signumque more militiae petenti tribuno dedit „optimae matris;“ decreti et a senatu duo lictores, flaminium Claudiale; simul Claudio censorium funus et mox consecratio.

3 Die funeris laudationem eius princeps exorsus est, dum antiquitatem generis, consulatus ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipse et ceteri; liberalium quoque artium commemoratio et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse pronis animis audita: postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret, ut fuit illi viro ingenium amocnum et temporis eius auribus accommodatum. adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis qui rerum potiti essent Neronem alienae facundiae eguisse: nam dictator Caesar summis oratoribus aemulus; et Augusto prompta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit; Tiberius artem quoque callebat qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus; etiam C. Caesaris turbata mens vim dicendi non corrumpit; nec in Claudio, quotiens meditata dissererentur, elegantiam requireres: Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit: caelare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere; et aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinae ostendebat.

4 Ceterum peractis tristitiae imitamentis curiam ingressus et de auctoritate patrum et consensu militum praefatus, consilia sibi et exempla capessendi egregie imperii memoravit, neque iuventam armis civilibus aut domesticis discordiis inbutam; nulla odia, nullas iniurias nec cupidi-

p. Ch. 54.

nem ultionis afferre; tum formam futuri principatus praescripsit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidia: non enim se negotiorum omnium iudicem fore, ut clausis unam intra domum accusatoribus et reis paucorum potentia grassaretur; nihil in penetibus suis venale aut ambitioni pervium; discretam domum et rem publicam; teneret antiqua munia senatus; consulum tribunalibus Italia et publicae provinciae assisterent; illi patrum aditum praeberent: se mandatis exercitibus consulturum.

Nec defuit fides, multaque arbitrio senatus constituta 5 sunt: ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur; ne designatis quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset, quod quidem adversante Agrippina, tamquam acta Claudii subverterentur, obtinere patres, qui in palatium ob id vocabantur, ut astaret additis a tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret. quin et legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus escendere suggestum imperatoris et praesidere simul parabat, nisi ceteris pavore defixis Seneca admonisset, venienti matri occurreret. ita specie pietatis obviam itum dedecori.

Fine anni turbidis rumoribus prorupisse rursus Par- 6 thos et rapi Armeniam allatum est, pulso Radamisto, qui saepe regni eius potitus, dein profugus, tum quoque bellum deseruerat. igitur in urbe sermonum avida, quemadmodum princeps vix septendecim annos egressus suscipere eam molem aut propulsare posset, quod subsidium in eo, qui a femina regeretur, num proelia quoque et obpugnationes urbium et cetera belli per magistratos administrari possent, anquirebant; contra alii melius evenisse disserunt quam si invalidus senecta et ignavia Claudius militiae ad labores vocaretur, servilibus iussis obtemperaturus: Burrum tamen et Senecam multarum rerum experientia cognitos; et imperatori quantum ad robur deesse, cum octavo decimo aetatis anno Cn. Pompeius, nono decimo Caesar Octavianus civilia bella sustinuerint? pluraque in summa fortuna auspiciis et consiliis quam telis et manibus geri; daturum plane documentum, honestis an secus amicis uteretur, si ducem amota invidia egregium, quam si pecuniosum et gratia subnixum per ambitum deligeret.

7 Haec atque talia vulgantibus, Nero et iuventutem proximam per provincias quaesitam supplendis Orientis legionibus admovere legionesque ipsas propius Armeniam collocari iubet, duosque veteres reges Agrippam et Antiochum expedire copias, quis Parthorum fines ultro intrarent; simul pontes per annem Euphraten iungi; et minorem Armeniam Aristobulo, regionem Sophenen Sohaemo cum insignibus regiis mandat; exortusque in tempore aemulus Vologesi filius Vardanis; et abscessere Armenia Parthi, tanquam differrent bellum.

8 Sed apud senatum omnia in maius celebrata sunt sententia corum qui supplicationes et diebus supplicationum vestem principi triumphalem, utque ovans urbem iniret, effigiesque eius pari magnitudine ac Martis Ultoris eodem in templo censuere, praeter suctam adulationem laeti quod Domitium Corbulonem retinendae Armeniae praeposuerat videbaturque locus virtutibus patefactus. copiae Orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Syriam et legatum eius Quadratum Ummidium remaneret, pars civium sociorumque numerus Corbuloni esset additis cohortibus alisque quae apud Cappadociam hiemabant; socii reges, prout bello conduceret, parere iussi; sed studia corum in Corbulonem promptiora erant. qui ut famae instaret, quae in novis coeptis validissima est, itinere propere confecto, apud Aegeas, civitatem Ciliciae, obvium Quadratum habuit, illuc progressum, ne, si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret, corpore ingens, verbis magnificis et super experientiam sapientiamque etiam specie inanum validus.

9 Ceterum uterque ad Vologesen regem nuntiis monebant: pacem quam bellum mallet datisque obsidibus solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret. et Vologeses, quo bellum ex commodo pararet, an ut aemulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum, accepitque eos centurio Insteius ab Ummidio missus, forte priore de causa adito rege. quod postquam Corbuloni cognitum est, ire praefectum cohortis Arrium Varum et recipere obsides iubet: hinc ortum inter praefectum et centurionem

p. Ch. 54. 55.

iurgium ne diutius externis spectaculo esset, arbitrium rei obsidibus legatisque qui eos ducebant permissum; atque illi recentem gloriam et inclinationem quandam etiam hostium *in* Corbulone praetulere: unde discordia inter duces, querente Ummidio praerepta quae suis consiliis patravisset, testante contra Corbulone non prius conversum regem ad offerendos obsides quam ipse dux bello delectus spes eius ad metum mutaret; Nero quo componeret diversos, sic evulgari iussit: ob res a Quadrato et Corbulone prospere gestas laurum fascibus imperatoriis addi. quae in alios consules egressa coniunxi.

Eodem anno Caesar effigiem Cn. Domitio patri et consularia insignia Asconio Labeoni, quo tutore usus erat, petivit a senatu; sibi que statuas argento vel auro solidas adversus offerentes prohibuit; et quamquam censuissent patres, ut principium anni inciperet mense Decembri, quo ortus erat Nero, veterem religionem kalendarum Ianuariarum inchoando anno retinuit; neque recepti sunt inter reos Carinas Celer senator servo accusante aut Iulius Densus equester, cui favor in Britannicum crimini dabatur.

CLAUDIO NERONE, L. ANTISTIO consulibus cum in acta principum iurarent magistratus, in sua acta collegam Antistium iurare prohibuit, magnis patrum laudibus, ut iuvenilis animus levium quoque rerum gloria sublatus maiores continuaret; secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Messalinae ordine demotum reddidit senatui, clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando quam honesta praeciperet, vel iactandi ingenii, voce principis vulgabat.

Ceterum infracta paulatim potentia matris delapso Nerone in amorem libertae, cui vocabulum Acte fuit, simul assumptis in conscientiam *M. Othone* et Claudio Senecione, adulescentulis decoris, quorum Otho familia consulari, Senecio liberto Caesaris patre genitus, ignara matre, dein frustra obnitente, penitus inreperat per luxum et ambigua secreta, ne senioribus quidem principis amicis adversantibus, muliercula nulla cuiusquam iniuria cupidines principis explente, quando uxore ab Octavia, nobili quidem et probitatis spectatae, fato quodam an quia prae-

valent illicita, abhorrebat; metuebaturque ne in stupra feminarum inlustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur.

- 13 Sed Agrippina libertam aemulam, nurum ancillam, aliaque eundem in modum muliebriter fremere neque paenitentiam filii aut satietatem opperiri, quantoque foediora exprobrabat, acrius accendere, donec vi amoris subactus exueret obsequium in matrem seque Senecae permetteret, ex cuius familiaribus Annaeus Serenus simulatione amoris adversus eandem libertam primas adolescentis cupidines velaverat praebueratque nomen, ut quae princeps furtim mulierculae tribuebat, ille palam largiretur. tum Agrippina versis artibus per blandimenta iuvenem adgredi, suum potius cubiculum ac sinum offerre contegendis quae prima aetas et summa fortuna expeterent; quin et fatebatur intemperatam severitatem et suarum opum, quae haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat, ut nimia nuper coercendo filio, ita rursum intemperanter demissa: quae mutatio neque Neronem fefellit, et proximi amicorum metuebant orabantque cavere insidias mulieris semper atrocis, tum et falsae. forte illis diebus Caesar inspecto ornatu quo principum coniuges ac parentes effulserant, deligit vestem et gemmas misitque donum matri, nulla parsimonia, cum praecipua et cupita aliis prior deferret; sed Agrippina non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri proclamat et dividere filium quae cuncta ex ipsa haberet: nec defuere qui in deterius referrent.

- 14 Et Nero infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum quis a Claudio impositus velut arbitrium regni agebat; ferebaturque degrediente eo magna prosequentium multitudine non absurde dixisse: ire Pallantem, ut eiuraret; sane pepigerat Pallas ne cuius facti in praeteritum interrogaretur paresque rationes cum re publica haberet. praeceps posthac Agrippina ruere ad terrorem et minas, neque principis auribus abstinere quo minus testaretur adultum iam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus et adoptivus per iniurias matris exerceret; non abnuere se quin cuncta infelicis domus mala

p. Ch. 55.

patefierent, suae in primis nuptiae, suum veneficium; id solum diis et sibi provisum quod viveret privignus: ituram cum illo in castra; audiretur hinc Germanici filia, inde vilis rursus Burrus et exul Seneca, trunca scilicet manu et professoria lingua generis humani regimen expostulantes. simul intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare et tot inrita facinora.

Turbatus his Nero et propinquo die, quo quartum de- 15
cimum aetatis annum Britannicus explebat, volutare secum modo matris violentiam, modo ipsius indolem, *levi* quidem experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quaesivisset: festis Saturno diebus inter alia aequalium ludicra regnum lusu sortientium evenerat ea sors Neroni; igitur ceteris diversa nec ruborem allatura: ubi Britannico iussit exurgeret progressusque in medium cantum aliquem inciperet, inrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos ignorantis, ille constanter exorsus est carmen, quo evolutum eum sede patria rebusque summis significabatur. unde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox et lascivia exemerat: Nero intellecta invidia odium intendit, urgentibusque Agrippinae minis, quia nullum crimen neque iubere caedem fratris palam audebat, occulta molitur pararique venenum iubet, ministro Pollione Iulio, praetoriae cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama: nam ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet, olim provisum erat. primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, tramisitque exsoluta alvo parum validum, sive temperamentum inerat ne statim saeviret; sed Nero lenti sceleris inpatiens minitari tribuno, iubere supplicium veneficae, quod dum rumore respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur: promittentibus dein tam praecipitem necem quam si ferro urgeretur, cubiculum Caesaris iuxta decoquitur virus cognitis antea venenis rapidum.

Mos habebatur principum liberos cum ceteris idem aeta- 16
tis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum propria et parciore mensa; illic epulante Britannico, quia cibos

potusque eius delectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est: innoxia adhuc ac praecalida et libata gustu potio traditur Britannico; dein, postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua affunditur venenum, quod ita cunctos eius artus pervasit ut vox pariter et spiritus eius raperentur. trepidatur a circumsedentibus; diffugiunt imprudentes; at quibus altior intellectus, resistunt defixi et Neronem intuentes: ille, ut erat reclinis et nescio similis, solitum ita ait per comitalem morbum, quo prima ab infantia afflicteretur Britannicus, et redituros paulatim visus sensusque. at Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuisse atque Octaviam, sororem Britannici, constiterit: quippe sibi supremum auxilium ereptum et paricidii exemplum intellegebat. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnis affectus abscondere didicerat: ita post breve silentium repetita convivii laetitia.

17 Nox eadem necem Britannici et rogum coniunxit, proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit; in campo tamen Martis sepultus est, adeo turbidis imbribus ut vulgus iram deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique [et]iam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes. tradunt plerique eorum temporum scriptores crebris ante exitium diebus illulum isse pueritiae Britannici Neronem, ut iam non praematura neque saeva mors videri queat, quamvis inter sacra mensae ne tempore quidem ad complexum sororum dato ante oculos inimici properata sit in illum supremum Claudiorum sanguinem, stupro prius quam veneno pollutum. festinationem exsequiarum edicto Caesar defendit, a maioribus institutum referens subtrahere oculis acerba funera neque laudationibus aut pompa detinere: ceterum et sibi amisso fratris auxilio reliquas spes in re publica sitas, et tanto magis fovendum patribus populoque principem, qui unus superesset e familia summum ad fastigium genita.

18 Exin largitione potissimos amicorum auxit: nec defuere qui arguerent viros gravitatem adseverantes, quod

p. Ch. 55.

domos, villas id temporis quasi praedam divisissent; alii necessitatem adhibitam credebant a principe sceleris sibi conscio et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. at matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere, super ingenitam avaritiam undique pecunias quasi in subsidium corripiens: tribunos et centuriones comiter excipere; nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quaereret ducem et partes; cognitum id Neroni, excubiasque militares, quae ut coniugi imperatoris solitum, et matri servabantur, et Germanos nuper eundem in honorem custodes additos degredi iubet; ac ne coetu salutantium frequentaretur, separat domum matremque transfert in eam quae Antoniae fuerat, quotiens ipse illuc ventitaret, saeptus turba centurionum et post breve osculum digrediens.

Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam 19 fama potentiae non sua vi nixae: statim relictum Agrippinae limen; nemo solari, nemo adire praeter paucas feminas, amore an odio incertas, ex quibus erat Iunia Silana, quam matrimonio C. Sili a Messalina depulsam supra rettuli, insignis genere, forma, lascivia et Agrippinae diu percara, mox occultis inter eas offensionibus, quia Sextium Africanum, nobilem iuvenem, a nuptiis Silanae deterruerat Agrippina, inpudicam et vergentem annis dictitans, non ut Africanum sibi seponeret, sed ne opibus et orbitate Silanae maritus poteretur: illa, spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis, Iturium et Calvisium, non vetera et saepius iam audita deferens, quod Britannici mortem lugeret aut Octaviae iniurias evulgaret, sed destinavisse eam Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto, ad res novas extollere coniugioque eius et iam imperio rem publicam rursus invadere: haec Iturius et Calvisius Atimeto, Domitiae, Neronis amitae, liberto, aperiunt, qui laetus oblati — quippe inter Agrippinam et Domitiam infensa aemulatio exercebatur — Paridem histrionem, libertum et ipsum Domitiae, impulit ire propere crimenque atrociter deferre.

Provecta nox erat et Neroni per vinolentiam traheba- 20

tur, cum ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis luxus principis intendere, sed tunc compositus ad maestitiam, expositoque indicii ordine ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere, sed Burrum etiam demovere praefectura destinaret tamquam Agrippinae gratia provectum et vicem reddentem. Fabius Rusticus auctor est scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos mandata ei praetoriarum cohortium cura, sed ope Senecae dignationem Burro retentam; Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt: sane Fabius inclinat ad laudes Senecae, cuius amicitia floruit: nos consensuum auctorum secuturi, quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus. Nero trepidus et interficiendae matris avidus non prius differri potuit quam Burrus necem eius promitteret, si facinoris coargueretur: sed cuiusque, nedum parenti, defensionem tribuendam; nec accusatores adesse, sed vocem unius ex inimica domo afferri; refutare tenebras et vigilatam convivio noctem omniaque temeritati et inscitiae propiora.

- 21 Sic lenito principis metu et luce orta itur ad Agrippinam, ut nosceret obiecta dissolveretque vel poenas lueret: Burrus iis mandatis Seneca coram fungebatur; aderant et ex libertis arbitri sermonis; deinde a Burro, postquam crimina et auctores exposuit, minaciter actum: et Agrippina ferociae memor „non miror“ inquit „Silanam, numquam edito partu, matrum affectus ignotos habere; neque enim proinde a parentibus liberi quam ab inpudica adulteri mutantur; nec si Iturius et Calvisius adesit omnibus fortunis novissimam suscipiendae accusationis operam anui rependunt, ideo aut mihi infamia parricidii aut Caesari conscientia subeunda est: nam Domitiae inimicitii gratias agerem, si benivolentia mecum in Neronem meum certaret: nunc per concubinum Atimetum et histrionem Paridem quasi scenae fabulas componit; Baiarum suarum piscinas extollebat, cum meis consiliis adoptio et proconsulare ius et designatio consulatus et cetera apiscendo imperio praepararentur. at exsistat qui cohortes in urbe temptatas, qui provinciarum fidem labefactatam, denique servos vel libertos ad scelus corruptos arguat! vivere ego Britan-

p. Ch. 55. 56.

nico potiente rerum poteram? ac si Plautus aut quis alius rem publicam iudicaturus obtinuerit, desunt scilicet mihi accusatores, qui non verba impatientia caritatis aliquando incauta, sed ea crimina obiciant, quibus nisi a filio absolvi non possim.“ commotis qui aderant utroque spiritus eius mitigantibus, colloquium filii exposcit, ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret, nec *de* beneficiis, quasi exprobraret, disseruit, sed ultionem in delatores et praemia amicis obtinuit: praefectura annonae *Faenio* Rufo, cura ludorum, 22 qui a Caesare parabantur, *Arruntio* Stellae, *Aegyptus* C. *Balbillo* permittuntur; *Syria* P. *Anteio* destinata, sed variis mox artibus elusus, ad postremum in urbe retentus est: at *Silana* in exilium acta; *Calvisius* quoque et *Iturius* relegantur; de *Atimeto* supplicium sumptum, validiore apud libidines principis *Paride* quam ut poena afficeretur; *Plautus* ad praesens silentio transmissus est.

Deferuntur dehinc consensisse *Pallas* ac *Burrus*, ut 23 *Cornelius Sulla* claritudine generis et adfinitate *Claudii*, cui per nuptias *Antoniae* gener erat, ad imperium vocaretur: eius accusationis auctor extitit *Paetus* quidam, exercendis apud aerarium sectionibus famosus et tum vanitatis manifestus. nec tam grata *Pallantis* innocentia quam gravis superbia fuit: quippe nominatis libertis eius, quos concios haberet, respondit nihil umquam se domi nisi nutu aut manu significasse, vel si plura demonstranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret; *Burrus*, quamvis reus, inter iudices sententiam dixit, exiliumque accusatori inrogatum, et tabulae exustae sunt quibus obliterata aerarii nomina retrahebat.

Fine anni statio cohortis adsidere ludis solita demove- 24 tur, quo maior species libertatis esset, utque miles theatri licentiae non permixtus incorruptior ageret, et plebes daret experimentum, an amotis custodibus modestiam retineret. urbem princeps lustravit ex responso haruspicum, quod *Iovis* ac *Minervae* aedes de caelo tactae erant.

Q. VOLUSIO, P. SCIPIONE consulibus otium foris, foeda 25 domi lascivia, qua *Nero* itinera urbis et lupanaria et diverticula veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat, comitantibus qui raperent venditioni exposita

et obviis vulnera inferrent, adversus ignaros adeo, ut ipse quoque exciperet ictus et ore praeferret; deinde ubi Caesarem esse qui grassaretur pernotuit, augebanturque iniuriae adversus viros feminasque insignes, et quidam permissa semel licentia sub nomine Neronis inulti propriis cum globis eadem exercebant, in modum captivitatis nox agebatur; Iuliusque Montanus senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum principe, quia vi attentantem acriter reppulerat, deinde adgnitum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est. Nero tum metuentior in posterum milites sibi et plerosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica et quasi privata sinerent: si a laesis validius ageretur, arma inferrebant. ludicram quoque licentiam et fautores histrionum velut in proelia convertit impunitate et praemiis atque ipse occultus et plerumque coram prospectans, donec discordi populo et gravioris motus terrore non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia pellerentur milesque theatro rursus adsideret.

26 Per idem tempus actum in senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque ut adversus male meritos revocandae libertatis ius patronis daretur; nec deerant qui censerent; sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe, perscripsere tamen consensum senatus: ille [an] auctor constitutionis fieret, ut inter paucos ei sententiae adversos quibusdam coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse frementibus, ut vine an aequo cum patronis iure agerent [sententiam eorum] consultarent ac verberibus manus ultro intenderent; impetere vel poenam suam dissuadentes; quid enim aliud laeso patrono concessum quam ut centesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum releget? ceteras actiones promiscas et pares esse: tribuendum aliquod telum quod sperni nequeat; nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem, per quod adsecuti sint; at criminum manifestos merito ad servitutem retrahi, ut metu coerceantur quos beneficia non mutavissent.

27 Disserebatur contra: paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere; nihil universorum iuri derogandum: quippe late fustum id corpus; hinc plerumque tribus, decurias,

p. Ch. 56.

ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas; et plurimis equitum, plerisque senatoribus non aliunde originem trahi; si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum; non frustra maiores, cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse; quin et manumittendi duas species institutas, ut relinqueretur paenitentiae aut novo beneficio locus: quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinclo servitutis attingeri: dispiceret quisque merita tardeque concederet quod datum non adimeretur. haec sententia valuit, scripsitque Caesar senatui, privatim expenderent causam libertorum quotiens a patronis arguerentur: in commune nihil derogarent. nec multo post ereptus amitae libertus Paris quasi iure civili, non sine infamia principis, cuius iussu perpetratum ingenuitatis iudicium erat.

Manebat nihilo minus quaedam imago rei publicae: 28
nam inter Vibullium praetorem et plebei tribunum Antistium ortum certamen, quod inmodestos fautores histrionum et a praetore in vincla ductos tribunus omitti iussisset; conprobavere patres, incusata Antistii licentia. simul prohibiti tribuni ius praetorum et consulum praeripere, aut vocare ex Italia cum quibus lege agi posset; addidit L. Piso, designatus consul, ne quid intra domum pro potestate adverterent, neve multam ab iis dictam quaestores aerarii in publicas tabulas ante quattuor menses referrent; medio temporis contra dicere liceret, deque eo consules statuerent. cohibita artius et aedilium potestas statutumque, quantum curules, quantum plebei pignoris caperent vel poenae irrogarent. et Helvidius Priscus, tribunus plebis, adversus Obultronium Sabinum, aerarii quaestorem, contentiones proprias exercuit, tamquam ius hastae adversus inopes inclementer auget; dein princeps curam tabularum publicarum a quaestoribus ad praefectos transtulit.

Varie habita ac saepe mutata eius rei forma: nam Augustus senatui permisit deligere praefectos; deinde ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero praetorum qui praeesent; neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos: tunc Claudius quaestores rursus imposuit, iisque, ne metu offensionum segnius con-

sulerent, extra ordinem honores promisit; sed deerat robur aetatis, cum primum magistratum capessentibus: igitur Nero praetura perfunctos et experientia probatos delegit.

30 **Damnatus** isdem consulibus **Vipsanius Laenas** ob Sardiniam provinciam avare habitam; absolutus **Cestius Proculus** repetundarum, **Cretensibus** accusantibus; **Clodius Quirinalis**, quod praefectus remigum qui **Ravennae** haberentur, velut infimam nationum **Italiam** luxuria saevitiaque afflictavisset, veneno damnationem anteiit. **Caninius Rebilus**, ex primoribus peritia legum et pecuniae magnitudine, cruciatus aegrae senectae misso per venas sanguine effugit, haud creditus sufficere ad constantiam sumendae mortis, ob libidines muliebriter infamis; at **L. Volusius** egregia fama concessit, cui tres et nonaginta anni spatium vivendi praecipuaeque opes bonis artibus, inoffensa tot imperatorum malitia fuit.

31 **NEROSE ITERUM, L. PISONE** consulibus pauca memoria digna evenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud **campum Martis** **Caesar** extruxerat, volumina implere, cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare. ceterum coloniae **Capua** atque **Nuceria** additis veteranis firmatae sunt; plebeiue congiarium quadringeni nummi viritim dati, et sestertium quadringenties aerario inlatum est ad retinendam populi fidem. vectigal quoque quintae et vicesimae venalium mancipiorum remissum, specie magis quam vi, quia, cum venditor pendere iuberetur, in partem pretii emptoribus accrescebat. edixit **Caesar** ne quis magistratus aut procurator, qui provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum aut quod aliud ludicrum ederet; nam ante non minus tali largitione quam corripendis pecuniis subiectos affligebant, dum quae libidine deliquerant, ambitu propugnant.

32 Factum et senatus consultum ultioni iuxta et securitati, ut si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos supplicia penderent. redditur ordini **Lurius Varus** consularis, avaritiae criminibus olim percussus. et **Pomponia Graecina**, insignis femina, **Plautio**, qui ovans

p. Ch. 56. 57.

se de Britannis rettulit, nupta ac superstitionis externae rea, mariti iudicio permissa; isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaue coniugis cognovit insonstem nuntiavit; longa huic Pomponiae aetas et continua tristitia fuit: nam post Iuliam, Drusi filiam, dolo Messalinae interfectam per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi maesto egit, idque illi imperitante Claudio inpune, mox ad gloriam vertit.

Idem annus plures reos habuit, quorum P. Celerem 33 accusante Asia, quia absolvere nequibat Caesar, traxit senecta donec mortem obiret; nam Celer interfecto, ut memoravi, Silano proconsule magnitudine sceleris cetera flagitia obtegebat. Cossutianum Capitonem Cilices detulerant, maculosum foedumque et idem ius audaciae in provincia ratum quod in urbe exercuerat; sed pervicaci accusatione conflictatus postremo defensionem omisit ac lege repetundarum damnatus est. pro Eprio Marcello, a quo Lycii res repetebant, eo usque ambitus praevaluit ut quidam accusatorum eius exilio multarentur, tamquam insonti periculum fecissent.

NERONE TERTIUM consule simul iniit consulatum VALE- 31 RIUS MESSALA, cuius proavum, oratorem Corvinum, divo Augusto, abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse pauci iam senum meminerant; sed nobili familiae honor auctus est oblati in singulos annos quingenis sestertiis, quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoque Cottae et Haterio Antonino annuam pecuniam statuit princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipassent.

Eius anni principio mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum acriter sumitur, quia nec Vologeses sinebat fratrem Tirdaten dati a se regni expertem esse aut alienae id potentiae donum habere, et Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur parta olim a Lucullo Pompeioque recipere. ad hoc Armenii ambigua fide utraque arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores connubiisque permixti, ac libertate ignota illud magis ad servitium inclinantes.

Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum 35

quam contra perfidiam hostium erat: quippe Syria transmotae legiones, pace longa segnes, munia Romanorum aegerrime tolerabant. satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigiliis inissent, vallum fossamque quasi nova et mira viserent, sine galeis, sine loriceis, nitidi et quaeuosi, militia per oppida expleta. igitur dimissis quibus senectus aut valitudo adversa erat, supplementum petiuit. et habiti per Galatiam Cappadociamque dilectus, adiectaque ex Germania legio cum equitibus alariis et peditatu cohortium; retentusque omniscitus exercitus sub pellibus, quamvis hieme saeva adeo ut obducta glacie nisi effossa humus tentoriis locum non praeberet; ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt; adnotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita praeriguisse manus ut oneri adhaerentes truncis brachiis deciderent. ipse cultu leui, capite intecto, in agmine, in laboribus frequens adesse, laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere; dehinc quia duritiam caeli militiaeque multi abnuebant deserebantque, remedium severitate quaesitum est; nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequeretur, sed qui signa reliquerat, statim capite poenas luebat, idque usu salubre et misericordia melius apparuit: quippe pauciores illa castra deseruere quam ea in quibus ignoscebatur.

- 36 Interim Corbulo legionibus intra castra habitis, donec ver adolesceret, dispositisque per idoneos locos cohortibus auxiliariis, ne pugnam priores auderent praedicat; curam praesidiorum Paccio Orfito, primi pili honore perfuncto, mandat. is quamquam incautos barbaros et bene gerendae rei casum offerri scripserat, tenere se munimentis et maiores copias opperiri iubetur; sed rupto imperio, postquam paucae e proximis castellis turmae advenerant pugnamque imperitia poscebant, congressus cum hoste funditur, et damno eius exterriti qui subsidium ferre debuerant, sua quisque in castra trepida fuga rediere. quod graviter Corbulo accepit increpitumque Paccium et praefectos militesque tendere extra vallum iussit; inque ea contumelia detenti nec nisi precibus universi exercitus exsoluti sunt.

p. Ch. 58.

At Tiridates, super proprias clientelas ope Vologesi 37
 fratris adiutus, non furtim iam sed palam bello inferre
 Armeniam, quosque fidos nobis rebatur, depopulari, si
 copiae contra ducerentur, eludere, hucque et illuc volitans
 plura fama quam pugna exterrere. igitur Corbulo quaesito
 diu proelio frustra habitus et exemplo hostium circumferre
 bellum coactus, dispertit vires, ut legati praefectique di-
 versos locos pariter invaderent; simul regem Antiochum
 monet proximas sibi praefecturas petere; nam Pharsma-
 nes interfecto filio Radamisto quasi proditore, quo fidem
 in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium prom-
 ptius exercebat; tuncque primum illecti Moschi, gens ante
 alias socia Romanis, avia Armeniae incurravit: ita consilia
 Tiridati in contrarium vertebant, mittebatque oratores
 qui suo Parthorumque nomine exostularent, cur datis nup-
 per obsidibus redintegrataque anicitia, quae novis quo-
 que beneficiis locum aperiret, vetere Armeniae possessione
 depelleretur; ideo nondum ipsum Vologesen commotum,
 quia causa quam vi agere mallent: sin perstaretur in bello,
 non defore Arsacidis virtutem fortunamque saepius iam
 clade Romana expertam. ad ea Corbulo, satis comperto
 Vologesen defectione Hyrcaniae attineri, suadet Tiridati
 precibus Caesarem aggredi: posse illi regnum stabile et
 res incruentas contingere, si omissa spe longinqua et sera
 praesentem potiolemque sequeretur.

Placitum dehinc, quia commeantibus in vicem nuntiis 38
 nihil in summam pacis proficiebatur, colloquio ipsorum
 tempus locumque destinari; mille equitum praesidium Ti-
 ridates affere sibi dicebat: quantum Corbuloni cuiusque
 generis militum assisteret, non statuere, dum positis lori-
 cis et galeis in faciem pacis veniretur. cuicumque morta-
 lium, nedum veteri et provido duci, barbarae astutiae pa-
 tuissent: ideo artum inde numerum finiri et hinc maiorem
 offerri, ut dolus pararetur; nam equiti sagittarum usu exer-
 cito si detecta corpora obicerentur, nihil profuturam mul-
 titudinem. dissimulato tamen intellectu, rectius de iis quae
 in publicum consulerentur, totis exercitibus coram disser-
 tatos respondit, locumque delegit cuius pars altera col-
 les erant clementer adsurgentes accipiendis peditum ordi-

nibus; pars in planitiem porrigebatur ad explicandas equitum turmas. dieque pacto prior Corbulo socias cohortes et auxilia regum pro cornibus, medio sextam legionem constituit, cui accita per noctem aliis ex castris tria milia tertianorum permiscuerat, una cum aquila, quasi eadem legio spectaretur. Tiridates vergente iam die procul adstitit, unde videri magis quam audiri posset: ita sine congressu dux Romanus abscedere militem sua quemque in castra iubet.

39 Rex sive fraudem suspectans, quia plura simul in loca ibatur, sive ut commeatus nostros Pontico mari et Trapezunte oppido adventantes interciperet, propere discedit; sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur praesidiis nostris insessos, et Corbulo, ne irritum bellum traheretur utque Armenios ad sua defendenda cogeret, excindere parat castella, sibi que quod validissimum in ea praefectura, cognomento Volandum, sumit; minora Cornelio Flacco legato et Insteio Capitoni, castrorum praefecto, mandat. tum circumspectis munimentis, et quae expugnationi idonea provisus, hortatur milites ut hostem vagum neque paci aut proelio paratum, sed perfidiam et ignaviam fuga confitentem exuerent sedibus gloriaeque pariter et praedae consulerent. tum quadripertito exercitu hos in testudinem conglobatos subrucendo vallo inducit, alios scalas moenibus admovere, multos tormentis faces et hastas incutere iubet; libritoribus funditoribusque attributus locus unde eminus glandes torquerent, ne qua pars subsidium laborantibus ferret pari undique metu. tantus inde ardor certantis exercitus fuit ut intra tertiam diei partem nudati propugnatoribus muri, obices portarum subversi, capta escensu munimenta omnesque puberes trucidati sint, nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis; et inbelle vulgus sub corona venundatum, reliqua praeda victoribus cessit. pari fortuna legatus ac praefectus usi sunt; tribusque una die castellis expugnatiss cetera terrore et alia sponte incolarum in deditionem veniebant. unde orta fiducia caput gentis Artaxata aggrediendi; nec tamen proximo itinere ductae legiones, quae si amnem Araxen, qui moenia alluit, ponte transgrede-

p. Ch. 58.

rentur, sub ictum dabantur: procul et latioribus vadis transiere.

At Tiridates pudore et metu, ne si concessisset obsi- 40
dioni, nihil opis in ipso videretur, si prohiberet, inpeditis
locis seque et equestres copias illigaret, statuit postremo
ostendere aciem et dato die proelium incipere vel simula-
tione fugae locum fraudi parare; igitur repente agmen Ro-
manum circumfundit, non ignaro duce nostro, qui viae pa-
riter et pugnae composuerat exercitum: latere dextro tertia
legio, sinistro sexta incedeabat, mediis decimanorum de-
lectis; recepta inter ordines impedimenta, et tergem mille
equites tuebantur, quibus iusserat ut instantibus commi-
nus resisterent, refugos non sequerentur; in cornibus pe-
des sagittarius et cetera manus equitum ibat, productiore
cornu sinistro per ima collium, ut si hostis intravisset,
fronte simul et sinu exciperetur. adsultare ex diverso Ti-
ridates, non usque ad ictum teli, sed tum minitans, tum
specie trepidantis, si laxare ordines et diversos consecari
posset. ubi nihil temeritate solutum, nec amplius quam
decurio equitum audentius progressus et sagittis confixus
ceteros ad obsequium exemplo firmaverat, propinquis iam
tenebris abscessit. et Corbulo castra in loco metatus, an 41
expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret obsidioque
circumdaret agitavit, concessisse illuc Tiridaten ratus; dein
postquam exploratores attulere longinquum regis iter et
Medi an Albani peterentur incertum, lucem opperitur,
praemissaque levis armatura, quae muros interim ambiret
oppugnationemque eminus inciperet. sed oppidani portis
sponte patefactis se suaque Romanis permisere, quod sa-
lutem ipsis tulit: Artaxatis ignis inmissus, deletaque et
solo aequata sunt, quia nec teneri sine valido praesidio
ob magnitudinem moenium, nec id nobis virium erat quod
firmando praesidio et capessendo bello divideretur, vel si
integra et incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas
aut gloria quod capta essent. adicitur miraculum velut nu-
mine oblatum: nam cuncta extra, tecto hactenus sole, re-
pente illustria fuere; quod moenibus cingebatur, ita atra
nube coopertum fulgoribusque discretum est, ut quasi in-
fensantibus deis exitio tradi crederetur.

Ob haec consalutatus imperator Nero, et senatus consulto supplicationes habitae, statuaeque et arcus et continui consulatus principi, utque inter festos referretur dies quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset, aliaque in eandem formam decernuntur, adeo modum egressa ut C. Cassius de ceteris honoribus adsensus, si pro benignitate fortunae dis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere disseruerit, eo-que oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis divina colerent et humana non impedirent.

- 42 Variis deinde casibus iactatus et multorum odia meritus reus haud tamen sine invidia Senecae damnatur; is fuit Publius Suillius, imperitante Claudio terribilis ac venalis, et mutatione temporum non quantum inimici cupere demissus, quique se nocentem videri quam supplicem mallet; eius opprimendi gratia repetitum credebatur senatus consultum poenaeque Cinciae legis adversum eos qui pretio causas oravissent. nec Suillius questu aut exprobratione abstinebat, praeter ferociam animi extrema senecta liber et Senecam increpans infensum amicis Claudii, sub quo iustissimum exilium pertulisset; simul studiis inertibus et iuvenum inperitiae suetum vivere iis qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent; se quaestorem Germanici, illum domus eius adulterum fuisse: an gravius aestimandum sponte litigatoris praemium honestae operae assequi, quam corrumpere cubicula principum feminarum? qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae ter milies sestertium paravisset? Romae testamenta et orbos velut indagine eius capi, Italiam et provincias immenso fenore hauriri: at sibi labore quaesitam et modicam pecuniam esse; crimen, periculum, omnia potius toleraturum quam veterem ac domi partam dignationem subitae felicitati submitteret.

- 43 Nec deerant qui haec isdem verbis aut versa in deterius Senecae deferrent; repertique accusatores direptos socios, cum Suillius provinciam Asiam regeret, ac publicae pecuniae peculatum detulerant. mox quia inquisitionem annuam impetraverant, brevius visum urbana crimina incipi,

p. Ch. 58.

quorum obvii testes erant. ii acerbitate accusationis Q. Pomponium ad necessitatem belli civilis detrusum, Iuliam, Drusi filiam, Sabinamque Poppaeam ad mortem actas, et Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, Cornelium Lupum circumventos; iam equitum Romanorum agmina damnata, omnemque Claudii saevitiam Suillio obiectabant. ille nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse defendebat, donec eam orationem Caesar cohibuit, comperit sibi referens ex commentariis patris sui nullam cuiusquam accusationem ab eo coactam. tum iussa Messalinae praetendi et labare defensio: cur enim neminem alium delectum qui saevienti impudicae vocem praerberet? puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti scelera ipsa aliis delegent. igitur adempta bonorum parte — nam filio et nepti pars concedebatur eximebanturque etiam quae testamento matris aut aviae acceperant — in insulas Baleares pellitur, non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo; ferebaturque copiosa et molli vita secretum illud toleravisse. filium eius Nerullinum aggressis accusatoribus per invidiam patris et crimina repetundarum, intercessit princeps tamquam satis expleta ultione.

Per idem tempus Octavius Sagitta, plebei tribunus, 44 Pontiae, mulieris nuptae, amore vecors, ingentibus donis adulterium et mox, ut omitteret maritum, emercatur, suum matrimonium promittens ac nuptias eius pactus. sed ubi mulier vacua fuit, nectere moras, adversam patris voluntatem causari repertaque spe ditioris coniugis promissa exuere. Octavius contra modo conqueri modo minitari, famam perditam, pecuniam exhaustam obtestans, denique salutem, quae sola reliqua esset, arbitrio eius permittens; ac postquam spernebatur, noctem unam ad solatium poscit, qua delentis modum in posterum adhiberet. statuitur nox, et Pontia consciae ancillae custodiam cubiculi mandat; ille uno cum liberto ferrum veste occultum infert. tum, ut adsolet in amore et ira, iurgia, preces, exprobratio, satisfactio, et pars tenebrarum libidini seposita; ex qua incensus nihil metuentem ferro transverberat et accurrentem ancillam vulnere absterret cubiculoque prorumpit. postera die manifesta caedes, haud ambiguus percussor;

quippe mansitasse una convincebatur; sed libertus suum illud facinus profiteri, se patroni iniurias ultum esse. commoveratque quosdam magnitudine exempli, donec ancilla ex vulnere resecta verum aperuit; postulatusque apud consules a patre interfectae, postquam tribunatu abierat, sententia patrum et lege de sicariis condemnatur.

- 45 Non minus insignis eo anno inpudicitia magnorum rei publicae malorum initium fecit. erat in civitate Sabina Poppaea, T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat, illustri memoria Poppaei Sabini, consulari et triumphali decore praefulgentis; nam Ollium honoribus nondum functum amicitia Seiani pervertit. huic mulieri cuncta alia fuere praeter honestum animum: quippe mater eius, aetatis suae feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat; opes claritudini generis sufficiebant; sermo comis, nec absurdum ingenium; modestiam praeferre et lascivia uti; rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat; famae numquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens neque affectui suo aut alieno obnoxia: unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. igitur agentem eam in matrimonio Rufii Crispini, equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit iuventa ac luxu et quia flagrantissimus in amicitia Neronis habebatur; nec mora quin adulterio matrimonium iungeretur.

- 46 Otho sive amore incautus laudare formam elegantiamque uxoris apud principem, sive ut accenderet ac, si eadem femina poterentur, id quoque vinculum potentiam ei adiceret. saepe auditus est consurgens e convivio Caesaris, seque ire ad illam sibi concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium et gaudia felicitum. his atque talibus irritamentis non longa cunctatio interponitur, sed accepto aditu Poppaea primum per blandimenta et artes valescere, imparem cupidini se et forma Neronis captam simulans; mox acri iam principis amore ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, nuptam esse se dictitans, nec posse matrimonium amittere, devinctam Othoni per genus vitae, quod nemo adaequaret: illum animo et cultu magnificentum; ibi se summa

p. Ch. 58.

fortuna digna visere: at Neronem, paelice ancilla et adsuetudine Actes devinctum, nihil e contubernio servili nisi abiectum et sordidum traxisse, deicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu Otho, et ad postremum, ne in urbe aemulatus ageret, provinciae Lusitaniae praeficitur; ubi usque ad civilia arma non ex priore infamia sed integre sancteque egit, procax otii et potestatis temperantior.

Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quae-
sivit: suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors in- 47
genium eius in contrarium trahens callidumque et simula-
torem interpretando; quem metum Graptus, ex libertis
Caesaris, usu et senecta Tiberio abusque domum princi-
pum edoctus, tali mendacio intendit: pons Mulvius in eo
tempore celebris nocturnis inlecebris erat ventitabatque illuc
Nero, quo solutius urbem extra lasciviret; igitur regre-
dienti per viam Flaminiam compositas insidias fatoque evi-
tatas, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos re-
meaverit, auctoremque eius doli Sullam ementitur, quia
forte redeuntibus ministris principis quidam per juvenilem
licentiam, quae tunc passim exercebatur, inanem metum
fecerant. neque servorum quisquam neque clientium Sul-
lae adgnitus, maximeque despecta et nullius ausi capax
natura eius a crimine abhorrebat: proinde tamen quasi
convictus esset, cedere patria et Massiliensium moenibus
coerceri iubetur.

Isdem consulibus auditae Puteolanorum legationes, quas 48
diversas ordo, plebs ad senatum miserant, illi vim multi-
tudinis, hi magistratum et primi cuiusque avaritiam in-
crepantes, eaque seditio ad saxa et minas ignium progressa
ne necem et arma proliceret, C. Cassius adhibendo reme-
dio delectus; quia severitatem eius non tolerabant, pre-
cante ipso ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data
cohorte praetoria, cuius terrore et paucorum supplicio re-
diit oppidanis concordia.

Non referrem vulgavissimum senatus consultum, quo 49
civitati Syracusanorum egredi numerum edendis gladiatoribus
finitum permittebatur, nisi Paetus Thrasea contra dixisset
praebuissetque materiem obtrectatoribus arguendae sententiae:
cur enim, si rem publicam egere libertate senato-

ria crederet, tam levia consecraretur? quin de bello aut pace, de vectigalibus et legibus, quibusque aliis Romana continentur, suaderet dissuaderetve? licere patribus, quotiens ius dicendae sententiae accepissent, quae vellent expromere relationemque in ea postulare: an solum emendatione dignum ne Syracusis spectacula largius ederentur, cetera per omnes imperii partes perinde egregia quam si non Nero sed Thrasea regimen eorum teneret? quod si summa dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum! Thrasea contra, rationem poscentibus amicis, non praesentium ignarum respondebat eiusmodi consulta corrigere, sed patrum honori dare, ut manifestum fieret magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent.

- 50 Eodem anno crebris populi flagitationibus, immodestiam publicanorum arguentis, dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet idque pulcherrimum donum generi mortalium daret; sed impetum eius, multum prius laudata magnitudine animi, attinuerunt senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus quibus res publica sustineretur deminuerentur: quippe sublatis portoriis sequens, ut tributorum abolitio expostularetur; plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebis constitutas acri etiam tum populi Romani libertate; reliqua mox ita provisa ut ratio quaestuum et necessitas erogationum inter se congruerent. temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerata novis acerbitatibus ad
- 51 invidiam verterent. ergo edixit princeps ut leges cuiusque publici, occultae ad id tempus, proscriberentur; omissas petitiones non ultra annum resumerent; Romae praetor, per provincias, qui pro praetore aut consule essent, iura adversus publicanos extra ordinem redderent; militibus immunitas servaretur, nisi in his quae veno exercerent; aliaque admodum aequa, quae brevi servata, dein frustra habita sunt; manet tamen abolitio quadragesimae quinquagesimaeque, et quae alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant. temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio; et ne censibus negotiatorum naves ascriberentur tributumque pro illis penderent, constitutum.

p. Ch. 58.

Reos ex provincia Africa, qui proconsulare imperium 52 illic habuerant, Sulpicium Camerinum et Pomponium Silvanum absolvit Caesar, Camerinum adversus privatos et paucos, saevitiae magis quam captarum pecuniarum crimina obicientes: Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat poscebatque tempus evocandorum testium; reus ilico defendi postulabat, valuitque pecuniosa orbitate et senecta, quam ultra vitam eorum produxit quorum ambitu evaserat.

Quietae ad id tempus res in Germania fuerant, ingenio 53 ducum, qui pervulgatis triumphi insignibus maius ex eo decus sperabant, si pacem continuavissent: Paulinus Pompeius et L. Vetus ea tempestate exercitui praecerant: ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres et sexaginta annos a Druso aggerem coercendo Rheno absolvit, Vetus Mosellam atque *Ararim* facta inter utrumque fossa connectere parabat, ut copiae per mare, dein Rhodano et Arare subvectae, per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum, exim Oceanum decurrerent sublatisque itineris difficultatibus navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque litora fierent. invidit operi Aelius Gracilis, Belgicae legatus, deterrendo Veterem ne legiones alienae provinciae inferret studiaque Galliarum affectaret, formidolosum id imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti.

Ceterum continuo exercituum otio fama incessit ere- 54 ptum ius legatis ducendi in hostem, eoque Frisii iuventutem saltibus aut paludibus, inbellem aetatem per lacus admove-re ripae, agrosque vacuos et militum usui sepositos insedere, auctore Verrito et Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur. iamque fixerant domos, semina arvis intulerant utque patrium solum exercebant, cum Dubius Avitus, accepta a Paulino provincia, minitendo vim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos aut novam sedem a Caesare inpetrarent, perpulit Verritum et Malorigem preces suscipere. profectique Romanam dum aliis curis intentum Neronem opperiantur, inter ea quae barbaris ostentantur intravere Pompei theatrum, quo magnitudinem populi viserent. illic per otium — neque

enim ludicris ignari oblectabantur — dum consessum cavcae, discrimina ordinum, quis eques, ubi senatus percontantur, advertere quosdam cultu externo in sedibus senatorum; et quinam forent rogitanes, postquam audiverant earum gentium legatis id honoris datum, quae virtute et amicitia Romana praecellerent, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse exclamant, degrediunturque et inter patres considunt. quod comiter a visentibus exceptum, quasi impetus antiqui et bona aemulatione; Nero civitate Romana ambos donavit, Frisios decedere agris iussit. atque illis aspernantibus auxiliaris eques repente immisissus necessitatem attulit, captis caesisve qui pervicacius restiterant.

- 55 Eosdem agros Ampsivarii occupavere, validior gens non modo sua copia, sed adiacentium populorum miseratione, quia pulsi a Chaucis et sedis inopes tutum exilium orabant, aderatque iis clarus per illas gentes et nobis quoque fidus, nomine Boiocalus, vinctum se rebellione Cherusca iussu Arminii referens, mox Tiberio, Germanico ducibus stipendia meruisse, et quinquaginta annorum obsequio id quoque adiungere, quod gentem suam dicioni nostrae subiceret. quo tantam partem campi iacere, in quam pecora et armenta militum aliquando transmitterentur! servarent sane receptus gregibus inter hominum famem, modo ne vastitatem et solitudinem mallet quam amicos populos. Chamavorum quondam ea arva, mox Tubantum et post Usiporum fuisse. sicuti caelum deis, ita terras generi mortalium datas; quaeque vacuae, eas publicas esse. solem deinde suspiciens et cetera sidera vocans, quasi coram interrogabat, vellentne contueri inane solum? potius mare superfunderent adversus terrarum ere-
- 56 ptiores. et commotus his Avitus: patienda meliorum imperia; id dis quos inplorarent placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent, neque alios iudices quam se ipsos paterentur. haec in publicum Ampsivariis respondit, ipsi Boiocalo ob memoriam amicitiae daturum agros; quod ille ut proditionis pretium aspernatus, addidit „desse nobis terra in vitam: in qua moriamur, non potest.“ atque ita infensis utrimque animis discessum: illi Bructeros, Tencteros, ultiores etiam na-

p. Ch. 58.

tiones socias bello vocabant; Avitus scripto ad Curtilium Manciam, superioris exercitus legatum, ut Rhenum transgressus arma a tergo ostenderet, ipse legiones in agrum Tencterum induxit, excidium minitans, ni causam suam dissociarent. igitur absistentibus his pari metu exterriti Bructeri; et ceteris quoque aliena pericula defendentibus sola Ampsivariorum gens retro ad Usipos et Tubantes concessit, quorum terris exacti cum Chattos, dein Cheruscos petissent, errore longo hospites, egeni, hostes, in alieno, quod iuventutis erat, caeduntur; inbellis aetas in praedam divisa est.

Eadem aestate inter Hermunduros Chattosque certa- 57
tum magno proelio, dum flumen gignendo sale fecundum et conterminum vi trahunt, super libidinem cuncta armis agendi religione insita, eos maxime locos propinquare caelo precesque mortalium a deis nusquam propius audiri; inde indulgentia numinum illo in amne illisque silvis salem provenire, non ut alias apud gentes eluvie maris arescente unda, sed super ardentem arborum struem fusa ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis, concretum. sed bellum Hermunduris prosperum, Chattis exitiosius fuit, quia victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur. et minae quidem hostiles in ipsos vertebant: sed civitas Ubiorum socia nobis malo improviso afflicta est; nam ignes terra editi villas, arva, vicos passim corripiebant ferebanturque in ipsa conditae nuper coloniae moenia neque extinguere poterant, non si imbres caderent, non fluvialibus aquis aut quo alio humore, donec inopia remedii et iracundis agrastes quidam eminus saxa iacere, dein resistentibus flammis propius suggesti ictu fustium aliisque verberibus ut feras absterrebant; postremo tegmina corpori derepta iniciunt, quanto magis profana et usu polluta, tanto magis oppressura ignes.

Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quae octin- 58
gentos et quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est, donec in novos fetus revivisceret.

CORNELII TACITI
A N N A L I U M

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER QUARTUS DECIMUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Nero matris caedem agitat incitante Poppaea. 2. Agrippina incestum temptat, an Nero potius. 3. de caede matris deliberat Nero. Aniceti consilium. 4. Agrippinae cum Nerone scelus celante convivium. 5. in mare deiecta aegre evadit. Acerronia remis conficitur. 6. Agrippina dissimulat. 7. 8. Nero trepidat, cum Burro et Seneca deliberat. Anicetus caedem Agrippinae suscipit et perpetrat. 9. Agrippinae viles exsequiae. 10. Nero conscientia vaccoris adulatione erigitur. 11. litteris ad senatum matrem etiam post fata criminatur. 12. senatus turpiter adulatur. Thrasea Paetus virum se praestat. Nero mite ingenium affectat.

13. Urbem intrat anxius; blanditias expertus in omnes libidines se effundit. 14. citharoedus, auriga, nobiles ad paria flagitia adigit. 15. Juvenalia. Nero in scena. Augustanos conscribit. 16. carmina pangit. philosophos ridet. 17. caedes inter Nuceros et Pompeianos occasione gladiatorii spectaculi. 18. Blaesus damnatur. Strabo absolvitur. 19. mors Domitii Afri, M. Servilii. 20. 21. quinquennale ludicrum Romae. varia de ludis fama; eorum vituperia, laudes et excusatio. Nero eloquentiae victor. 22. portentis commotus Rubellium Plautum in exilium agit.

23. Corbulo Mardorum latrocinia punit. 24. percussorem vitat, Tigranocerta capit. 25. Hyrcanos in societatem recipit. 26. Tiridaten arcet ab Armenia, quam tradit Tigrani. Syriae praeficitur. 27. Puteoli, Tarentum, Antium coloniae. 28. comitia praetoria. Vibius damnatus.

29. 30. Clades Britannica. Suetonius Monam invadit, incolas domat. 31—33. Iceni Boudicca duce et Trinobantes rebellant, Camulodunum expugnant, Petilium Cerialem cum nona legione fundunt, a Suetonio desertum Londinium et Verulamium spoliunt, cives et socios Romanorum trucidant. 34—37. Boudiccam ferocientem superat Suetonius. ipsa veneno vitam finit. Poenius Postumus gladio se transigit. 38. Classicianus Suetonio discors res turbat. 39. missus Polycletus hostibus est irrisui. Suetonio Petronius Turpilianus successor datus.

40. 41. Ob falsum testamentum damnati. 42. Pedanius Secundus urbis praefectus a servis caesus. 43—45. in eos lege agi vult C. Cassius et contra aliorum sententiam obtinet. populum supplicio

p. Ch. 59.

renitentem Nero increpat. 46. Tarquitius Priscus damnatus. census per Gallias actus. 47. mors et laus Memmii Reguli. 48. 49. Antistius maiestatis delatus, a Thrasea defensus. 50. Fabricius Viento calumniae reus Italia pellitur.

51. Burri mors, laus, successores Rufus et Tigellinus. 52—56. criminationes discutere parat Seneca apud Caesarem et comeatum petit: qui subdole respondet.

57—59. Rufum imminuit Tigellinus, Plauto et Sullae periculum struit; eos opprimit.

60. 61. Nero ducta Poppaea Octaviam amolitur. tum hanc reycari falso laetatur populus. Poppaeae mox honos repositus. eius doli. 62—64. Aniceti scelere Octavia in exilium pulsa necatur in Pandateria. temporum infelicitas. 65. liberos Doryphorum et Pallantem veneno tollit Nero. Seneca incusatur. Piso Neroni insidiatur.

Gesta haec annis circiter quattuor, C. Vipstano, C. Fonteio Capitone; imp. Nerone IV, Cossu Cornelio Lentulo; C. Caesonio Paeto, C. Petronio Turpiliano; P. Mario Celso, L. Asinio Gallo coss.

GAIO VIPSTANO, C. FONTEIO consulibus diu meditatam 1
 scelus non ultra Nero distulit, vetustate imperii coalita audacia et flagrantior in dies amore Poppaeae, quae sibi matrimonium et discidium Octaviae incolumi Agrippina haud sperans, crebris criminationibus, aliquando per facetias incusare principem et pupillum vocare, qui iussis alienis obnoxius non modo imperii sed libertatis etiam indigeret: cur enim differri nuptias suas? formam scilicet displicere et triumphales avos; an fecunditatem et verum animum? timeri ne uxor saltem iniurias patrum, iram populi adversus superbiam avaritiamque matris aperiat. quod si nurum Agrippina non nisi filio infestam ferre posset, redderetur ipsa Othonis coniugio; ituram quoque terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris quam viseret, periculis eius inmixa. haec atque talia lacrimis et arte adulterae penetrantia nemo prohibebat, cupientibus cunctis infringi potentiam matris et credente nullo usque ad caedem eius duratura filii odia.

Tradit Cluvius ardore retinendae Agrippinam potentiae 2
 eo usque provectam ut medio diei, cum id temporis Nero per vinum et epulas incalesceret, offerret se saepius temulento comptam et incesto paratam, iamque lasciva oscula et praenuntias flagitii blanditias adnotantibus proximis, Senecam contra muliebres inlecebras subsidium a fe-

mina petivisse, inmissamque Acten libertam, quae simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Rusticus non Agrippinae sed Neroni cupitum id memorat eiusdemque libertae astu disiectum: sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, et fama huc inclinat, seu concepit animo tantum inmanitatis Agrippina, seu credibilior novae libidinis meditatio in ea visa est, quae puellaribus annis stuprum cum Lepido spe dominationis admiserat, pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta et exercita ad omne flagitium patrum nuptiis.

3 Igitur Nero vitare secretos eius congressus, abscedentem in hortos aut Tusculanum vel Antiatem in agrum laudare, quod otium capesseret: postremo, ubicumque haberetur, praegravem ratus, interficere constituit, hactenus consultans, veneno an ferro vel qua alia vi; placuitque primo venenum; sed inter epulas principis si daretur, referri ad casum non poterat tali iam Britannici exitio; et ministros temptare arduum videbatur mulieris usu scelerum adversus insidias intentae; atque ipsa praesumendo remedia munierat corpus. ferrum et caedes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat, et ne quis illi tanto facinori delectus iussa sperneret, metuebant. obtulit ingenium Anicetus libertus, classi apud Misenum praefectus et pueritiae Neronis educator ac mutuis odiis Agrippinae invisus; ergo navem posse componi docet, cuius pars ipso in mari per artem soluta effunderet ignaram: nihil tam capax fortuitorum quam mare; et si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum ut scelere adsignet quod venti et fluctus deliquerint? additurum principem defunctae templum et aras et cetera ostentandae pietati.

4 Placuit sollertia tempore etiam iuta, quando Quinquatrum festos dies apud Baias frequentabat; illuc matrem elicit, ferendas parentium iracundias et placandum animum dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret acciperetque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia. venientem dehinc obvius in litora — nam Antio adventabat — exceptit manu et complexu ducitque Baulos:

p. Ch. 59.

id villae nomen est quae promontorium Misenum inter et Baianum lacum flexo mari alluitur: stabat inter alias navis ornatior, tamquam id quoque honori matris daretur; quippe sueverat triremi et classiariorum remigio vehi; ac tum invitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur. satis constitit extitisse proditorem, et Agrippinam auditis insidiis, an crederet ambiguam, gestamine scellae *Baias* pervectam. ibi blandimentum sublevavit metum: comiter excepta superque ipsum collocata; tum pluribus sermonibus modo familiaritate iuveni Nero et rursus adductus, quasi seria consociaret, tracto in longum convictu, prosequitur abeuntem, artius oculis et pectori haerens, sive explenda simulatione, seu periturae matris supremus aspectus quamvis ferum animum retinebat.

Noctem sideribus illustrem et placido mari quietam 5 quasi convincendum ad scelus dii praebuere; nec multum erat progressa navis, duobus e numero familiarium Agrippinam comitantibus, ex quis Crepereius Gallus haud procul gubernaculis astabat, Acerronia super pedes cubitantis reclinis paenitentiam filii et recuperatam matris gratiam per gaudium memorabat, cum dato signo ruere tectum *tholi* multo plumbo grave; pressusque Crepereius et statim exanimatus est. Agrippina et Acerronia eminentibus lecti parietibus ac forte validioribus quam ut oneri cederent protectae sunt; nec dissolutio navigii sequebatur, turbatis omnibus et quod plerique ignari etiam conscios impediabant. visum dehinc remigibus unum in latus inclinare atque ita navem submergere; sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus, et alii contra nitentes dedere facultatem lenioris in mare iactus. verum Acerronia, imprudentia dum se Agrippinam esse utque subveniretur matri principis clamitat, contis et remis et quae fors obtulerat navalibus telis conficitur. Agrippina silens, eoque minus agnita, unum tamen vulnus humero excepit: nando, deinde occursum lenunculorum Lucrinum in lacum vecta villae suae infertur.

Illic reputans ideo se fallacibus litteris accitam et ho- 6nore praecipuo habitam, quodque litus iuxta, non ventis acta, non saxis impulsa navis summa sui parte veluti ter-

restre machinamentum concidisset, observans etiam Aceroniac necem, simul suum vulnus aspiciens: solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur: misitque libertum Agerinum, qui nuntiaret filio benignitate deum et fortuna eius evasisse gravem casum; orare ut quamvis periculo matris exterritus visendi curam differret: sibi ad praesens quiete opus. atque interim, securitate simulata, medicamina vulneri et fomenta corpori adhibet; testamentum Acerroniae requiri bonaque obsignari iubet, id tantum non per simulationem.

- 7 At Neroni nuntios patrati facinoris opperienti affertur evasisse ictu levi sauciam et hactenus adito discrimine ne auctor dubitaretur: tum pavore exanimis et iam iamque affore obtestans vindictae properam, sive servitia armaret vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus et interfectos amicos obiciendo: quod contra subsidium sibi? nisi quid Burrus et Seneca expedirent; — quos statim acciverat, incertum an et ante ignaros. igitur longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent, an eo descensum credebant *ut*, nisi praeveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset. post Seneca hactenus promptius, *ut* respiceret Burrum ac [si] sciscitaretur an militi imperanda caedes esset. ille praetorianos toti Caesarum domui obstrictos memoresque Germanici nihil adversus progeniem eius atrox ausuros respondit: perpetraret Anicetus promissa. qui nihil cunctatus poscit summam sceleris. ad eam vocem Nero illo sibi die dari imperium auctoremque tanti muneris libertum profitetur: iret propere duceretque promptissimos ad iussa. ipse audito venisse missu Agrippinae nuntium Agerinum, scenam ultro criminis parat, gladiumque, dum mandata perfert, abicit inter pedes eius, tum quasi deprehenso vincla iniici iubet, ut exitium principis molitam matrem et pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisse confingeret.
- 8 Interim vulgato Agrippinae periculo, quasi casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus; hi molium obiectus, hi proximas scaphas scandere; alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare; quidam manus protendere; questibus, votis, clamore diversa rogitantium aut incerta

p. Ch. 59.

respondentium omnis ora compleri; adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire, donec aspectu armati et minitantis agminis disiecti sunt. Anicetus villam statione circumdat refractaque ianua obvios servorum abripit, donec ad fores cubiculi veniret, cui pauci adstabant, ceteris terrore inrumpentium exterritis. cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis an Agrippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem: *an* fore laetae rei faciem; nunc solitudinem ac repentinos strepitus et extremi mali indicia. abeunte dehinc ancilla „tu quoque me deseris?“ prolocuta, respicit Anicetum trierarcho Herculeio et Obarito, centurione classiaro, comitatum, ac: si ad visendum venisset, refotam nuntiaret, sin facinus patraturus, nihil se de filio credere; non imperatum parricidium. circumstant lectum percussores et prior trierarchus fusti caput eius adfixit; nam *in mortem* centurioni ferrum destringenti protendens uterum „ventrem feri“ exclamavit; multisque vulneribus confecta est.

Haec consensu produntur: aspexeritne matrem exanimem Nero et formam corporis eius laudaverit, sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant. cremata est nocte eadem, convivali lecto et exequiis vilibus; neque, dum Nero rerum potiebatur, congesta aut clausa humus: mox domesticorum cura levem tumulum accepit, viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris, quae subiectos sinus editissima prospectat. accenso rogo libertus eius cognomento Mnester ipse *se* ferro transegit, incertum caritate in patronam an metu exitii. hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempseratque; nam consulenti super Nerone responderant Chaldaei fore ut imperaret matremque occideret; atque illa „occidat“ inquit „dum imperet.“

Sed a Caesare perfecto demum scelere magnitudo eius intellecta est: reliquo noctis modo per silentium defixus, saepius pavore exurgens et mentis inops lucem opperiebatur tamquam exitium allaturam; atque eum auctore Burro prima centurionum tribunorumque adlatio ad spem firmavit, praesantium manum gratantiumque quod discrimen inprovisum et matris facinus evasisset; amici dehinc adire

templa, et coepto exemplo proxima Campaniae municipia victimis et legationibus laetitiam testari. ipse diversa simulatione maestus et quasi incolumitati suae infensus ac morti parentis illacrimans: quia tamen non, ut hominum vultus, ita locorum facies mutantur, obversabaturque maris illius et litorum gravis aspectus — et erant qui crederent sonitum tubae collibus circum editis planctusque tumulto ~~matris~~ ¹¹ ~~audiri~~ — Neapolim concessit litterasque ad senatum ~~mitti~~, quarum summa erat: repertum cum ferro percussorem Agerinum, ex intimis Agrippinae libertis, et luisse eam poenam conscientia qua scelus paravisset. adiciebat crimina longius repetita, quod consortium imperii iuraturasque in feminae verba praetorias cohortes idemque dedecus senatus et populi speravisset ac, postquam frustra *optata* sint, infensa militi patribusque et plebi dissuasisset donativum et congiarium periculaque viris illustribus struxisset. quanto suo labore perpetratum ne irrumperet curiam, ne gentibus externis responsa daret! temporum quoque Claudianorum *obliqua* insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna extinctam referens: namque et naufragium narrabat, quod fortuitum fuisse quis adeo hebes inveniretur ut crederet? aut a muliere naufraga missum cum telo unum, qui cohortes et classes imperatoris perfringeret? ergo non iam Nero, cuius inmanitas omnium questus anteibat, sed Seneca adverso rumore erat, quod oratione tali confessio-
¹² nem scripsisset. miro tamen certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria, utque Quinquatrus, quibus apertae insidiae essent, ludis annuis celebrarentur; aureum Minervae simulacrum in curia, et iuxta principis imago statuerentur; dies natalis Agrippinae inter nefastos esset. Thrasea Paetus silentio vel brevi adsensu priores adulationes transmitters solitus exiit tum senatu, ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit. prodigia quoque crebra et irrita intercessere: anguem enixa mulier, et alia in concubitu mariti fulmine exanimata; iam sol repente obscuratus et tactae de caelo quattuordecim urbis regiones; quae adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et sce-

p. Ch. 59.

lera continuaverit. ceterum quo gravaret invidiam matris eaque demota auctam lenitatem suam testificaretur, feminas illustres Iuniam et Calpurniam, praetura functos Valerium Capitonem et Licinium Gabolum sedibus patriis reddidit, ab Agrippina olim pulsos; etiam Lolliae Paulinae cineres reportari sepulcrumque extrui permisit; quosque ipse nuper relegaverat, Iturium et Calvisium poena exsolvit: nam Silana fato functa erat, longius ab exilio Tarentum regressa labante iam Agrippina, eius inimicitias conciderat, vel *tandem* mitigata.

*** cunctari in oppidis Campaniae, quonam modo urbem 13
ingrederetur, an obsequium senatus, an studia plebis reperiret anxius; contra deterrimus quisque, quorum non alia regia fecundior extitit, invisum Agrippinae nomen et morte eius accensum populi favorem disserunt: iret intrepidus et venerationem sui coram experiretur; simul praegredi exposcunt: et promptiora quam promiserant inveniunt, obvias tribus, festo cultu senatum, coniugum ac liberorum agmina per sexum et aetatem disposita, extractos, qua incederet, spectaculorum gradus, quo modo triumphi visuntur: hinc superbus ac publici servitii victor Capitolium adiit, grates exsolvit, seque in omnes libidines effudit, quas male coercitas qualiscumque matris reverentia tardaverat.

Vetus illi *cupido* erat curriculo quadrigarum insistere, 14
nec minus foedum studium cithara ludicrum in modum canere; *concertare* equis regium et antiquis ducibus factitatum memorabat, idque vatium laudibus celeberrimum et deorum honori datum; enimvero cantus Apollini sacros, talique ornatu astare non modo Graecis in urbibus sed Romana apud templa numen praecipuum et praescium. nec iam sisti poterat, cum Senecae ac Burro visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere: clausumque valle Vaticana spatium in quo equos regeret, haud promisco spectaculo; mox ultro vocari populus Romanus laudibusque extollere, ut est vulgus cupiens voluptatum et, si eodem princeps trahat, laetum. ceterum evulgatus pudor non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum attulit, ratusque dedecus molliri, si plures foedasset, nobilium familiarum posteros egestate venales in scenam deduxit, quos fato

- perfunctos ne nominatim tradam, maioribus eorum tribuendum puto; nam et eius flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit quam ne delinquerent; notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus, nisi quod merces ab eo qui iubere potest, vim necessitatis affert. ne tamen adhuc publico theatro deonestaretur, instituit ludos Iuvenalium vocabulo, in quos passim nomina data: non nobilitas cuiquam, non aetas aut acti honores impedimento quo minus Graeci Latinive histrionis artem exercerent usque ad gestus modosque haud viriles; quin et feminae illustres deformia meditari; extractaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula et cauponae, et posita veno irritamenta luxui, dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent. inde gliscere flagitia et infamia; nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit quam illa colluvies. vix artibus honestis pudor retinetur, nedum inter certamina vitiorum pudicitia aut modestia aut quicquam probi moris reservaretur. postremus ipse scenam incedit, multa cura temptans citharam et praemeditans assistentibus phonaecis. accesserat cohors militum, centuriones tribunique, et maerens Burrus ac laudans; tuncque primum conscripti sunt equites Romani cognomento Augustianorum, aetate ac robore conspicui et pars ingenio procaces, alii in spem potentiae: hi dies ac noctes plausibus personare, formam principis vocemque deum vocabulis appellantes; quasi per virtutem clari honoratque agere.
- 16 Ne tamen ludicrae tantum imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium adfectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas nec dum insignis auctoritas: hi cenati considerare simul et allatos vel ibidem repertos versus connectere atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere, quod species ipsa carminum docet, non impetu et instinctu nec ore uno fluens. etiam sapientiae doctoribus tempus impertiebat post epulas, utque contraria adseverantium discordia frueretur; nec deerant qui ore vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent.
- 17 Sub idem tempus levi initio atrox caedes orta inter

p. Ch. 59. 60.

colonos Nucerinis Pompeianosque gladiatorio spectaculo, quod Livincius Regulus, quem motum senatu rettuli, edebat: quippe oppidana lascivia in vicem *ingerentes* probra, dein saxa, postremo ferrum sumpsere, validiore Pompeianorum plebe, apud quos spectaculum edebatur; ergo deportati sunt in urbem multi e Nucerinis trunco per vulnera corpore, ac plerique liberorum aut parentum mortes deflebant. cuius rei iudicium princeps senatui, ~~senatus~~ consulibus permisit, et rursus re ad patres *relata* prohibiti publice in decem annos eiusmodi coctu Pompeiani collegiaque quae contra leges instituerant, dissoluta; Livineius et qui alii seditionem conciverant, exilio multati sunt.

Motus senatu et Pedius Blaesus, accusantibus Cyrenensibus violatum ab eo thesaurum Aesculapii dilectumque militare pretio et ambitione corruptum. iidem Cyrenenses reum agebant Acilium Strabonem, praetoria potestate usum et missum disceptatorem a Claudio agrorum, quos regis Apionis quondam avitos et populo Romano cum regno relictos proximus quisque possessor invaserant, diutinaque licentia et iniuria quasi iure et aequo nitentur. igitur abiudicatis agris orta adversus iudicem invidia, et senatus ignota sibi esse mandata Claudii et consulendum principem respondit: Nero probata Strabonis sententia, se nihilo minus subvenire sociis et usurpata concedere *rescripsit*.

Sequuntur virorum illustrium mortes, Domitii Afri et 19 M. Servilii, qui summis honoribus et multa eloquentia viguerant; ille orando causas, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae, quam clariorem effecit, ut par ingenio, ita morum diversus.

NERONE QUARTUM, CORNELIO COSSO consulibus quinquen- 20 nale ludicrum Romae institutum est ad morem Graeci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova; quippe erant qui Cn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent quod mansuram theatri sedem posuisset; nam antea subitariis gradibus et scena in tempus structa ludos edi solitos, vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, *ne* si consideret theatro, dies totos ignavia continuaret. spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetores ederent, nulla cuiquam civium necessitate certandi:

ceterum abolitos paulatim patrios mores funditus everti per accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur degeneretque studiis externis iuventus gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiscrint, sed vim adhibeant, ut proceres Romani specie orationum et carminum scena polluantur. quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent et caestus adsumant easque pugnas pro militia et armis meditentur? an iustitiam augeri et decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent? noctes quoque dedecori adiectas, ne quod tempus pudori relinquatur, sed coetu promisco, quod perditissimus quisque per diem concupiverit, per tenebras audeat.

- 21 Pluribus ipsa licentia placebat, ac tamen honesta nomina praetendebant: maiores quoque non abhorruisse spectaculorum oblectamentis pro fortuna quae tum erat, eoque a Tuscis accitos histriones, a Thuriis equorum certamina, et possessa Achaia Asiaque ludos curatius editos, nec quemquam Romae honesto loco ortum ad theatrales artes degeneravisse, ducentis iam annis a L. Mummii triumpho, qui primus id genus spectaculi in urbe praebuerit. sed et consultum parsimoniae, quod perpetua sedes theatro locata sit potius quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac destrueretur; nec perinde magistratus rem familiarem exhausturos aut populo efflagitandi Graeca certamina a magistratibus causam fore, cum eo sumptu res publica fungatur. oratorum ac vatium victorias incitamentum ingeniis allaturas, nec cuiquam iudici grave aures studiis honestis et voluptatibus concessis impertire. laetitiae magis quam lasciviae dari paucas totius quinquennii noctes, quibus tanta luce ignium nihil illicitum occultari queat. sane nullo insigni dehonestamento id spectaculum transit ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia redditi quamquam scenae pantomimi certaminibus sacris prohibebantur. eloquentiae primas nemo tulit, sed victorem esse Caesarem pronuntiatum. graeci amictus, qui per eos dies plerique incesserant, tum exoleverant.

p. Ch. 60.

Inter quae et sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est tamquam mutationem regis portendat. igitur quasi iam depulso Nerone, quisnam deligeretur anquirebant, et omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Iulia familia; ipse placita maiorum colebat, habitu severo, casta et secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famae adeptus. auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris: nam quia discumbentis Neronis apud Simbruina stagna *in villa* cui Sublaqueum nomen est, ictae dapes mensaque disiecta erat, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum numine deum destinari credebant fovebantque multi, quibus nova et ancipitia praecolere avida et plerumque fallax ambitio est. ergo permotus his Nero componit ad Plautum litteras, consuleret quieti urbis seque prava diffamantibus subtraheret; esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida iuventa frueretur: ita illuc cum coniuge Antistia et paucis familiarium concessit.

Isdem diebus nimia luxus cupido infamiam et periculum Neroni tulit, quia fontem aquae Marciae ad urbem deductae nando incesserat videbaturque potus sacros et caerimoniam loci corpore loto polluisse, secutaque anceps validudo iram deum affirmavit.

At Corbulo post deleta Artaxata utendum recenti terrore ratus ad occupanda Tigranocerta, quibus excisis metum hostium intenderet vel, si pepercisset, clementiae famam adipisceretur, illuc pergit, non infenso exercitu, ne spem veniae auferret, neque tamen remissa cura, gnarus facilem mutatu gentem ut segnem ad pericula, ita infidam ad occasiones. barbari, pro ingenio quisque, alii preces offerre, quidam deserere vicos et in avia digredi; ac fuere qui se speluncis et carissima secum abderent. igitur dux Romanus diversis artibus, misericordia adversus supplices, celeritate adversus profugos, inmitis his qui latebras insederant, ora et exitus specuum sarmentis virgultisque completos igni exurit. atque illum fines suos praegredientem incursum Mardi, latrocinii exerciti contraque irrupentem montibus defensi; quos Corbulo inmissis Hiberis vastavit hostilemque audaciam externo sanguine ultus est.

- 21 Ipse exercitusque ut nullis ex proelio damnis, ita per inopiam et labores fatiscebant, carne pecudum propulsare famem adacti; ad hoc penuria aquae, fervida aestas, longinqua itinera sola ducis patientia mitigabantur, eadem pluraque gregario milite tolerantis. ventum dehinc in locos cultos demessaeque segetes, et ex duobus castellis, in quae confugerant Armenii, alterum impetu captum; qui primam vim depulerant, obsidione coguntur. unde in regionem Tauranitium transgressus inprovisum periculum vitavit; nam haud procul tentorio eius non ignobilis barbarus cum telo repertus ordinem insidiarum seque auctorem et socios per tormenta edidit, convictique et puniti sunt qui specie amicitiae dolum parabant. nec multo post legati Tigranocerta missi patere moenia afferunt, intentos popularis ad iussa; simul hospitale donum, coronam auream, tradebant, acceperuntque cum honore; nec quicquam urbi detractum, quo promptius obsequium integri retinerent.
- 25 At praesidium *Legerda*, quod ferox iuventus clauserat, non sine certamine expugnatum est; nam et proelium pro muris ausi erant et pulsati intra munimenta aggeri demum et irrumpentium armis cessere; quae facilius proveniebant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur; miserantque Hyrcani ad principem Romanum societatem oratum, attineri a se Vologesen pro pignore amicitiae ostentantes. eos regredientes Corbulo, ne Euphraten transgressi hostium custodiis circumvenirentur, dato praesidio ad litora maris rubri deduxit, unde vitatis Parthorum finibus patrias in sedes remeare. quin et Tiridaten per Medos extrema Armeniae intrantem, praemisso cum auxiliis Verulano legato, atque ipse legionibus citis, abire procul ac spem belli amittere subegit; quosque nobis *adversos aut ambigere animis* cognoverat, caedibus et incendiis perpopulatus, possessionem Armeniae usurpabat, cum advenit Tigranes a Nerone ad capessendum imperium delectus, Capadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos, sed quod diu obses apud urbem fuerat, usque ad servilem patientiam demissus; nec consensu acceptus, durante apud quosdam favore Arsacidarum; at plerique superbiam Parthorum perosi datum a Romanis regem malebant. additum
- 26

p. Ch. 60. 61.

et praesidium, mille legionarii, tres sociorum cohortes duaeque equitum alae, quo facilius novum regnum tueretur. pars Armeniac, ut cuique finitima, *Pharasmani Polemonique* et *Aristobulo* atque *Antiocho* parere iussae sunt: *Corbulo* in *Syriam* abscessit, morte *Ummidii* legati vacuum ac sibi permissam.

Eodem anno ex illustribus Asiae urbibus *Laodicea* tre- 27
more terrae prolapsa, nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit; at in Italia vetus oppidum *Puteoli* ius coloniae et cognomen a *Nerone* apiscuntur. veterani *Tarentum* et *Antium* adscripti non tamen infrequentiae locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias in quibus stipendia expleverant; neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas sine posteris domos relinquebant: non enim, ut olim, universae legiones deducebantur cum tribunis et centurionibus et sui cuiusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rem publicam efficerent, sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quam colonia.

Comitia praetorum arbitrio senatus haberi solita, quod 28
acriore ambitu exarserant, princeps composuit, tris, qui supra numerum petebant, legioni praeficiendo; auxitque patrum honorem statuendo ut, qui a privatis iudicibus ad senatum provocavissent, eiusdem pecuniae periculum facerent cuius ii qui imperatorem appellavere: nam antea vacuum id solutumque poena fuerat. fine anni *Vibius Secundus*, eques Romanus, accusantibus *Mauris* repetundarum damnatur atque Italia exigitur, ne graviore poena afficeretur, *Vibii Crispi* fratris opibus enisus.

CAESONIO PAETO et *PETRONIO TURPILLIANO* consulibus gra- 29
vis clades in *Britannia* accepta, in qua neque *A. Didius* legatus, ut memoravi, nisi parta retinuerat, et successor *Veranius* modicis excursibus *Siluras* populatus, quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est, magna, dum vixit, severitatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus: quippe multa in *Neronem* adulatione addidit subiecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset. sed tum *Paulinus Suetonius* obtinebat *Britannos*, scientia

militiae et rumore populi, qui neminem sine aemulo sinit, Corbulonis concertator receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens; igitur Monam insulam, incolis validam et receptaculum perfugarum, adgredi parat, navesque fabricatur plano alveo adversus breve et incertum: sic pedes; equites vado secuti aut altiores inter undas adnantes equis tramisere.

30 Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercurstantibus feminis; in modum Furiarum veste ferali, crinibus deiectis faces praeferebant; druidaeque circum, preces, diras sublatis ad caelum manibus fundentes, novitate aspectus perculere militem, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praerberent. dein cohortationibus ducis et se ipsi stimulant, ne muliebri et fanaticum agmen pavescerent, inferunt signa sternuntque obvios et igni suo involvunt. praesidium posthac inpositum victis excisique luci saevis superstitionibus sacri: nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant. haec agenti Suetonio repentina defectio provinciae nuntiatur.

31 Rex Icenorum Prasutagus, longa opulentia clarus, Caesarem heredem duasque filias scripserat, tali obsequio ratus regnumque et domum suam procul iniuria fore. quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur: iam primum uxor eius Boudicca verberibus affecta et filiae stupro violatae sunt; praecipui quique Icenorum avitis bonis exuuntur, et propinqui regis inter mancipia habebantur. qua contumelia et metu graviorum, quando in formam provinciae cesserant, rapiunt arma, commotis ad rebellionem Trinobantibus et qui alii nondum servitio fracti resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio: quippe in coloniam Camulodunum recens deducti, quasi cunctam regionem muneri acceperant, pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando, foventibus in potentiam veteranorum militibus similitudine vitae et spe eiusdem licentiae. ad hoc templum divo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis aspiciatur, delectique sacerdotes specie religionis omnis fortu-

p. Ch. 61.

nas effundebant. nec arduum videbatur excindere coloniam nullis munimentis septam; quod ducibus nostris parum provisum erat, dum amoenitati prius quam usui consulitur.

Inter quae nulla palam causa delapsum Camuloduni simulacrum Victoriae ac retro conversum, quasi cederet hostibus; et feminae in furorem turbatae adesse exitium canebant; externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse ululatibus theatrum visamque speciem in aestuario Tamesae subversae coloniae; iam Oceanus cruento aspectu, dilabente aestu humanorum corporum effigies relictas, ut Britannis ad spem, ita veteranis ad metum traherantur. sed quia procul Suetonius aberat, petivere a Cato Deciano procuratore auxilium: ille haud amplius quam ducentos sine iustis armis misit; et inerat modica militum manus. tutela templi freti, et impredientibus qui occulti rebellionis conscii consilia turbabant, neque fossam aut vallum praeduxerant, neque motis senibus et feminis iuventus sola restitit: quasi media pace incauti multitudine barbarorum circumveniuntur. et cetera quidem impetu direpta aut incensa sunt: templum, in quo se miles conglobaverat, biduo obsessum expugnatumque. et victor Britannus Petilio Ceriali, legato legionis nonae, in subsidium adventanti obvius fudit legionem, et quod peditum, interfecit: Cerialis cum equitibus evasit in castra et munimentis defensus est. qua clade et odiis provinciae, quam avaritia in bellum egerat, trepidus procurator Catus in Galliam transiit.

At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem coloniae non insigne, sed copia negotiatorum et commeatum maxime celebre; ibi ambiguus an illam sedem bello deligeret, circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coercitam, unius oppidi damno servare universa statuit, neque fletu et lacrimis auxilium eius orantium flexus est, quin daret protectionis signum et comitantes in partem agminis acciperet; si quos inbellis sexus aut fessa aetas vel loci dulcedo attinuerat, ab hoste oppressi sunt. eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis praesidiisque militarium, quod

uberrimum spoliandi et defendentibus intutum laeti praeda et aliorum segnes petebant. ad septuaginta milia civium et sociorum his quae memoravi locis cecidisse constitit; neque enim capere aut venundare, aliudve quod belli commercium; sed caedes, patibula, ignes, cruces, tamquam reddituri supplicium ac praerepta interim ultione festinabant.

- 34 Iam Suetonio quarta decuma legio cum vexillariis vicesimanis et e proximis auxiliares, decem ferme milia armatorum erant, cum omittere cunctationem et congredi acie parat; deligitque locum artis faucibus et a tergo silva clausum, satis cognito nihil hostium nisi in fronte et apertam planitiem esse, sine metu insidiarum; igitur legionarius frequens ordinibus, levis circum armatura, conglobatus pro cornibus eques astitit. at Britannorum copiae passim per catervas et turmas exultabant, quanta non alias multitudo et animo adeo fero, ut coniuges quoque testes victoriae secum traherent plaustrisque inponerent, quae super extremum ambitum campi posuerant.
- 35 Boudicca curru filias prae se vehens, ut quamque nationem accesserat, solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur: sed tunc non ut tantis maioribus ortam regnum et opes, verum ut unam e vulgo libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci. eo provectas Romanorum cupidines ut non corpora, nec senectam quidem aut virginitatem inpollutam relinquunt. adesse tamen deos iustae vindictae: cecidisse legionem quae proelium ausa sit; ceteros castris occultari aut fugam circumspicere. ne strepitum quidem et clamorem tot milium, nedum impetus et manus perlaturos. si copias armatorum, si causas belli secum expenderent, vincendum illa acie vel cadendum esse. id mulieri destinatum: viverent viri et servirent.
- 36 Ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat; quamquam confideret virtuti, tamen exhortationes et preces miscebat, ut spernerent sonores barbarorum et inanes minas: plus illic feminarum quam iuventutis aspici; inbelles, inermes, cessuros statim, ubi ferrum virtutemque vincendum totiens fusi agnovissent. etiam in multis legionibus pau-

p. Ch. 61.

cos, qui proelia præfigarent, gloriaeque eorum accessurum quod modica manus universi exercitus famam adipiscerentur: conferti tantum et pilis emissis, post umbonibus et gladiis stragem caedemque continuarent, praedae inmemores: parta victoria cuncta ipsis cessura.

Is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles et multa proeliorum experientia, ut certus eventus Suetonius daret pugnae signum. ac 37 primum legio gradu inmotam et angustias loci pro munimento retinens, postquam propius suggestus hostis certo iactu tela exhauserat, velut cuneo erupit; idem auxiliarium impetus; et eques protentis hastis perfringit quod obvium et validum erat: ceteri terga praebuere, difficili effugio, quia circumiecta vehicula sepserant abitus, et miles ne mulierum quidem neci temperabat, confixaque telis etiam iumenta corporum cumulum auxerant.

Clara et antiquis victoriis par ea die laus parta: quippe sunt qui paulo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant, militum quadringentis ferme interfectis nec multo amplius vulneratis. Boudicca vitam veneno finivit. et Poenius Postumus, praefectus castrorum secundae legionis, cognitis quartadecumanorum vicesimanorumque prosperis rebus, quia pari gloria legionem suam fraudaverat abnueratque contra ritum militiae iussa ducis, se ipsum gladio transegit.

Contractus deinde omnis exercitus sub pellibus habitus est ad reliqua belli perpetranda, auxitque copias Caesar missis ex Germania duobus legionariorum milibus, octo auxiliarium cohortibus ac mille equitibus, quorum adventu nonani legionario milite suppleti sunt. cohortes alaeque novis hibernaculis locatae, quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatur. sed nihil aeque quam fames affligebat serendis frugibus incuriosos et omni aetate ad bellum versa, dum nostros commeatus sibi destinant; gentesque praeferoces tardius ad pacem inclinabant quia Iulius Classicianus, successor Cato missus et Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatibus impediens disperseratque novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira et superbia victoris cle-

menter deditis consulturum. simul in urbem mandabat, nullum proeliorum finem expectarent nisi succederetur Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat.

- 39 Igitur ad spectandum Britanniae statum missus est e libertis Polyclitus, magna Neronis spe posse auctoritate eius non modo inter legatum procuratoremque concordiam gigni, sed et rebelles barbarorum animos pace componi. nec defuit Polyclitus quo minus ingenti agmine Italiae Galliaeque gravis, postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet: sed hostibus irrisui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate nondum cognita libertinorum potentia erat, mirabanturque quod dux et exercitus tanti belli confector servitiis obedirent. cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata, detentusque rebus gerendis Suetonius, quod paulo post paucas naves in litore remigiumque in iis amiserat, tamquam durante bello tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui iam consulatu abierat, iubetur. is non irritato hoste neque lacesitus honestum pacis nomen segni otio imposuit.
- 40 Eodem anno Romae insignia scelera, alterum senatoris, servili alterum audacia, admissa sunt: Domitius Balbus erat praetorius, simul longa senecta, simul orbitate et pecunia insidiis obnoxius; ei propinquus Valerius Fabianus, capessendis honoribus destinatus, subdidit testamentum ascitis Vinicio Rufino et Terentio Lentino, equitibus Romanis; illi Antonium Primum et Asinium Marcellum sociaverant: Antonius audacia promptus, Marcellus Asinio Pollione proavo clarus neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem praecipuum malorum credebatur; igitur Fabianus tabulas iis quos memoravi et aliis minus illustribus obsignat. quod apud patres convictum; et Fabianus Antoniusque cum Rufino et Terentio lege Cornelia damnantur; Marcellum memoria maiorum et preces Caesaris poenae magis quam infamiae exemere.
- 41 perculit is dies Pompeium quoque Aelianum, iuvenem quaestorium, tamquam flagitiorum Fabiani gnarum, eique Italia et Hispania, in qua ortus erat, interdictum est. pari ignominia Valerius Ponticus afficitur, quod reos, ne apud

p. Ch. 61.

praefectum urbis arguerentur, ad praetorem detulisset, interim specie legum, mox praevaricando ultionem elusurus. additur senatus consulto, qui talem operam emptitasset vendidissetve, perinde poena teneretur ac si publico iudicio calumniae condemnatus.

Haud multo post praefectum urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit seu negata libertate, cui pretium pepigerat, sive amore exoleti infensus et dominum aemulum non tolerans. ceterum cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est senatue in ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium, pluribus nihil mutandum censentibus, ex quibus C. Cassius sententiae loco in hunc modum disseruit:

„Saepenumero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum nova senatus decreta postularentur, neque sum adversatus, non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum et, quae converterentur, in deterius mutari, sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer; simul quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando res publica consiliis eguisset. quod hodie evenit consulari viro domi suae interfecto per insidias serviles, quas nemo prohibuit aut prodidit quamvis nondum concusso senatus consulto quod supplicium toti familiae minitabatur. decernite hercule impunitatem, ut quem dignitas sua defendat, cum praefectura urbis non profuit? quem numerus servorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? cui familia opem ferat, quae ne in metu quidem pericula nostra advertit? an, ut quidam fingere non erubescunt, iniurias suas ultus est interfecto, quia de paterna pecunia transegerat aut avitum mancipium detrahebatur? pronuntiemus ultro dominum iure caesum videri. libet argumenta conquirere in eo quod sapientioribus deliberatum est sed et si nunc primum statuendum haberemus, creditisne servum interficiendi domini animum sumpsisse, ut non vox

minax excideret, nihil per temeritatem proloqueretur? sane consilium occultavit, telum inter ignaros paravit: num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, caedem patraret omnibus nesciis? multa sceleris indicia praeveniunt: servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo, si pereundum sit, non inulti inter nocentes agere. suspecta maioribus nostris fuerunt ingenia servorum etiam cum in agris aut domibus isdem nascerentur caritatemque dominorum statim acciperent: postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coercueris. at quidam insontes peribunt: nam et ex fuso exercitu cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur. habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. “

45 Sententiae Cassii ut nemo unus contra ire ausus est, ita dissonae voces respondebant numerum aut aetatem aut sexum ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium; praevaluit tamen pars quae supplicium decernebat. sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine et saxa ac faces minante. tum Caesar populum edicto increpuit atque omne iter, quo damnati ad poenam ducebantur, militaribus praesidiis saepsit. censuerat Cingonius Varro ut liberti quoque, qui sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur: id a principe prohibitum est, ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per saevitiam intenderetur.

46 Damnatus isdem consulibus Tarquitiis Priscus repetundarum Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, qui accusatum ab eo Statilium Taurum, proconsulem ipsius, meminerant. Census per Gallias a Q. Volusio et Sextio Africano Trebellioque Maximo acti sunt, aemulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano; Trebellium dum uterque dedignatur, supra tulere.

47 Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate, constantia, fama, in quantum praecumbrante imperatoris fastigio datur, clarus, adeo ut Nero aeger valetudine, et adulantibus circum qui finem imperio adesse dicebant si

p. Ch. 61. 62.

quid fato pateretur, responderit habere subsidium rem publicam, rogantibus dehinc, in quo potissimum, addiderit in Memmio Regulo. vixit tamen post haec Regulus, quiete defensus et quia nova generis claritudine neque invidiosis opibus erat. Gymnasium eo anno dedicatum a Nerone, praebitumque oleum equiti ac senatui Graeca facilitate.

P. MARIO, L. ASINIO consulibus Antistius praetor, quem 48 in tribunatu plebis licenter egisse memoravi, probrosa adversus principem carmina factitavit vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur. exim a Cossutiano Capitone, qui nuper senatorium ordinem precibus Tigellini, soceri sui, receperat, maiestatis delatus est: tum primum revocata ea lex, credebaturque haud perinde exitium Antistio quam imperatori gloriam quaeri, ut condemnatus a senatu intercessione tribunicia morti eximeretur. et cum Ostorius nihil audivisse pro testimonio dixisset, adversis testibus creditum, censuitque Iunius Marullus, consul designatus, adimendam reo praeturam necandumque more maiorum; ceteris inde assentientibus Paetus Thrasea multo cum honore Caesaris et acerrime increpito Antistio, non quidquid nocens reus pati mereretur, id egregio sub principe et nulla necessitate obstricto senatui statuendum disseruit; carnificem et laqueum pridem abolita, et esse poenas legibus constitutas, quibus sine iudicum saevitia et temporum infamia supplicia decernerentur: quin in insula, publicatis bonis, quo longius sontem vitam traxisset, eo privatim miseriorem et publicae clementiae maximum exemplum futurum.

Libertas Thrascae servitium aliorum rupit, et post- 49 quam discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam eius iere, paucis exceptis; in quibus adulatione promptissimus fuit A. Vitellius, optimum quemque iurgio laccensens et respondenti reticens, ut pavida ingenia solent. at consules perficere decretum senatus non ausi, de consensu scripsere Caesari; ille inter pudorem et iram cunctatus, postremo rescripsit: nulla iniuria provocatum Antistium gravissimas in principem contumelias dixisse; earum ultionem a patribus postulatam, et pro magnitudine delicti poenam statui par fuisse. ceterum se, qui severitatem de-

cernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere: statuerent ut vellent; datam et absolvendi licentiam. his atque talibus recitatis et offensione manifesta non ideo aut consules mutavere relationem aut Thrasea decessit sententia ceterive quae probaverant deseruere, pars, ne principem obiecisse invidiae viderentur, plures numero tuti, Thrasea sueta firmitudine animi et ne gloria intercideret.

50 Haud dispari crimine Fabricius Veiento conflictatus est, quod multa et probrosa in patres et sacerdotes composuisset iis libris quibus nomen codicillorum dederat. adiciebat Talius Geminus accusator venditata ab eo munera principis et adipiscendorum honorum ius, quae causa Neroni fuit suscipiendi iudicii, convictumque Veientonem Italia depulit et libros exuri iussit, conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem attulit.

51 Sed gravescentibus in dies publicis malis subsidia minuebantur, concessitque vita Burrus, incertum valetudine an veneno: valetudo ex eo coniectabatur, quod in se tumescentibus paulatim faucibus et impedito meatu spiritum finiebat; plures iussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, inlitum palatum eius noxio medicamine adseverabant, et Burrum intellecto scelere, cum ad visendum eum princeps venisset, aspectum eius aversatum sciscitanti hactenus respondisse: „ego me bene habeo.“ civitati grande desiderium eius mansit per memoriam virtutis et successorum alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima flagitia [adulteria]: quippe Caesar duos praetoriis cohortibus imposuerat, Faenium Rufum ex vulgi favore, quia rem frumentariam sine quaestu tractabat, Sofonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus. atque illi pro cognitis moribus fuere, validior Tigellinus in animo principis et intimis libidinibus adsumptus, prospera populi et militum fama Rufus, quod apud Neronem adversum experiebatur.

52 Mors Burri infregit Senecae potentiam, quia nec bonis artibus idem virium erat altero velut duce amoto, et Nero ad deteriores inclinabat. hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, tamquam ingentes et privatum modum evectas

p. Ch. 62.

opes adhuc auget, quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur; obiciebant etiam eloquentiae laudem uni sibi asciscere et carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset. nam oblectamentis principis palam iniquum detractare vim eius equos regentis, illudere voces, quotiens caneret. quem ad finem nihil in re publica clarum fore quod non ab illo reperiri credatur? certe finitam Neronis pueritiam, et robur iuventae adesse: exueret magistrum, satis amplis doctoribus instructus maioribus suis.

At Seneca criminantium non ignarus, prodentibus his 53 quibus aliqua honesti cura, et familiaritatem eius magis aspernante Caesare, tempus sermoni orat. et accepto ita incipit:

„Quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tuae admotus sum, octavus, ut imperium obtines: medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meae desit nisi moderatio eius. utar magnis exemplis, nec meae fortunae sed tuae: abavus tuus Augustus Marco Agrippae Mytilenense secretum, C. Maecenati urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit; quorum alter bellorum socius, alter Romae pluribus laboribus iactatus ampla quidem, sed pro ingentibus meritis, praemia acceperant: ego quid aliud munificentiae tuae adhibere potui quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata, et quibus claritudo venit, quod iuventae tuae rudimentis affuisse videor, grande huius rei pretium. at tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti, adeo ut plerumque intra me ipse volvam: ,egone, equestri et provinciali loco ortus, proceribus civitatis adnumeror? inter nobiles et longa *decora* praeferentes novitas mea enituit? ubi est animus ille modicis contentus? talis hortos extruit et per haec suburbana incedit et tantis agrorum spatiis, tam lato fenore exuberat?‘ una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui: sed uterque mensuram 54 inplevimus, et *tu*, quantum princeps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere: cetera invidiam augent; quae quidem, ut omnia mortalia, infra

tuam magnitudinem iacet, sed mihi incumbit, mihi subveniendum est. quomodo in militia aut via fessus administriculum orarem, ita in hoc itinere vitae senex et levissimis quoque curis inpar, cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto: iube procuratores tuos administrare in tuam fortunam recepta. nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore praestrinctor, quod temporis hortorum aut villarum curae seponitur, in animum revocabo. superest tibi robur, et tot per annos visum fastigii regimen: possumus seniores amici quietem reposcere. hoc quoque in tuam gloriam cedit, eos ad summa vexisse qui et modica tolerarent.“

55 Ad quae Nero sic ferme respondit:

„Quod meditatae orationi tuae statim occurram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantum praevisa sed subita expedire docuisti. abavus meus Augustus Agrippae et Maecenati usurpare otium post labores concessit, sed in ea ipse aetate, cuius auctoritas tueretur quidquid illud et qualecumque tribuisset; ac tamen neutrum datis a se praemiis exiit: bello et periculis meruerant; in iis enim iuventa Augusti versata est. nec mihi tela et manus tuae defuissent in armis agenti: sed quod praesens condicio posebat, ratione, consilio, praeceptis pueritiam, dein iuventam meam fovisti. et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, aeterna erunt: quae a me habes, horti et faenus et villae, casibus obnoxia sunt; ac licet multa videantur, plerique haudquaquam artibus tuis pares plura tenuerunt, nisi forte aut te Vitellio ter consuli aut me Claudio postponis; et quantum Volusio longa parsimonia quaesivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur; unde etiam rubori mihi est quod praecipuus caritate nondum omnes fortuna antecellis. verum et tibi valida aetas rebusque et fructui rerum sufficiens, et nos prima imperii spatia ingredimur: quin, si qua in parte lubricum adolescentiae nostrae declinat, revocas ornatumque robur subsidio impensius regis? non tua moderatio, si reddideris pecuniam, nec quies, si reliqueris principem, sed mea avaritia, meae crudelitatis metus in ore oranium versabitur. quod si maxime

56

p. Ch. 62.

continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam sibi recipere.“

His adicit complexum et oscula, factus natura et consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis; Seneca, qui finis omnium cum dominante sermonum, grates agit; sed instituta prioris potentiae commutat, prohibet coetus salutantium, vitat comitantis, rarus per urbem, quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi adtineretur.

Perculso Seneca promptum fuit Rufum Faenium in- 57
minuere Agrippinae amicitiam in eo criminantibus; validiorque in dies Tigellinus et malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus, si principem societate scelerum obstringeret, metus eius rimatur, conpertoque Plautum et Sullam maxime timeri, Plautum in Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos, nobilitatem eorum et propinquos huic Orientis, illi Germaniae exercitus commemorat: non se, ut Burrum, diversas spes, sed solam incolumitatem Neronis spectare; cui caveri utcumque ab urbanis insidiis praesenti *ope*: longinquos motus quonam modo comprimi posse? erectas Gallias ad nomen dictatorium, nec minus suspensos Asiae populos claritudine avi Drusi. Sullam inopem, unde praecipuam audaciam, et simulatorem segnitiae, dum temeritati locum reperiret; Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta praeferre, assumpta etiam Stoicorum arrogantia sectaque, quae turbidos et negotiorum adpetentes faciat. nec ultra mora: Sulla sexto die pervectis Massiliam percussoribus ante metum et rumorem interficitur, cum epulandi causa discumberet; perlatum caput eius illisit Nero tamquam praematura canitie deforme.

Plauto parari necem non perinde occultum fuit, quia 58
pluribus salus eius curabatur, et spatium itineris ac maris tempusque interiectum moverat famam; vulgoque fingebant petitum ab eo Corbulonem, magnis tum exercitibus praesidentem et, clari atque insontes *si* interficerentur, praecipuum ad pericula; quin et Asiam favore iuvenis arma cepisse, nec milites ad scelus missos aut numero validos

aut animo promptos, postquam iussa efficere nequiverint, ad spes novas transisse. vana haec, more famae, creditum otio augebantur; ceterum libertus Plauti celeritate ventorum praevenit centurionem et mandata L. Antistii soceri attulit: effugeret segnem mortem, obvium suffugium, et magni nominis miseratione reperturum bonos, consociaturum audaces; nullum interim subsidium aspernandum: si sexaginta milites — tot enim adveniebant — propulisset, dum refertur nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa secutura quae adusque bellum evalescerent. denique aut salutem tali consilio quaeri, aut nihil gravius audenti quam ignavo patiendum esse.

59 Sed Plautum ea non movere, sive nullam opem providebat inermis atque exul, seu taedio ambiguae spei, an amore coniugis et liberorum, quibus placabiliorem fore principem rebatur nulla sollicitudine turbatum. sunt qui alios a socero nuntios venisse ferant, tamquam nihil atrox immineret; doctoresque sapientiae, Coeranum Graeci, Musonium Tusci generis, constantiam opperendae mortis pro incerta et trepida vita suasisse: repertus est certe per medium diei nudus exercitando corpori; talem eum centurio trucidavit coram Pelagone spadone, quem Nero centurioni et manipulo quasi satellitibus ministrum regium praeposuerat. caput interfecti relatum; cuius aspectu — ipsa principis verba referam — „cur“ inquit * * * * Nero, etposito metu nuptias Poppaeae ob eiusmodi terrores dilatas maturare parat Octaviamque coniugem amoliri, quamvis modeste ageret, nomine patris et studiis populi gravem. sed ad senatum litteras misit de caede Sullae Plautique haud confessus, verum utriusque turbidum ingenium esse, et sibi incolumitatem rei publicae magna cura haberi. decretae eo nomine supplicationes, utque Sulla et Plautus senatu moverentur, gravioribus tam ludibriis quam malis.

60 Igitur accepto patrum consulto, postquam cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam, sterilem dictitans. exim Poppaeae coniungitur: ea diu paelex et adulteri Neronis, mox mariti potens, quendam ex ministris Octaviae impulit servilem ei amorem

p. Ch. 62.

obicere, destinaturque reus cognomento Eucærus, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus. actæ ob id de ancillis quaestiones, et vi tormentorum victis quibusdam *ut* falsa annuerent, plures perstitere sanctitatem dominae tueri; ex quibus una instanti Tigellino castiora esse muliebria Octaviae respondit quam os eius. movetur tamen primo civilis discidium specie domumque Burræ, prædia Plauti, infæusta dona, accipit; mox in Campaniam pulsa est addita militari custodia; inde crebri questus nec occulti per vulgum, cui minor sapientia *et* ex mediocritate fortunæ pauciora pericula sunt: his quamquam Nero paenitentia flagitii [*non mutatus sunctari tamen coepit. unde maesta Poppæa et falsus per urbem rumor, mox concursus et clamor:*] „coniugem revocavit Octaviam.“ exim laeti Capitolium scandunt deosque tandem venerantur; effigies Poppæae prouunt, Octaviae imagines gestant humeris, spargunt floribus foroque ac templis statuunt; itur etiam in principis laudes [*repetitum venerantium*]. iamque et palatium multitudine et clamoribus complebant, cum emissi militum globi verberibus et intento ferro turbatos disiecere, mutataeque quae per seditionem verterant, et Poppæae honos repositus est. quae semper odio, tum et metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus eius, non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet, quamquam id sibi vita potius, sed vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et servitiis Octaviae, quae plebis sibi nomen indiderint, ea in pace ausi quae vix bello evenirent; arma illa adversus principem sumpta; ducem tantum defuisse, qui motis rebus facile reperiretur: omitteret modo Campaniam et in urbem ipsam pergeret, ad cuius nutum absentis tumultus cierentur. quod alioquin suum delictum? quam cuiusquam offensionem? an quia veram progeniem penatibus Caesarum datura sit, malle populum Romanum tibicinis Aegyptii subolem imperatorio fastigio induci? denique, si id rebus conducatur, libens quam coactus acciret dominam; vel consuleret securitati iusta ultione. et modicis remediis primos motus consedisset: at si desperent uxorem Neronis fore Octaviam, illi maritum duros.

62 Varius sermo et ad metum atque iram accommodatus terruit simul audientem et accendit. sed parum valebat suspicio in servo et quaestionibus ancillarum elusa erat; ergo confessionem alicuius quaeri placet, cui rerum quoque novarum crimen affingeretur; et visus idoneus maternae necis patrator Anicetus, classi apud Misenum, ut memoravi, praefectus, levi post admissum scelus gratia, dein graviore odio, quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur. igitur accitum eum Caesar operae prioris admonet: solum incolumitati principis adversus insidiantem matrem subvenisse; locum haud minoris gratiae instare, si coniugem infensam depelleret; nec manu aut telo opus: fateretur Octaviae adulterium. occulta quidem ad praesens sed magna ei praemia et secessus amoenos promittit, vel, si negavisset, necem intentat. ille insita vecordia et facilitate priorum flagitiorum plura etiam quam iussum erat fingit fateturque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat princeps. tum in Sardiniam pellitur, ubi non inops exilium toleravit et fato obiit.

63 At Nero praefectum in spem sociandae classis corruptum et, incusatae paulo ante sterilitatis oblitus, abactos partus conscientia libidinum eaque sibi comperta edicto memorat insulaque Pandateria Octaviam claudit. non alia exul visentium oculos maiore misericordia affecit: meminerant adhuc quidam Agrippinae a Tiberio, recentior Iuliae memoria obversabatur a Claudio pulsae; sed illis robur aetatis affuerat; laeta aliqua viderant et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione allevabant: huic primus nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre et statim fratre; tum ancilla domina validior et Poppaea non nisi in perniciem uxoris nupta, postremo crimen omni exitio gravius. ac puella vicesimo aetatis anno, inter centuriones et milites, praesagio malorum iam vita exempta, nondum tamen morte acquiescebat. paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur, cum iam viduam se et tantum sororem testaretur communesque Germanicos et postremo Agrippinae nomen ciceret, qua incolumi infelix quidem matrimonium sed sine exitio

p. Chr. 62.

pertulisset. restringitur vinclis, venaeque eius per omnes artus exsolvuntur et quia pressus pavore sanguis tardius labebatur, praefervidi balnei vapore enecatur; additurque atrocior saevitia, quod caput amputatum latumque in urbem Poppaea vidit. dona ob haec templis decreta. quae ad *eum* finem memoravimus, ut quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, praesumptum habeant, quotiens fugas et caedes iussit princeps, totiens grates deis actas, quaeque rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia fuisse. neque tamen silebimus, si quod senatus consultum adulatione novum aut patientia postremum fuit.

Eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse 65 creditus est, Doryphorum quasi adversatum nuptiis Poppaeae, Pallantem, quod immensam pecuniam longa senecta detineret. Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam ut C. Pisonis socium; sed validius a Seneca eodem crimine percussus est. unde Pisoni timor, et orta insidiarum in Neronem magna moles et inprospera.

CORNELII TACITI

ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER QUINTUS DECIMUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. 2. Vologeses rex Parthorum bellum mente volvit, instigantibus fratre Tiridate et Monobazo Adiabeno, quem Tigranes vexarat. 3. Corbulo Syriae tuendae providet. 4. Parthi Monese duce Tigranocerta obsident. 5. Vologesi Corbulo inducias offert et impetrat. 6—8. Caesennii Paeti Armeniae recens praefecti vanitas, ferocia, imperitia, iactantia. 9—11. ab invadenda Syria Corbulo absterret Parthos, qui Armeniae et Paeto incumbunt. hic aegre Corbulonem auxilio vocat Parthis prementibus. 12. is in Armeniam profectus fugientes obliurgat, suos hortatur. 13. Vologeses instat Paeto. 14. 15. disceptatio inter Romanos et Parthos, ex qua Paeti foeda compositio. 16. Corbulo in Armeniam venit. 17. Paeto increpito Syriam repetit. 18. Romae inania de Parthis tropaea. frumentum plebis. vectigalia.

19. SC. de simulatis adoptionibus. 20. 21. Claudius Timarchus

Cretensis accusatur, quod Thrasea Paetus ad bonum publicum vertit. 22. decretum grates praesidibus non agendas. portenta. 23. ob filiam Neroni natam immodica gaudia et frustranea. in Thraseam principis odium.

24. Legati Parthorum Romae irrisores. 25. bello Armeniaco praeficitur Corbulo. Pactum Caesar facetiis insectatur. 26. 27. Corbulo in Armeniam ducit exercitum, legatos Parthorum audit, defectores Armenios ulciscitur. 28—30. Tiridates a Corbulone pacem petit et posito apud effigiem Caesaris insigni regio impetrat, comiterque excipitur a Corbulone. 31. Vologesis pro fratre sollicitudo.

32. Alpinos maritimos Nero in ius Latii transfert. equitum Romanorum in circo sedilibus plebis anteponit. feminae illustres senatoresque in arena. 33. Nero ipse Neapoli scenam inscendit. 34. theatrum ruit. Beneventi Nero munus Vatini spectat. 35. Torquatum Silanum mori adigit. 36. iter frustra meditatur in Orientem. 37. convivia luxu foeda celebrat ministro Tigellino. Pythagorae nubit. 38. 39. clades Romae ex incendio, forte an dolo principis, qui in remedium multa popularia usurpat. 40. 41. cladis magnitudo. novae urbis condendae consilium. 42. ex patriae ruinis immensam domum exstruit Nero. maiora frustra molitur. 43. novae urbis facies. 44. petita diis piacula frustra. incendii invidia in Christianos devoluta misere excruciatos. 45. Italiam, socios, templa spoliat Nero; aversantem id Senecam veneno petit.

46. Gladiatorum eruptio apud Praeneate. classis ad Misenum amissa. 47. prodigia. 48. coniuratio Pisonis in Neronem. 49. 50. coniuratorum nomina, mores, odiorum in Neronem causae. iis accedit Rufus praefectus praetorio. Subrii impetus. 51. Epicharis classem temptans proditur. 52. coniuratorum impetus retardatus a Pisone ob sacra mensae. 53. aliud coniuratorum consilium. 54. Scaevini imprudentia. Milichus servus herum defert, qui egregie se defendit, sed muliebri astutia deprehenditur. 55. 56. Natalis coniurationem fatetur, Pisonem, Senecam nominat, Lucanus matrem. 57. Epicharis tormentis dilacerata mirum fidei exemplum praestat. 58. Nero reos audit, quos violenter urget Rufus dissimulata conscientia. 59. Piso neglectis amicorum monitis occiditur. eius testamentum et uxor. 60—64. caedes Laterani et Senecae. huius defensio spreta, supremi sermones, amica contentio cum uxore; cuius mortem inhiberi Nero imperat. Senecae cruciatus, mors, funus. 65. ipse destinatus imperator a Subrio. 66. Rufus proditur. 67. 68. Subrii Flavii, Aspri, aliorum constantes voces et exitus. Rufi mollietates. 69. 70. Nero Vestinum quamvis insontem interimit, mox Lucanum, Senecionem, Quinctianum, Scaevinum. 71. 72. simulata per urbem gaudia. indicibus praemia, suspectis militiae vacatio, aliis exilia, Turpiliano, Nervae, Tigellino triumphalia, Nymphidio consularia insignia data. 73. Nero adversum rumores se purgat. Gallionis periculum. 74. SC. ob servatum Neronem. pugio Scaevini datus Iovi Vindici.

p. Ch. 62.

Gesta haec sunt annis paullo amplius tribus, C. Memmio Regulo, Verginio Rufo; C. Laecanio Basso, M. Licinio Crasso; P. Sillio Nerva, C. Iulio Attico Vestino coss.

Interea rex Parthorum Vologeses cognitis Corbulonis¹ rebus regemque alienigenam Tigranen Armeniae impositum, simul fratre Tiridate pulso spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens, magnitudine rursus Romana et continui foederis reverentia diversas ad curas trahebatur, cunctator ingenio et defectione Hyrcanorum, gentis validae, multisque ex eo bellis illigatus. atque illum ambiguum novus insuper nuntius contumeliae extimulat: quippe egressus Armenia Tigranes Adiabenos, conterminam nationem, latius ac diutius quam per latrocinia vastaverat, idque primores gentium aegre tolerabant, eo contemptio- nis descensum ut ne duce quidem Romano incursarentur, sed temeritate obsidis tot per annos inter mancipia habiti. accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adiabenum regimen, quod praesidium aut unde peteret rogians. iam de Armenia concessum, proxima trahi; et nisi defendant Parthi, levius servitium apud Romanos deditis quam captis esse. Tiridates quoque regni profugus per silentium aut modice querendo gravior erat: non enim ignavia magna imperia contineri; virorum armorumque faciendum certamen; id in summa fortuna aequius quod validius; et sua retinere privatae domus, de alienis certare regiam laudem esse.

Igitur commotus his Vologeses concilium vocat et proximum² sibi Tiridaten constituit atque ita orditur: „hunc ego eodem mecum patre genitum, cum mihi per aetatem summo nomine concessisset, in possessionem Armeniae deduxi, qui tertius potentiae gradus habetur: nam Medos Pacorus ante ceperat; videbarque contra vetera fratrum odia et certamina familiae nostrae penates rite composuisse: prohibent Romani et pacem numquam ipsis prospere laccessitam nunc quoque in exitium suum abrumpunt. non ibo infitias: aequitate quam sanguine, causa quam armis retinere parva maioribus malueram; si cunctatione deliqui, virtute corrigam: vestra quidem vis et gloria in integro est, addita

modestiae fama, quae neque summis mortalium spernenda est et a dis aestimatur.“ simul diademate caput Tiridatis evinxit, promptam equitum manum, quae regem ex more sectatur, Monesi, nobili viro, tradidit adiectis Adiabenorū auxiliis, mandavitque Tigranen Armenia exturbare, dum ipse positus adversus Hyrcanos discordiis vires intimas molemque belli ciet provinciis Romanis minitans.

3 Quae ubi Corbuloni certis nuntiis audita sunt, legiones duas cum Verulano Severo et Vettio Bolano subsidium Tigrani mittit, occulto praeepto, compositius cuncta quam festinantius agerent: quippe bellum habere quam gerere malebat, scripseratque Caesari proprio duce opus esse, qui Armeniam defenderet: Syriam ingruente Vologese acriore in discrimine esse. atque interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat, tumultuariam provincialium manum armat, hostiles ingressus praesidiis intercipit. et quia egena aquarum regio est, castella fontibus inposita; quosdam rivos congestu harenae abdidit.

4 Ea dum a Corbulone tuendae Syriae parantur, acto raptim agmine Moneses, ut famam sui praerit, non ideo nescium aut incautum Tigranen offendit: occupaverat Tigranocertam, urbem copia defensorum et magnitudine moenium validam; ad hoc Nicephorius armis haud spernenda latitudine partem murorum ambit et ducta ingens fossa, qua fluvio diffidebatur; inerantque milites et provisi ante com meatus, quorum subvectu pauci avidius progressi et repentinis hostibus circumventi ira magis quam metu ceteros accenderant. sed Partho ad exsequendas obsidiones nulla comminus audacia: raris sagittis neque clausos exteret et semet frustratur. Adiabeni cum promovere scallas et machinamenta inciperent, facile detrusi, mox erumpentibus nostris caeduntur.

5 Corbulo tamen, quamvis secundis rebus suis, moderandum fortunae ratus misit ad Vologesen qui expostularent vim provinciae illatam; socium amicumque regem, cohortes Romanas circumsideri. omitteret potius obsidionem, aut se quoque in agro hostili castra positurum. Casperius centurio in eam legationem delectus apud oppidum Nisibin, septem et triginta milibus passuum a Tigrano-

p. Ch. 62.

certa distantem, adit regem et mandata ferociter edidit. Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi; nec praesentia prospere fluebant: irritum obsidium; tutus manu et copiis Tigranes; fugati qui expugnationem sumpserant; missae in Armeniam legiones, et aliae pro Syria paratae ultro irrumpere; sibi inbecillum equitem pabuli inopia; nam exorta vis locustarum *ambederat* quidquid herbidum aut frondosum: igitur metu abstruso mitiora obtendens, missurum ad imperatorem Romanum legatos super petenda Armenia et firmanda pace respondet; Mosen omittit Tigranocertam iubet, ipse retro concedit.

Haec plures ut formidine regis et Corbulonis minis ⁶ patrata ac magnifica extollebant; alii occulte pepigisse interpretabantur, ut omisso utrimque bello et abeunte Vologese Tigranes quoque Armenia abscederet: cur enim exercitum Romanum a Tigranocertis deductum? cur deserta per otium quae bello defenderant? an melius hibernavisse in extrema Cappadocia, raptim erectis tuguriis, quam in sede regni modo retenti? dilata prorsus arma, ut Vologeses cum alio quam cum Corbulone certaret, Corbulo merita tot per annos gloriae non ultra periculum faceret. nam, ut retuli, proprium ducem tuendae Armeniae poposcerat, et adventare Caesennius Paetus audiebatur. iamque aderat, copiis ita divisus ut quarta et duodecima legiones addita quinta, quae recens e Moesis excita erat, simul Pontica et Galatarum Cappadocumque auxilia Paeto oboedirent, tertia et sexta et decuma legiones priorque Syriae miles apud Corbulonem manerent, cetera ex rerum usu sociarent partirenturve. sed neque Corbulo aemuli patiens, et Paetus, cui satis ad gloriam erat si proximus haberetur, despiciebat gesta, nihil caedis aut praedae, usurpatae nomine tenus urbium expugnationes dictitans: se tributa ac leges et pro umbra regis Romanum ius victis impositurum.

Sub idem tempus legati Vologesis, quos ad principem ⁷ missos memoravi, revertere inriti, bellumque propalam sumptum a Parthis. nec Paetus detrectavit, sed duabus legionibus, quarum quartam Funisulanus Vettonianus eo in tempore, duodecimum Calavius Sabinus regebant, Armeniam intrat, tristi omine; nam in transgressu Euphra-

tis, quem ponte tramittebant, nulla palam causa turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasis, hostiaque quae muniebantur hibernaculis adsistens semifacta opera fuga perrupit seque vallo extulit, et pila militum arsere, magis insigni prodigio, quia Parthus hostis missilibus telis decertat.

8 Ceterum Paetus spretis ominibus, necdum satis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariae provisu, rapit exercitum trans montem Taurum recipiendis, ut ferebat, Tigranocertis vastandisque regionibus quas Corbulo integras omisisset. et capta quaedam castella, gloriaeque et praedae nonnihil partum, si aut gloriam cum modo aut praedam cum cura habuisset: longinquis itineribus percursando quae obtineri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu et instante iam hieme, reduxit exercitum composuitque ad Caesarem litteras quasi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas.

9 Interim Corbulo numquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus praesidiis insedit, et ne ponti iniciendo impedimentum hostiles turmae afferrent — iam enim subiectis campis magna specie volitabant — naves magnitudine praestantes et connexas trabibus ac turribus auctas agit per amnem catapultisque et balistis proturbat barbaros, in quos saxa et hastae longius permeabant, quam ut contrario sagittarum iactu adaequarentur. dein pons continuatus collesque adversi per socias cohortes, post legionum castris occupantur, tanta celeritate et ostentatione virium ut Parthi omissio paratu invadendae Syriae speram omnem
10 in Armeniam verterent; ubi Paetus imminendum nescius, quintam legionem procul in Ponto habebat, reliquas promiscis militum commeatibus infirmaverat, donec adventare Vologesen magno et infenso agmine auditum. accitur legio duodecima, et unde famam aucti exercitus speraverat, prodita infrequentia, qua tamen retineri castra et eludi Parthus tractu belli poterat, si Paeto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset: verum ubi a viris militibus adversus urgentes casus firmatus erat, rursus, ne alienae sententiae indigens videretur, in diversa ac deteriora transibat. et tunc relictis hibernis, non fossam neque val-

p. Ch. 62.

lum sibi sed corpora et arma in hostem data clamitans, duxit legiones quasi proelio certaturus. deinde amisso centurione et paucis militibus, quos visendis hostium copiis praemiseraat, trepidus remeavit, et quia minus acriter Vologeses institerat, vana rursus fiducia tria milia delecti peditis proximo Tauri iugo imposuit, quo transitum regis arcerent; alares quoque Pannonios, robur equitatus, in parte campi locat; coniux ac filius castello, cui Arsamosata nomen est, abditi, data in praesidium cohorte ac disperso milite, qui in uno habitus vagum hostem promptius sustentavisset. ** et aegre compulsum ferunt ut instantem Corbuloni fateretur. nec a Corbulone properatum, quo gliscentibus periculis etiam subsidii laus augetur. expediri tamen itineri singula milia ex tribus legionibus et alarios octingentos, parem numerum e cohortibus iussit.

At Vologeses, quamvis obsessa a Paeto itinera hinc 11 peditatu inde equite accepisset, nihil mutato consilio, sed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtrivit, uno tantum centurione Tarquittio Crescente turrin, in qua praesidium agitabat, defendere auso factaque saepius eruptione et caesis qui barbarorum propius suggredebantur, donec ignium iactu circumveniretur; peditum si quis integer, longinqua et avia, vulnerati castra repetivere, virtutem regis, saevitiam et copias gentium, cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum qui eadem pavebant; ne dux quidem obniti adversis, sed cuncta militiae munia deseruerat, missis iterum ad Corbulonem precibus, veniret propere, signa et aquilas et nomen reliquum infelicis exercitus tueretur: se fidem interim, donec vita subpeditet, retenturos.

Ille interritus et parte copiarum apud Syriam relicta, ut 12 munimenta Euphrati inposita retinerentur, qua proximum et comitatibus non egenum, regionem Commagenam, exim Cappadociam, inde Armenios petivit; comitabantur exercitum praeter alia sueta bello magna vis camelorum onusta frumenti, ut simul hostem famemque depelleret. primum e percussis Paccium, primi pili centurionem, obvium habuit, dein plerosque militum; quos diversas fugae causas obtendentes redire ad signa et clementiam Paeti experiri monebat: se nisi victoribus immitem esse. simul

suas legiones adire, hortari, priorum admonere, novam gloriam ostendere: non vicos aut oppida Armeniorum sed castra Romana duasque in iis legiones pretium laboris peti. si singulis manipularibus praecipua servati civis corona imperatoria manu tribueretur, quod illud et quantum decus, ubi par eorum numerus apisceretur, qui adtulissent salutem et qui acceperunt! his atque talibus in commune alacres — et erant quos pericula fratrum aut propinquo-
 13 rum propriis stimulis incenderent — continuum diu noctu-
 que iter properabant. eoque intentius Vologeses premere obsessos, modo vallum legionum, modo castellum, quo inbellis actas defendebatur, adpugnare, propius incedens quam mos Parthis, si ea temeritate hostem in proelium eliceret. at illi vix contuberniis extrahi, nec aliud quam munimenta propugnabant, pars iussu ducis, et alii propria ignavia, aut Corbulonem opperientes, ac vis si ingrueret, provisus exemplis Caudinae Numantinaeque cladis; neque eandem vim Samnitibus, Italico populo, aut Poenis, Romani imperii aemulis. validam quoque et laudatam antiquitatem, quotiens fortuna contra daret, saluti consuluisse. qua desperatione exercitus dux subactus primas tamen litteras ad Vologesen non supplices sed in modum querentis composuit, quod pro Armeniis semper Romanae ditionis aut subiectis regi, quem imperator delegisset, hostilia faceret; pacem ex aequo utilem; ne praesentia tantum spectaret: ipsum adversus duas legiones totis regni viribus advenisse: at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum iuvarent.

14 Ad ea Vologeses nihil pro causa, sed opperendos sibi fratres Pacorum ac Tiridaten rescripsit; illum locum tempusque consilio destinatum quid de Armenia cernerent; adiecisse deos dignum Arsacidarum: simul et de legionibus Romanis statuerent. missi posthac a Paeto nuntii et regis colloquium petitum, qui Vasacen, praefectum equitatus, ire iussit. tum Paetus Lucullos, Pompeios et si qua Caesares obtinendae donandaeve Armeniae egerant, Vasaces imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos memorat. et multum in vicem disceptato Monobazus Adiabenus in diem posterum testis his quae pepigissent

p. Ch. 62.

adhibetur, placuitque liberari obsidio legiones et decedere omnem militem finibus Armeniorum castellaque et com-
meatus Parthis tradi; quibus perpetratis copia Vologesi fieret mittendi ad Neronem legatos.

Interim flumini Arsaniae — is castra praefluebat — 15
pontem imposuit, specie sibi illud iter expediētis: sed Parthi quasi documentum victoriae iusserant; namque iis usui fuit; nostri per diversum iere. addidit rumor sub iugum missas legiones et alia ex rebus infaustis, quorum simulacrum ab Armeniis usurpatum est: namque et munita ingressi sunt, antequam agmen Romanum excederet, et circumstetere vias, captiva olim mancipia aut iumenta adgnoscentes abstrahentesque; raptae etiam vestes, retenta arma, pavido milite et concedente, ne qua proelii causa existeret. Vologeses armis et corporibus caesorum aggregatis, quo cladem nostram testaretur, visu fugientium legionum abstinuit: fama moderationis quaerebatur, postquam superbiam expleverat. flumen Arsaniam elephanto insidens, proximus quisque regem vi equorum perrupere, quia rumor incesserat pontem cessurum oneri dolo fabricantium; sed qui ingredi ausi sunt, validum et fidum intellexere.

Ceterum obsessis adeo suppeditavisse rem frumenta- 16
riam constitit ut horreis ignem inicerent contraque proderit Corbulo Parthos inopes copiarum et pabulo attrito relicturos oppugnationem, neque se plus tridui itinere afuisse. adicit iure iurando Paeti cautum apud signa, astantibus iis quos testificando rex misisset, neminem Romanum Armeniam ingressurum, donec referrentur litterae Neronis, an paci annueret. quae ut augendae infamiae composita, sic reliqua non in obscuro habentur, una die quadraginta milium spatium emensum esse Paetum, desertis passim sauciis, neque minus deformem illam fugientium trepidationem quam si terga in acie vertissent. Corbulo cum suis copiis apud ripam Euphratis obvius non eam speciem insignium et armorum praetulit ut diversitatem exprobraret: maesti manipuli ac vicem commilitonum miserantes ne lacrimis quidem temperare; vix prae fletu usurpata consalutatio; decesserat certamen virtutis et ambitio gloriae,

felicium hominum affectus; sola misericordia valebat, et apud minores magis.

- 17 Ducum inter se brevis sermo secutus est, hoc conquereute inritum laborem; potuisse bellum fuga Parthorum finiri; ille integra utrique cuncta respondit: converterent aquilas et iuncti invaderent Armeniam abscéssu Vologesis infirmatam. non ea imperatoris habere mandata Corbulo: periculo legionum commotum e provincia egressum; quando in incerto habeantur Parthorum conatus, Syriam repetiturum; sic quoque optimam fortunam orandam, ut pedes confectus spatiis itinerum alacrem et facilitate camporum praevenientem equitem adsequeretur. exin Paetus per Cappadociam hibernavit. at Vologesis ad Corbulonem missi nuntii: detraheret castella trans Euphraten amnemque, ut olim, medium faceret. ille Armeniam quoque diversis praesidiis vacuam fieri expostulabat. et postremo concessit rex; dirutaque quae Euphraten ultra communi-verat Corbulo, et Armenii sine arbitro relictii sunt.
- 18 At Romae tropaea de Parthis arcusque medio Capitolini montis sistebantur, decreta ab senatu integro adhuc bello neque tum omissa, dum aspectui consulitur spreta conscientia. quin et dissimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim iecit, quo securitatem annonae sustentaret; cuius pretio nihil additum est, quamvis ducentas ferme naves portu in ipso violentia tempestatis et centum alias Tiberi subvectas fortuitus ignis absumpsisset. tris dein consulares, L. Pisonem, Ducenium Geminum, Pompeium Paulinum, vectigalibus publicis praeposuit, cum insectatione priorum principum, qui gravitate sumptuum iustos redditus anteissent: se annuum sexcenties sestertium rei publicae largiri.
- 19 Percrebuerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis aut sorte provinciarum plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturasque et provincias inter patres sortiti statim emitterent manu quos adoptaverant. magna cum invidia senatum adeunt, ius naturae, labores educandi adversus fraudem et artes et brevitatem adoptionis enumerant: satis pretii esse orbis quod multa securitate, nullis oneribus gratiam, honores, cuncta prompta

p. Ch. 62.

et obvia haberent: sibi promissa legum diu expectata in ludibrium verti, quando quis sine sollicitudine parens, sine luctu orbis longa patrum vota repente adaequaret. factum ex eo senatus consultum ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici iuvaret ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.

Exim Claudius Timarchus Cretensis reus agitur, ceteris criminibus, ut solent praevalidi provincialium et opibus nimis ad iniurias minorum elati: una vox eius usque ad contumeliam senatus penetraverat, quod dicitasset in sua potestate situm an proconsulibus, qui Cretam obtinuissent, grates agerentur. quam occasionem Paetus Thræsea ad bonum publicum vertens, postquam de reo censuerat provincia Creta depellendum, haec addidit:

„Usu probatum est, patres conscripti, leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni. sic oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitus Iulias leges, magistratuum avaritia Calpurnia scita pepererunt; nam culpa quam poena tempore prior, emendari quam peccare posterius est. ergo adversus novam provincialium superbiam dignum fide constantiaque Romana capiamus consilium, quo tutelae sociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quisque habeatur, alibi quam in civium iudicio esse. olim quidem non modo praetor aut consul sed privati etiam mittebantur, qui provincias viderent et quid de cuiusque obsequio videretur referrent, trepidabantque gentes de aestimatione singulorum: at nunc colimus externos et adulamur, et quomodo ad nutum alicuius grates, ita promptius accusatio decernitur: decernaturque, et maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi; sed laus falsa et precibus expressa perinde cohibeatur quam malitia, quam crudelitas. plura saepe peccantur dum demeremur quam dum offendimus; quaedam immo virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gratiam animus: inde initia magistratuum nostrorum meliora ferme, et finis inclinat, dum in modum candidatorum suffragia conquirimus; quae si arceantur, aequabilius atque constantius provinciae regentur. nam ut metu repetundarum infracta avaritia est, ita vetita gratiarum actione ambitio cohibetur.“

22 Magno adsensu celebrata sententia; non tamen senatus consultum perfici potuit, abnuentibus consulibus ea de re relatum; mox auctore principe sanxere, ne quis ad concilium sociorum referret agendas apud senatum propraetoribus prove consulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur.

Isdem consulibus gymnasium ictu fulminis conflavit, effigiesque in eo Neronis ad informe aes liquefacta. et motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompeii magna ex parte proruit. defunctaque virgo Vestalis Laelia, in cuius locum Cornelia ex familia Cossorum capta est.

23 MEMMIO REGULO et VERGINIO RUFO consulibus natam sibi ex Poppaea filiam Nero ultra mortale gaudium accepit appellavitque Augustam dato et Poppaeae eodem cognomento; locus puerperio colonia Antium fuit, ubi ipse generatus erat. iam senatus uterum Poppaeae commendaverat dis votaue publice susceperat, quae multiplicata exsolutaque, et additae supplicationes templumque Fecunditati et certamen ad exemplar Actiacae religionis decretum, utque Fortunarum effigies aureae in solio Capitolini Iovis locarentur, ludicrum circense ut Iuliae genti apud Bovillas, ita Claudiae Domitiaeque apud Antium ederetur: quae fluxa fuere, quartum intra mensem defuncta infante. rursusque exortae adulationes censentium honorem divae et pulvinar aedemque et sacerdotem; atque ipse ut laetitiae, ita maeroris inmodicus egit. adnotatum est, omni senatu Antium sub recentem partum effuso, Thraseam prohibitum inmoto animo praenuntiam imminentis caedis contumeliam excepisse; secutam dehinc vocem Caesaris ferunt, qua reconciliatum se Thraseae apud Senecam iactaverit, ac Senecam Caesari gratulatum: unde gloria egregiis viris et pericula gliscebant.

24 Inter quae veris principio legati Parthorum mandata regis Vologesis litterasque in eandem formam attulere: se priora et totiens iactata super obtinenda Armenia nunc omittere, quoniam dii, quamvis potentium populorum arbitri, possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent: nuper clausum Tigranen; post Paetum legionesque cum opprimere posset, incolumes dimisisse; satis adprobatam vim; datum et lenitatis experimentum. nec recusaturum Tiridaten accipiendi diademati in urbem ve-

p. Ch. 63.

nire, nisi sacerdotii religione atfineretur: iturum ad signa et effigies principis, ubi legionibus coram regnum auspicaretur.

Talibus Vologesis litteris, quia Paetus diversa tam-²⁵ quam rebus integris scribebat, interrogatus centurio qui cum legatis advenerat, quo in statu Armenia esset, omnes inde Romanos excessisse respondit. tum intellecto barbarorum inrisu, qui peterent quod eripuerant, consuluit inter primores civitatis Nero, bellum anceps an pax inhonesta placeret. nec dubitatum de bello; et Corbulo militum atque hostium tot per annos gnarus gerendae rei praeficitur, ne cuius alterius inscitia rursus peccaretur, quia Paeti piguerat. igitur inriti remittuntur, cum donis tamen, unde spes fieret non frustra eadem oraturum Tiridaten, si preces ipse attulisset; Syriaeque executio C. Itio, copiae militares Corbuloni permissae; et quinta decuma legio ducente Mario Celso e Pannonia adiecta est; scribitur tetrarchis ac regibus praefectisque et procuratoribus, et qui praetorum finitimas provincias regebant, iussis Corbulonis obsequi in tantum ferme modum aucta potestate, quem populus Romanus Cn. Pompeio bellum piraticum gesturo dederat. regressum Paetum, cum graviora metueret, facetiis insectari satis habuit Caesar, his ferme verbis: ignoscere se statim, ne tam promptus in pavorem longiore sollicitudine aegresceret.

At Corbulo quarta et duodecima legionibus, quae for-²⁶ tissimè quoque amisso et ceteris exterritis parum habiles proelio videbantur, in Syriam translatis, sextam inde ac tertiam legiones, integrum militem et crebris ac prosperis laboribus exercitum, in Armeniam ducit, addiditque legionem quintam, quae per Pontum agens expers cladis fuerat, simul quintadecumanos recens adductos et vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto, quodque alarum cohortiumque, et auxilia regum in unum conducta apud Melitenen, qua tramittere Euphraten parabat. tum lustratum rite exercitum ad contionem vocat orditurque magna de auspiciis imperatoris rebusque a se gestis, adversa in inscitiam Paeti declinans, multa auctoritate, quae viro militari pro facundia erat.

Mox iter L. Lucullo quondam penetratum, apertis quae ²⁷

vetustas obseperat, perguit, et venientes Tiridatis Vologesisque de pace legatos haud aspernatus, adiungit iis centuriones cum mandatis non inmitibus: nec enim adhuc co ventum ut certamine extremo opus esset; multa Romanis secunda, quaedam Parthis evenisse, documento adversus superbiam: proinde et Tiridati conducere intactum vastationibus regnum dono accipere, et Vologesen melius societate Romana quam damnis mutuis genti Parthorum consulturum. scire quantum intus discordiarum, quamque indomitas et praeferoces nationes regeret: contra imperatori suo immotam ubique pacem et unum id bellum esse. simul consilio terrorem adicere, et megistanas Armenios, qui primi a nobis defecerant, pellit sedibus, castella eorum excindit, plana, edita, validos invalidosque pari metu complet.

28 Non infensum nec cum hostili odio Corbulonis nomen etiam barbaris habebatur, eoque consilium eius fidem credebant; ergo Vologeses neque atrox in summam, et quibusdam praefecturis indutias petit; Tiridates locum diemque colloquio poscit. tempus propinquum, locus, in quo nuper obsessae cum Pacto legiones erant, tum barbaris delectus est ob memoriam laetioris sibi rei, Corbuloni non vitatus, ut dissimilitudo fortunae gloriam augetet; neque infamia Pacti angebatur, quod eo maxime patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos atque operire reliquias malae pugnae imperavit. die pacta Tiberius Alexander, illustris eques Romanus, minister bello datus, et Vinianus Annius, gener Corbulonis, nondum senatoria aetate sed pro legato quintae legioni inpositus, in castra Tiridatis venire, honori eius, ac ne metueret insidias tali pignore. vicini dehinc equites adsumpti; et viso Corbulone rex prior equo desiluit; nec cunctatus Corbulo; sed pedes uterque dexteras miscuere.

29 Exin Romanus laudat iuvenem omissis praecipitibus tuta et salutaria capessentem. ille de nobilitate generis multum praefatus cetera temperanter adiungit: iturum quippe Romam laturumque novum Caesari decus, non adversis Parthorum rebus supplicem Arsaciden. tum placuit Tiridaten ponere apud effigiem Caesaris insigne regium nec nisi manu Neronis resumere; et colloquium osculo

p. Ch. 63. 64.

finitum. dein paucis diebus interiectis magna utrimque specie inde eques compositus per turmas et insignibus patriis, hinc agmina legionum stetero fulgentibus aquilis signisque et simulacris deum in modum templi; medio tribunal sedem curulem et sedes effigiem Neronis sustinebat, ad quam progressus Tiridates caesis ex more victimis sublatum capite diadema imagini subiecit, magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum caedes aut obsidio: at nunc versos casus; iturum Tiridaten ostentui gentibus, quanto minus quam captivum?

Addidit gloriae Corbulo comitatem epulasque; et ro- 30
gitante rege causas, quotiens novum aliquid adverterat,
ut initia vigiliarum per centurionem nuntiari, convivium
bucina dimitti et structam ante augurale aram subdita face
accendi, cuncta in maius attollens admiratione prisca mor-
ris affecit. postero die spatium oravit, quo tantum itineris
aditurus fratres ante matremque viseret: obsidem interea
filiam tradit litterasque supplices ad Neronem. et digres- 31
sus Pacorum apud Medos, Vologesen Ecbatanis repperit,
non incuriosum fratris: quippe et propriis nuntiis a Cor-
bulone petierat, ne quam imaginem servitii Tiridates per-
ferret neu ferrum traderet aut complexu provincias obti-
nentium arceretur foribusve eorum adsisteret, tantusque
ci Romae quantus consulibus honor esset: scilicet exter-
nae superbiae sueto non inerat notitia nostri, apud quos
vis imperii valet, inania tramittuntur.

Eodem anno Caesar nationes Alpium maritimarum in 32
ius Latii transtulit. equitum Romanorum locos sedilibus
plebis anteposuit apud circum; namque ad eam diem in-
discreti inibant, quia lex Roscia nihil nisi de quattuorde-
cim ordinibus sanxit. spectacula gladiatorum idem annus
habuit, pari magnificentia ac priora; sed feminarum illu-
strium senatorumque plures per arenam foedati sunt.

C. LAECANIO, M. LICINIO consulibus acriore in dies 33
cupidine adigebatur Nero promiscas scenas frequentandi.
nam adhuc per domum aut hortos cecinerat Iuvenalibus
ludis, quos ut parum celebres et tantae voci angustos
spernebat; non tamen Romae incipere ausus Neapolim quasi

Graecam urbem delegit: inde initium fore, ut transgressus in Achaïam insignesque et antiquitus sacras coronas adeptus maiore fama studia civium eliceret. ergo contractum oppidanorum volgus, et quos e proximis coloniis et municipiis eius rei fama acciverat, quique Caesarem per honorem aut varios usus sectantur, etiam militum manipuli, theatrum Neapolitanorum complent.

34 Illic, plerique ut arbitrabantur, triste, ut ipse, providum potius et secundis numinibus evenit: nam egresso qui affuerat populo vacuum et sine ullius noxa theatrum collapsum est. ergo per compositos cantus grates dis atque ipsam recentis casus fortunam celebrans petiturusque maris Hadriae traiectus apud Beneventum interim consedit, ubi gladiatorum munus a Vatinio celebre edebatur: Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, primo in contumelias assumptus; dehinc optimi cuiusque criminatione eo usque valuit ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos praemineret: eius munus frequentanti Neroni ne inter voluptates quidem a sceleribus cessabatur; isdem quippe 35 illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur, quia super Iuniae familiae claritudinem divum Augustum abavum ferebat. iussi accusatores obicere prodigum largitionibus, neque aliam spem quam in rebus novis esse, cui innoxiae viles; habere quos ab epistulis et libellis et rationibus appellet, nomina summae curae et meditamenta. tum intimus quisque libertorum vincti abreptique, et cum damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit. secutaque Neronis oratio ex more, quamvis sontem et defensionem merito diffisum victurum tamen fuisse, si clementiam iudicis expectasset.

36 Nec multo post, omissa in praesens Achaia — causae in incerto fuere — urbem revisit, provincias Orientis, maxime Aegyptum, secretis imaginationibus agitans. dehinc edicto testificatus non longam sui absentiam et cuncta in re publica perinde immota ac prospera fore, super ea profectioe adiit Capitolium; illic veneratus deos, cum Vestae quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione

p. Ch. 64.

numquam timore vacuus, deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriae leviores dicitans; vidisse maestos civium vultus, audire secretas querimonias, quod tantum *itineris* aditurus esset, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti adversum fortuita aspectu principis referri; ergo ut in privatis necessitudinibus proxima pignora praevalerent, ita populum Romanum vim plurimam habere parendumque retinenti. haec atque talia plebi volentia fuere voluptatum cupidine et, quae praecipua cura est; rei frumentariae angustias, si abesset, metuenti. senatus et primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur; dehinc, quae natura magnis timoribus, deterius credebant quod evenerat.

Ipse quo fidem acquireret nihil usquam perinde laetum sibi, publicis locis struere convivium totaque urbe quasi domo uti: et celeberrimae luxu famaepulae fuere, quas a Tigellino paratas ut exemplum referam, ne saepius eadem prodigientia narranda sit. igitur in stagno Agrippae fabricatus est ratem, cui superpositum convivium navium aliarum tractumoveretur. naves auro et ebore distinctae remigesque exoleti per aetates et scientiam libidinum componebantur; volucres et feras diversis e terris et animalia maris Oceano abusque petiverat. crepidinibus stagni lupanaria astabant illustribus feminis completa, et contra scorta visebantur nudis corporibus. iam gestus motusque obsceni, et postquam tenebrae incedebant, quantum iuxta nemoris et circumiecta tecta consonare cantu et luminibus clarescere. ipse per licita atque illicita foedatus nihil flagitii reliquerat quo corruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege — nomen Pythagorae fuit — in modum sollemnium coniugiorum denupsisset: inditum imperatori flammeum, missi auspices; dos et genialis torus et faces nuptiales, cuncta denique spectata quae etiam in femina nox operit.

Sequitur clades, forte an dolo principis incertum — 38 nam utrumque auctores prodidere — sed omnibus quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt gravior atque atrocior. initium in ea parte circi ortum quae Palatino Caelioque montibus contigua est, ubi per tabernas, quibus id

mercimonium inerat quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim validus ac vento citus longitudinem circi corripuit; neque enim domus munimentis septae vel templa muris cincta aut quid aliud morae interiacebat. impetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita assurgens, et rursus inferiora populando, anteit remedia velocitate mali et obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. ad hoc lamenta paventium [feminarum], fessa [aetate] aut rudis [pueritiae] actas, quique sibi quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos aut opperiantur, pars mora, pars festinans, cuncta impediabant. et saepe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur, vel si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant in eodem casu reperiebant: postremo, quid vitarent, quid peterent ambigui complere vias, sterni per agros; quidam amissis omnibus fortunis, diurni quoque victus, alii caritate suorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio interiire. nec quisquam defendere audebat, crebris multorum mimis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces iaciebant atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive ut raptus licentius exercerent, seu iussu.

39 Eo in tempore Nero Antii agens non ante in urbem regressus est quam domui eius, qua palatium et Maecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret; neque tamen sisti potuit, quin et palatium et domus et cuncta circum haurirentur. sed solatium populo exturbato ac profugo campum Martis ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit et subitaria aedificia extruxit quae multitudinem inopem acciperent, subvectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos. quae, quamquam popularia, in irritum cadebant, quia pervaserat rumor ipso tempore flagrantis urbis inisse eum domesticam scenam et cecinisse Troianum excidium, praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem.

40 Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, proruptis per immensum aedificiis, ut continuae vio-

p. Ch. 64.

lenticiae campus et velut vacuum caelum occurreret. necdum positus metus auctus redibat: saevus rursus grassatus ignis patulis magis urbis locis, eoque strages hominum minor: delubra deum et porticus amoenitati dicatae latius proci dere; plusque infamiae id incendium habuit, quia praediis Tigellini Aemilianis proruperat videbaturque Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere. quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur, quarum quattuor integrae manebant, tres solo tenus deiectae, septem reliquis pauca tectorum vestigia supere rant, lacera et semusta.

Domuum et insularum et templorum, quae amissa sunt, 41 numerum inire haud promptum fuerit; sed vetustissima religione, quod Servius Tullius Lunae, et magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Euander sacra verat, aedesque Statoris Iovis vota Romulo Numaeque regia et delubrum Vestae cum penatibus populi Romani exusta; iam opes tot victoriis quaesitae et Graecarum artium decora; exin monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta, quamvis in tanta resurgentis urbis pulchritudine, multa seniores meminerint, quae reparari nequibant. fuere qui adnotarent quartum decimum kal. Sextiles principium incendii huius ortum, quo et Senones captam urbem inflammaverint. alii eo usque cura progressi sunt ut totidem annos mensesque et dies inter utraque incendia numerent.

Ceterum Nero usus est patriae ruinis extruxitque do- 42 mum, haud proinde gemmae et aurum miraculo essent, sed pridem et luxu volgata, quam arva et stagna et in modum solitudinum hinc silvae, inde aperta spatia et prospectus, magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat etiam quae natura denegavisset per artem temptare et viribus principis illudere; namque ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros promiserant, squalenti litore aut per montes adversos; neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit quam Pomptinae paludes: cetera abrupta aut arentia, ac si perrumpi possent, intolerandus labor nec satis causae. Nero tamen, ut erat incredibilium

cupitor, effodere proxima Averno iuga connisus est manentque vestigia irritae spei.

- 43 Ceterum urbis quae domui supererant, non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione nec passim erecta, sed dimensis vicorum ordinibus et latis viarum spatiis, cohibitaque aedificiorum altitudine ac patefactis areis additisque porticibus quae frontem insularum protegerent. eas porticus Nero sua pecunia exstructurum purgatasque areas dominis traditurum pollicitus est. addidit praemia pro cuiusque ordine et rei familiaris copiis, finivtique tempus intra quod effectis domibus aut insulis apiscerentur. ruderum accipiendo Ostienses paludes destinabat, utique naves, quae frumentum Tiberi subvectassent, onustae rudere decurrerent, aedificiaque ipsa certa sui parte sine trabibus saxo Gabino Albanove solidarentur, quod is lapis ignibus impervius est; iam aqua privatorum licentia intercepta quo largior et pluribus locis in publicum flueret, custodes; et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet, nec communione parietum sed propriis quaeque muris ambirentur: ea ex utilitate accepta decorem quoque novae urbi attulere; erant tamen qui crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiae iterum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perurperentur: at nunc patulam latitudinem et nulla umbra defensam graviore aestu ardescere.

- 44 Et haec quidem humanis consiliis providebantur: mox petita a dis piacula aditque Sibyllae libri, ex quibus supplicatum Volcano et Cereri Proserpinaeque, ac propitiata Iuno per matronas primum in Capitolio, deinde apud proximum mare, unde hausta aqua templum et simulacrum deae perspersum est; et sellisternia ac pervigilia celebrare feminae quibus mariti erant. sed non opè humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur; ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat, repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erum-

p. Ch. 64.

pebat non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocitas aut pudenda confluent celebranturque. igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud proinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt; et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contacti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel *curriculo* insistens. unde, quamquam adversus fontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius absumerentur.

Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provin- 45
ciae eversae sociique populi et quae civitatum liberae vocantur, inque eam praedam etiam dii cessere spoliatis in urbe templis egestoque auro, quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas prosperè aut in metu sacra-
verat. enimvero per Asiam atque Aethiopiā non dona tantum sed simulacra numinum abripiebantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carrinate; ille libertus cuicumque flagitio promptus; hic Graeca doctrina ore tenus exercitum animum bonis artibus non induerat. ferebatur Seneca, quo invidiam sacrilegii a semet averteret, longinqui ruris secessum oravisse, et postquam non concedebatur, ficta valetudine, quasi aeger nervis, cubiculum non egressus. tradidere quidam venenum ei per libertum ipsius, cui nomen Cleonicus, paratum iussu Neronis vitatumque a Seneca prodicione liberti seu propria formidine, dum persimplici victu et agrestibus pomis, ac si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat.

Per idem tempus gladiatores apud oppidum Praeneste 46
temptata eruptione praesidio militis, qui custos adesset, coerciti sunt, iam Spartacum et vetera mala rumoribus ferente populo, ut est novarum rerum cupiens pavidusque. nec multo post clades rei navalis accipitur, non bello — quippe haud alias tam immota pax — sed certum ad diem in Campaniam redire classem Nero iusserat, non

exceptis maris casibus; ergo gubernatores, quamvis saeviente pelago, a Formiis inovere; et gravi Africo, dum promontorium Miseni superare contendunt, Cumanis litorebus in tacti triremium plerasque et minora navigia passim amiserunt.

47 Fine anni volgantur prodigia, imminentium malorum nuntia. vis fulgurum non alias crebrior, et sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum; bicipites hominum aliorumve animalium partus abiecti in publicum aut in sacrificiis, quibus gravidas hostias immolare mos est, reperti; et in agro Placentino viam propter natus vitulus cui caput in crure esset, secutaque haruspicum interpretatio, parari rerum humanarum aliud caput, sed non fore validum neque occultum, quia in utero repressum et iter iuxta editum sit.

48 Ineunt deinde consulatum SILIUS NERVA et ATTICUS VESTINUS coepta simul et aucta coniuratione, in quam certatim nomina dederant senatores, eques, miles, feminae etiam, cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem: is Calpurnio genere ortus ac multas insignesque familias paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat per virtutem aut species virtutibus similes; namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversum amicos et ignotis quoque, comi sermone et congressu; aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies; sed procul gravitas morum aut voluptatum parsimonia; lenitati ac magnificentiae et aliquando luxu indulgebat, idque pluribus probabatur, qui in tanta vitiorum dulcedine summum imperium non restrictum nec perseverum volunt.

49 Initium coniurationi non a cupidine ipsius fuit, nec tamen facile memoraverim quis primus auctor, cuius instinctu concitum sit quod tam multi sumpserunt: promptissimos Subrium Flavum, tribunum praetoriae cohortis, et Sulpicium Asprum centurionem extitisse constantia exitus docuit; et Lucanus Annaeus Plautiusque Lateranus [consul designatus] vivida odia intulere: Lucanum propriae causae accendebant, quod famam carminum eius premebat Nero prohibueratque ostentare, vanus aemulatione; Lateranum, consulem designatum, nulla iniuria sed amor rei

p. Ch. 65.

publicae sociavit. at Flavius Scaevinus et Afranius Quintianus, uterque senatorii ordinis, contra famam sui principium tanti facinoris capessivere; nam Scaevino dissoluta luxu mens et proinde vita somno languida: Quintianus mollitia corporis infamis et a Nerone probroso carmine diffamatus contumelias ultum ibat. ergo dum scelera principis, et finem adesse imperio, deligendumque qui fessis rebus succurreret, inter se aut inter amicos iaciunt, adgregavere *Claudium Senecionem*, *Cervarium Proculum*, *Vulcatium Araricum*, *Iulium Augurinum*, *Munatium Gratum*, *Antonium Natalem*, *Marcium Festum*, equites Romanos; ex quibus *Senecio*, e praecipua familiaritate *Neronis*, speciem amicitiae etiam tum retinens eo pluribus periculis conflictabatur; *Natalis* particeps ad omne secretum *Pisoni* erat; ceteris spes ex novis rebus petebatur. adscitae sunt super *Subrium* et *Sulpicium*, de quibus retuli, militares manus *Gavius Silvanus* et *Stadius Proximus*, tribuni cohortium praetoriarum, *Maximus Scaurus* et *Venetus Paulus* centuriones; sed summum robur in *Faenio Rufo* praefecto videbatur, quem vita famaue laudatum per saevitiam inpudicitiamque *Tigellinus* in animo principis anteibat fatigabatque criminationibus ac saepe in metum adduxerat quasi adulterum *Agrippinae* et desiderio eius ultioni intentum. igitur ubi coniuratis praefectum quoque praetorii in partes descendisse crebro ipsius sermone facta fides, promptius iam de tempore ac loco caedis agitabant; et cepisse impetum *Subrius Flavius* ferebatur in scena canentem *Neronem* adgrediendi, aut cum *abscedens* domo per noctem huc illuc cursaret incustoditus: hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia, tanti decoris testis pulcherrima, animum extimulaverant, nisi impunitatis cupido retinisset, magnis semper conatibus adversa.

Interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum *Epicharis* quaedam, incertum quonam modo sciscitata — neque illi ante ulla rerum honestarum cura fuerat — accendere et arguere coniuratos, ac postremum lentitudinis eorum pertaesa et in *Campania* agens primores classiariorum *Misenensium* labefacere et conscientia illigare conata est tali initio: erat nauarchus in ea classe *Volusius*

- Proculus, occidendae matris Neronis inter ministros, non ex magnitudine sceleris provectus, ut rebatur; is mulieri olim cognitus, seu recens orta amicitia, dum merita erga Neronem sua et quam in irritum cecidissent aperit adicitque questus et destinationem vindictae, si facultas oreretur, spem dedit posse inPELLI et plures conciliare: nec leve auxilium in classe, crebras occasiones, quia Nero multo apud Puteolos et Misenum maris usu laetabatur. ergo Epicharis plura: et omnia scelera principis orditur; neque serum aliquid manere, sed provisum, quonam modo poenas eversae rei publicae daret: accingeretur modo navare operam et militum acerrimos ducere in partes, ac digna pretia expectaret. nomina tamen coniuratorum reticuit; unde Proculi indicium inritum fuit, quamvis ea quae audierat ad Neronem detulisset. accita quippe Epicharis et cum indice composita nullis testibus innisum facile confutavit. sed ipsa in custodia retenta est, suspectante Nerone haud falsa esse etiam quae vera non probabantur.
- 52 Coniuratis tamen metu proditiois permotis placitum maturare caedem apud Baias in villa Pisonis, cuius amoenitate captus Caesar crebro ventitabat balneasque et epulas inibat omissis excubiis et fortunae suae mole. sed abnuvit Piso, invidiam praetendens, si sacra mensae diique hospitales caede qualiscumque principis cruentarentur: melius apud urbem in illa invisam et spoliis civium extracta domo vel in publico patratos quod pro re publica suscepissent. haec in commune, ceterum timore occulto ne L. Silanus eximia nobilitate disciplinaeque C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatum imperium invaderet, prompte daturis qui a coniuratione integri essent quique miserarentur Neronem tamquam per scelus interfectum. plerique Vestini quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne ad libertatem oreretur vel delecto imperatore alio sui muneris rem publicam faceret; etenim expers coniurationis erat, quamvis super eo crimine Nero vetus adversum insontem odium expleverit.
- 53 Tandem statuere circensium ludorum die, qui Cereri celebratur, exequi destinata, quia Caesar rarus egressu

p. Ch. 65.

domoque aut hortis clausus ad ludicra circi ventitabat promptioresque aditus erant laetitia spectaculi. ordinem insidiis composuerant, ut Lateranus, quasi subsidium rei familiari oraret, deprecabundus et genibus principis accidens prosterneret incautum premeretque, animi validus et corpore ingens; tum iacentem et impeditum tribuni et centuriones et ceterorum, ut quisque audentiae habuisset, adcurrerent trucidarentque, primas sibi partes expostulante Scaevino, qui pugionem templo Salutis [in Etruria] sive, ut alii tradidere, Fortunae Ferentino in oppido detraxerat gestabatque velut magno operi sacrum; interim Piso apud aedem Cereris opperiretur, unde eum praefectus Faenius et ceteri accitum ferrent in castra, comitante Antonia, Claudii Caesaris filia, ad eliciendum volgi favorem, quod C. Plinius memorat: nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamvis absurdum videretur aut inanem ad spem Antoniam nomen et periculum commodavisse, aut Pisonem notum amore uxoris alii matrimonio se obstrinxisse, nisi si cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est.

Sed mirum quam inter diversi generis, ordinis, aetatis, 54
sexus, dites, pauperes taciturnitate omnia cohibita sint, donec proditio coepit e domo Scaevini; qui pridie insidiarum multo sermone cum Antonio Natale, dein regressus domum testamentum obsignavit, promptum vagina pugionem, de quo supra retuli, vetustate obtusum increpans asperari saxo et in mucronem ardescere iussit eamque curam liberto Milicho mandavit; simul affluentius solito convivium initum, servorum carissimi libertate et alii pecunia donati; atque ipse maestus et magnae cogitationis manifestus erat, quamvis laetitiam vagis sermonibus simularet; postremo volneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis, petebat, quae eundem Milichum monet, sive gnarum coniurationis et illuc usque fidum, seu nescium et tunc primum arreptis suspicionibus, ut plerique tradidere de consequentibus: nam cum secum servilis animus praemia perfidiae reputavit, simulque inmensa pecunia et potentia obversabantur, cessit fas et salus patroni et acceptae libertatis memoria; etenim uxoris quoque consilium adsumpserat, muliebre ac deterris: quippe ultro metum intentabat, multosque astituisse

- libertos ac servos, qui eadem viderint; nihil profuturum unius silentium; at praemia penes unum fore, qui indicio praevenisset.

55 Igitur coepta luce Milichus in hortos Servilianos pergit et cum foribus arceretur, magna et atrocia adferre dictitans deductusque ab ianitoribus ad libertum Neronis Epaphroditum, mox ab eo ad Neronem, urgens periculum, graves coniuratos et cetera quae audierat, coniectaverat, docet; telum quoque in necem eius paratum ostendit accirique reum iussit. is raptus per milites et defensionem orsus, ferrum, cuius argueretur, olim religione patria cultum et in cubiculo habitum ac fraude liberti subreptum respondit; tabulas testamenti saepius a se et incustodita dierum observatione signatas; pecunias et libertates servis et ante dono datas, sed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari et instantibus creditoribus testamento diffideret; enimvero liberales semper epulas struxisse; vitam amoenam et duris iudicibus parum probatam; fomenta vulneribus nulla iussu suo, sed quia cetera palam vana obiecisset, adiungere crimen, cuius sese pariter indicem et testem faceret. adicit dictis constantiam, incusat ultro inestabilem et consceleratum, tanta vocis ac vultus securitate ut labaret indicium, nisi Milichum uxor admonuisset Antonium Natalem multa cum Scaevino ac secreta collocutum, et esse utrosque C. Pisonis intimos.

56 Ergo accitur Natalis, et diversi interrogantur quisnam is sermo, qua de re fuisset. tum exorta suspicio, quia non congruentia responderant; inditaque vincla; et tormentorum aspectum ac minas non tulere: prior tamen Natalis, totius conspirationis magis gnarus, simul arguendi peritior, de Pisonem primum fatetur, deinde adicit Annaeum Senecam, sive internuntius inter eum Pisonemque fuit, sive ut Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecae omnes ad eum opprimendum artes conquirebat. tum cognito Natalis indicio Scaevinus quoque, pari inbecillitate an suncta iam patefacta credens nec ullum silentii emolumentum, edidit ceteros. ex quibus Lucanus Quintianusque et Senecio diu abnuere: post promissa impunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Aciliam, matrem suam,

p. Ch. 65.

Quintianus Glitium Gallum, Senecio Annium Pollionem, amicorum praecipuos, nominavere.

Atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indicio 57
Epicharin attineri ratusque muliebre corpus impar dolori tormentis dilacerari iubet. at illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium ne a femina spernerentur, pervicere, quin obiecta denegaret. sic primus quaestionis dies contemptus: postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellae — nam dissolutis membris insistere nequibat — vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit cervicem et corporis pondere connisa tenuem iam spiritum expressit, clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent. non enim omittebant Lucanus quoque et Senecio et Quintianus passim conscios edere, magis magisque pavido Nerone, quamquam multiplicatis excubiis semet sepsisset. quin 58
et urbem per manipulos occupatis moenibus, insesso etiam mari et amne, velut in custodiam dedit volitabantque per fora, per domos, rura quoque et proxima municipiorum pedites equitesque, permixti Germanis, quibus fidebat princeps quasi externis. continua hinc et vinceta agmina trahi ac foribus hortorum adiacere, atque ubi dicendam ad causam introissent, *non celatus tantum* erga coniuratos sed fortuitus sermo et subiti occursus, si convivium, si spectaculum simul inissent, pro crimine accipi, cum super Neronis ac Tigellini saevas percontationes Faenius quoque Rufus violenter urgueret, nondum ab indicibus nominatus, sed quo fidem inscitiae pararet, atrox adversus socios; idem Subrio Flavio assistenti adnuentique, an inter ipsam cognitionem destringeret gladium caedemque patraret, renuit infregitque impetum iam manum ad capulum referentis.

Fuere qui prodita coniuratione, dum auditur Milichus, 59
dum dubitat Scaevinus, hortarentur Pisonem pergere in castra aut rostra escendere studiaque militum et populi temptare: si conatibus eius conscii aggregarentur, secutu-

ros etiam integros, magnamque motae rei famam, quae plurimum in novis consiliis valeret; nihil adversum haec Neroni provisum; etiam fortes viros subitis terreri, nedum ille scenicus, Tigellino scilicet cum paelicibus suis comitante, arma contra cieret; multa experiendo confieri, quae segnibus ardua videantur; frustra silentium et fidem in tot consciorum animis et corporibus sperare; cruciatui aut praemio cuncta pervia esse; venturos qui ipsum quoque vincirent, postremo indigna nece afficerent: quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rem publicam, dum auxilia libertati invocat! miles potius deesset et plebes desereret, dum ipse maioribus, dum posteris, si vita praeriperetur, mortem adprobaret. immotus his et paululum in publico versatus, post domi secretus, animum adversum suprema firmabat, donec manus militum adveniret, quos Nero tirones aut stipendiis recentes delegerat; nam vetus miles timebatur tamquam favore inbutus. obiit abruptis brachiorum venis. testamentum foedis adversus Neronem adulationibus amori uxoris dedit, quam degenerem et sola corporis forma commendatam amici matrimonio abstulerat; nomen mulieris Atria Galla, priori marito Domitius Silus: hic patientia, illa impudicitia Pisonis infamiam propagavere.

60 Proximam necem Plautii Laterani, consulis designati, Nero adiungit, adeo prope ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. raptus in locum servilibus poenis sepositum manu Statii tribuni trucidatur, plenus constantis silentii nec tribuno obiciens eandem conscientiam.

Sequitur caedes Annaei Senecae, laetissima principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat; solus quippe Natalis et hactenus prompsit, missum se ad aegrotum Senecam, uti viseret conquerereturque cur Pisonem aditu arceret: melius fore, si amicitiam familiari congressu exercuissent; et respondisse Senecam sermones mutuos et crebra colloquia neutri conducere; ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. haec ferre Gavius Silvanus, tribunus praetoriae cohortis, et an dicta Natalis suaque

p. Ch. 65.

responsa nosceret percontari Senecam iubetur. is, forte an prudens, ad eum diem ex Campania remeaverat quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat; illo propinqua vespera tribunus venit et villam globis militum sepsit, tum ipsi cum Pompeia Paulina uxore et amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit.

Seneca missum ad se Natalem conquestumque nomine 61 Pisonis quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valitudinis et amorem quietis excusavisse respondit; cur salutem privati hominis incolumitati suae anteferet, causam non habuisse, nec sibi promptum in adulationes ingenium, idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui saepius libertatem Senecae quam servitium expertus esset. ubi haec a tribuno relata sunt Poppaea et Tigellino coram, quod erat saevienti principi intimum consiliorum, interrogat an Seneca voluntariam mortem pararet. tum tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprensum confirmavit. ergo regredi et indicere mortem iubetur. tradit Fabius Rusticus non eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse ad Faenium praefectum, et expositis Caesaris iussis an obtemperaret interrogavisse, monitumque ab eo ut exequeretur, fatali omnium ignavia; nam et Silvanus inter coniuratos erat augebatque scelera in quorum ultionem consenserat; voci tamen et aspectui pepercit intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denuntiaret.

Ille interritus poscit testamenti tabulas; ac denegante 62 centurione conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere testatur, cuius si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis amicitiae laturos. simul lacrimas eorum modo sermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogitans ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminetia? cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? neque aliud superesse *post* matrem fratremque interfectos quam ut educatoris praeceptorisque necem adiceret.

Ubi haec atque talia velut in commune disseruit, com- 63

plectitur uxorem, et paululum adversus praesentem fortunam mollitus rogat oratque temperare dolori *neve* aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solatiis honestis toleraret. illa contra sibi quoque destinatam mortem adseverat manumque percussoris exposcit. tum Seneca gloriae eius non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret, „vitae“ inquit „delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo; sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine.“ post quae eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parco victu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit, saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse visendo eius tormenta ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo.

- 64 At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, *iubet* inhiberi mortem. hortantibus militibus servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae; nam, ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse, deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam; cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria et ore ac membris in eum pallorem albertibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat, provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur, promeret, adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus et cluso corpore adversum vim veneni. postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum addita voce, libare se liquorem illum Iovi liberatori. exim balneo inlatus et vapore eius exanimatus, sine ullo funeris

p. Ch. 65.

sollemni crematur: ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret.

Fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus occulto 65 consilio neque tamen ignorante Seneca destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur tradereturque imperium Senecae, quasi insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium delecto; quin et verba Flavi vulgabantur, non referre dedecoris, si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet, quia ut Nero cithara, ita Piso tragico ornatu canebat.

Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit, 66 accensis [quoque] indicibus ad prodendum Faenium Rufum, quem eundem conscium et inquisitorem non tolerabant. ergo instanti minitantiq[ue] renidens Scaevinus neminem ait plura scire quam ipsum, hortaturque ultro, redderet tam bono principi vicem. non vox adversum ea Faenio, non silentium, sed verba sua praepediens et pavoris manifestus; ceterisque ac maxime Cervario Proculo, equite Romano, ad convincendum eum conmissis, iussu imperatoris a Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur vinciturque.

Mox eorundem indicio Subrius Flavus tribunus per- 67 vertitur, primo dissimilitudinem morum ad defensionem trahens, neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum; dein, postquam urgebatur, confessionis gloriam amplexus, interrogatusque a Nerone quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset, „oderam te“ inquit; „nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti: odisse coepi, postquam parricida matris et uxoris, auriga et histrio et incendiarius extitisti.“ ipsa rettuli verba, quia non, ut Senecae, volgata erant, nec minus nosci decebat militaris viri sensus incompertos et validos. nihil in illa coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quae faceret insolens erat. poena Flavi Veianio Nigro tribuno mandatur; is proximo in agro scrobem effodi iussit, quam visam Flavus ut humilem et angustam increpans, circumstantibus militibus „ne hoc quidem“ inquit „ex disciplina.“ admonitusque fortiter pro-

tendere cervicem: „utinam“ ait „tu tam fortiter ferias!“ et ille multum tremens cum vix duobus ictibus caput amputavisset, saevitiam apud Neronem iactavit, sesquiplaga interfectum a se dicendo.

68 Proximum constantiae exemplum Sulpicius Asper centurio praebuit, percontanti Neroni cur in caedem suam conspiravisset, breviter respondens non aliter tot flagitiis eius subveniri potuisse. tum iussam poenam subiit. nec ceteri centuriones in perpetiendis suppliciis degeneravere: at non Faenio Rufo par animus, sed lamentationes suas etiam in testamentum contulit.

Opperiebatur Nero ut Vestinus quoque consul in crimen traheretur, violentum et infensum ratus: sed ex coniuratis consilia cum Vestino non miscuerant quidam vetustis in eum simulatibus, plures, quia praecipitem et insociabilem credebant. ceterum Neroni odium adversus Vestinum ex intima sodalitate coeperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit, saepe asperis facetiis inlusus, quae ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. accesserat repens causa, quod Vestinus Statilium Messalinam matrimonio sibi iunxerat, haud nescius inter adulteros eius
69 et Caesarem esse. igitur non crimine, non accusatore existente, quia speciem iudicis induere non poterat, ad vim dominationis conversus Gerellanium tribunum cum cohorte militum inmittit iubetque praevenire conatus consulis, occupare velut arcem eius, opprimere delectam iuventutem, quia Vestinus imminentes foro aedes decoraque servitia et pari aetate habebat. cuncta eo die munia consulis impleverat conviviumque celebrabat, nihil metuens an dissimulando metu, cum ingressi milites vocari eum a tribuno dixere. ille nihil demoratus exsurgit. et omnia simul properantur: clauditur cubiculo, praesto est medicus, absconduntur venae, vicens adhuc balneo infertur, calida aqua mersatur, nulla edita voce qua semet miseraretur. circumdati interim custodia qui simul discubuerant nec nisi provecta nocte omissi sunt, postquam pavorem eorum, ex mensa exitium opperientium, et imaginatus et inridens Nero satis supplicii luisse ait pro epulis consularibus.

p. Ch. 65.

Exim Annaei Lucani caedem imperat. is profuente 70
 sanguine ubi frigescere pedes manusque et paulatim ab
 extremis cedere spiritum fervido adhuc et compote men-
 tis pectore intellegit, recordatus carmen a se compositum,
 quo vulneratum militem per eiusmodi mortis imaginem
 obisse tradiderat, versus ipsos rettulit, eaque illi suprema
 vox fuit. Senecio posthac et Quintianus et Scaevinus non
 ex priore vitae mollitia, mox reliqui coniuratorum periere,
 nullo facto dictove memorando.

Sed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victi- 71
 mis; alius filio, fratre alius aut propinquo aut amico inter-
 fectis, agere grates deis, ornare lauru domum, genua ipsius
 advolvi et dextram osculis fatigare. atque ille gaudium id
 credens Antonii Natalis et Cervarii Proculi festinata indi-
 cia inpunitate remuneratur; Milichus praemiis ditatus con-
 servatoris sibi nomen, Graeco eius rei vocabulo, adsumpsit;
 e tribunis Gavius Silvanus, quamvis absolutus, sua manu
 cecidit, Staius Proxumus veniam, quam ab imperatore
 acceperat, vanitate exitus corruptit. exuti dehinc tribunatu
 ** Pompeius, Cornelius Martialis, Flavius Nepos, Staius
 Domitius, quasi principem non quidem odissent, sed tamen
 existimarentur; Novio Prisco per amicitiam Senecae, et
 Glitio Gallo atque Annio Pollioni infamatis magis quam
 convictis data exilia; Priscum Artoria Flaccilla coniux
 comitata est, Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum
 et integris opibus, post adeptis; quae utraque gloriam
 eius auxere. pellitur et Rufius Crispinus, occasione con-
 iurationis, sed Neroni invisus quod Poppaeam quondam
 matrimonio tenuerat. Verginium *Flavum et Musonium* Ru-
 fum claritudo nominis expulit: nam Verginius studia iu-
 venum eloquentia, Musonius praeceptis sapientiae fovebat.
 Cluidieno Quietio, Iulio Agrippae, Blitio Catulino, Petro-
 nio Prisco, Iulio Altino, velut in agmen et numerum,
 Aegaei maris insulae permittuntur. at Caedicia, uxor Scae-
 vini, et Caesonius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse
 se tantum poena experti. Acilia, mater Annaei Lucani,
 sine absoluteione, sine supplicio dissimulata.

Quibus perpetratis Nero et contione militum habita 72
 bina nummum milia viritim manipularibus divisit addidit-

que sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonae utebantur. tum, quasi gesta bello expositurus, vocat senatum et triumphale decus Petronio Turpiliano consulari, Cocceio Nervae, praetori designato, Tigellino, praefecto praetorii, tribuit, Tigellinum et Nervam ita extollens, ut super triumphales in foro imagines apud palatium quoque effigies eorum sisteret. consularia insignia Nymphidio **** [*de quo*] quia nunc primum oblatum est, pauca repetam: nam et ipse pars Romanarum cladum erit. igitur matre libertina ortus, quae corpus decorum inter servos liberosque principum vulgaverat, ex C. Caesare se genitum ferebat, quoniam forte quadam habitu procerus et torvo vultu erat, sive C. Caesar, scortorum quoque cupiens, etiam matri eius illudit.

- 73 Sed Nero vocato senatu oratione inter patres habita edictum apud populum et collata in libros indicia confessionesque damnatorum adiunxit; etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, tamquam viros ** et insontes ob invidiam aut metum extinxisset. ceterum coeptam adultamque et revictam coniurationem neque tunc dubitavere quibus verum noscendi cura erat, et fatentur qui post interitum Neronis in urbem regressi sunt. at in senatu cunctis, ut cuique plurimum maeroris, in adulationem demissis, Iunium Gallionem, Senecae fratris morte pavidum et pro sua incolumitate supplicem, increpuit Salienus Clemens, hostem et parricidam vocans, donec consensu patrum deterritus est, ne publicis malis abuti ad occasionem privati odii videretur, neu composita aut oblitterata mansuetudine
- 74 principis novam ad saevitiam retraheret. tum [*decreta*] dona et grates deis decernuntur propriusque honos Soli, cui est vetus aedes apud circum, in quo facinus parabatur, qui occulta coniurationis numine retexisset; utque circensium Cerialium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur mensisque Aprilis Neronis cognomentum acciperet, templum Saluti extrueretur eo loci, ex quo Scaevinus ferrum prompserat; ipse eum pugionem apud Capitolium sacrauit inscripsitque Iovi vindici, in praesens haud animadversum; post arma Iulii Vindicis ad auspiciam et praesagium futurae ultionis trahebatur. reperio in

p. Ch. 65.

commentariis senatus Cerialem Anicium, consulem designatum, pro sententia dixisse ut templum divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur, quod quidem ille decernebat tamquam mortale fastigium egresso et venerationem hominum merito: [*Nero prohibuit, ne*] quorundam dolus ad omina sui exitus verteretur. nam deum honor principi non ante habetur quam agere inter homines desierit.

CORNELII TACITI

ANNALIUM

AB EXCESSU DIVI AUGUSTI

LIBER SEXTUS DECIMUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1—3. Illudit fortuna vanitati Neronis per Bassum, qui thesaurum in Numidia defossum iactat, quem Nero frustra quaerit. 4. lustrali certamine victoria cantus oblata Neroni et corona facundiae. 5. in eo spectaculo auditorum molestia et Vespasiani periculum. 6. Poppaeam mortuam laudat Nero apud rostra.

7—9. Pulsi Cassius et Silanus necantur. 10. 11. L. Vetus cum Sextia socru et Pollucia filia perit. 12. accusatoris praemia. mensium nova nomina. 13. turbine ventorum vastata Campania. pestilentia. Lugdunensem cladem princeps solatur. 14. 15. Sosiani fraude Chaldaeorum consultores, P. Anteius et Ostorius Scapula, delati mortem iussi properant. 16. Taciti super tot cladibus querelae. 17. Rufius Crispinus coactus se interfecit. Mela falsis litteris circumventus, similique arte Cerialis. 18. 19. C. Petronius, erudito luxu notus, Tigellini invidia exosus, venas sibi incidit, flagitia principi codicillis exprobrat. 20. inde Siliae exilium.

21—23. Thraseam Paetum accusant Cossutianus et Eprius, Baream Soranum Ostorius Sabinus. 24. ad Neronem codicillos dat Thrasea. is patres vocari iubet. 25. 26. consultat Thrasea an in curia defensionem temptet. 27. Nero senatum armis obsidet, infrequentiam patrum arguit. 28—30. Marcellus Eprius Thraseam, Helvidium, Agrippinum, Montanum, Ostorius Baream cum filia Servilia accusant. 31. eorum miserabilis defensio in senatu. 32. 33. Egnatius pseudostoiicus perfide in Soranum agit; cui Cassius Asclepiodotus egregiam fidem praestat. Thraseae, Sorano, Serviliae datur mortis arbitrium. Helvidius, Paconius Italia pulsi. Montanus patri concessus. accusatores remunerati. 34. Thrasea libat Iovi liberatori.

Anni unius haec gesta, C. Suetonio, L. Pontio Telesino coss.

- 1 Inlusit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius et promissa Caesellii Bassi, qui origine Poenus, mente turbida, nocturnae quietis imaginem ad spem haud dubiae rei traxit, vectusque Romam, principis aditum emeratus, expromit repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniae, sed rudi et antiquo pondere; lateres quippe praegraves iacere, astantibus parte alia columnis; quae per tantum aevi occulta augendis praesentibus bonis. ceterum, ut coniectura demonstrat, Dido Phoenissam Tyro profugam condita Carthagine illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret, aut reges Numidarum, et alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur.
- 2 Igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata nec missis per quos nosceret an vera adferrentur, auget ultro rumore mittitque qui velut paratam praedam adveherent; dantur triremes et delectum remigium iuvandae festinationi, nec aliud per illos dies populus credulitate, prudentes diversa fama tulere; ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur; adulatoribus oratoribusque praecipua materia in laudem principis adsumpta est: non enim solitas tantum fruges nec confusum metallis aurum gigni, sed nova ubertate provenire terram et obvias opes deferre deos; quaeque alia summa facundia nec minore adulatione servilia fingeant, securi de facilitate credentis.
- 3 Gliscebat interim luxuria spe inani consumebanturque veteres opes quasi oblatas quas multos per annos prodigeret; quin et inde iam largiebatur, et divitiarum expectatio inter causas paupertatis publicae erat. nam Bassus effosso agro suo latisque circum arvis, dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat, sequunturque non modo milites sed populus agrestium efficiendo operi adsumptus, tandem posita vecordia, non falsa antea somnia sua, seque tunc primum elusum admirans, pudorem et metum morte voluntaria effugit. quidam vinctum ac mox dimissum tradidere, ademptis bonis in locum regiae gazae.
- 4 Interea senatus propinquo iam lustrali certamine, ut dedecus averteret, offert imperatori victoriam cantus adicitque facundiae coronam, qua ludicra deformitas velare-

p. Ch. 65.

tur; sed Nero nihil ambitu nec potestate senatus opus esse dictitans, se aequum adversum aemulos et religione iudicum meritam laudem adsecuturum, primo carmen in scena recitat; mox flagitante vulgo ut omnia studia sua publicaret — haec enim verba dixere — ingreditur theatrum cunctis citharae legibus obtemperans, ne fessus resideret, ne sudorem nisi ea quam indutui gerebat veste detergeret, ut nulla oris aut narium excrementa viserentur. postremo flexus genu et coetum illum manu veneratus sententias iudicum opperiebatur ficto pavore; et plebs quidem urbis, histrionum quoque gestus iuvare solita, personabat certis modis plausuque composito: crederes laetari; ac fortasse laetabantur per incuriam publici flagitii; sed qui remotis e municipiis severamque adhuc et antiqui moris retinentes Italiam, quique per longinquas provincias lascivia inexpecti officio legationum aut privata utilitate advenerant, neque aspectum illum tolerare neque labori inhonesto sufficere, cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros ac saepe a militibus verberarentur, qui per cuneos stabant, ne quod temporis momentum impari clamore aut silentio segni praeteriret. constitit plerosque equitum, dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur, obritos, et alios, dum diem noctemque sedilibus continuant, morbo exitiabili correptos: quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palam et pluribus occultis, ut nomina ac voltus, alacritatem tristitiamque coeuntium scrutarentur; unde tenuioribus statim inrogata supplicia, adversum illustres dissimulatum ad praesens et mox redditum odium. ferebantque Vespasianum, tamquam somno conniveret, a Phoebio liberto increpitem aegreque meliorum precibus obtectum, mox imminentem perniciem maiore fato effugisse.

Post finem ludicri Poppaea mortem obiit, fortuita mariti iracundia, a quo gravida ictu calcis afflicta est; neque enim venenum crediderim, quamvis quidam scriptores tradant, odio magis quam ex fide: quippe liberorum cupiens et amoris uxoris obnoxius erat. corpus non igni abolitum, ut Romanus mos, sed regum externorum consuetudine differentum odoribus conditur tumuloque Iuliorum infertur; ductae tamen publicae exequiae laudavitque ipse apud rostra for-

nam eius et quod divinae infantis parens fuisset, aliaque fortunae munera pro virtutibus.

- 7 Mortem Poppaeae ut palam tristem, ita recordantibus lactam ob inpudicitiam eius saevitiamque, nova insuper invidia Nero complevit prohibendo C. Cassium officio exequiarum, quod primum indicium mali; neque in longum dilatatum est; sed Silanus additur, nullo crimine, nisi quod Cassius opibus vetustis et gravitate morum, Silanus claritudine generis et modesta iuventa praecelebant. igitur missa ad senatum oratione removendos a re publica utrosque disseruit, obiectavitque Cassio quod inter imagines maiorum etiam C. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam: „duci partium“; quippe semina belli civilis et defectionem a domo Caesarum quaesitam. ac ne memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur, adsumpsisse L. Silanum, iuvenem genere nobilem, animo praeruptum, quem novis rebus ostentaret.
- 8 Ipsum dehinc Silanum increpuit isdem quibus patrum eius Torquatum, tamquam disponderet iam imperii curas praeficeretque rationibus et libellis et epistulis libertos, inania simul et falsa; nam Silanus intentior metu et exitio patrum ad praecavendum exterritus erat. inducit posthac vocabulo indicum, qui in Lepidam, Cassii uxorem, Silani amitam, incestum cum fratris filio et diros sacrorum ritus confingerent. trahebantur ut conscii Volcatius Tullinus ac Marcellus Cornelius senatores et Calpurnius Fabatus, eques Romanus; qui appellato principe instantem damnationem frustrati, mox Neronem circa summa scelera distentum quasi minores
- 9 evasere. tunc consulto senatus Cassio et Silano exilia decernuntur: de Lepida Caesar statueret. deportatusque in insulam Sardiniam Cassius, et senectus eius exspectabatur; Silanus, tamquam Naxum deveheretur, Ostiam amotus, post municipio Apuliae, cui nomen Barium est, clauditur. illic indignissimum casum sapienter tolerans, a centurione ad caedem misso corripitur, suadentique venas abrumpere, animum quidem morti destinatum ait, sed non permittere percussori gloriam ministerii. at centurio, quamvis inermem, praevalidum tamen et irae quam timori propiorem cernens premi a militibus iubet; nec omisit Silanus obniti et intendere ictus, quantum manibus nudis

p. Ch. 65.

valebat, donec a centurione volueribus adversis tamquam in pugna caderet.

Haud minus prompte L. Vetus socrusque eius Sextia et 10 Pollucia filia necem subiere, invisi principi tamquam vivendo exprobrarent interfectum esse Rubellium Plautum, generum Lucii Veteris. sed initium detegendae saevitiae praebuit interservis patroni rebus ad accusandum transgrediens Fortunatus libertus, adscito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum a Vetere Asiae proconsule exsolvit Nero in praemium accusationis; quod ubi cognitum reo, seque et libertum pari sorte componi, Formianos in agros digreditur. illic eum milites occulta custodia circumdant. aderat filia, super ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti, mariti sui, viderat, cruentamque cervicem eius amplexa servabat sanguinem et vestes respersas, vidua inplexa luctu continuo nec ullis alimentis nisi quae mortem arcerent. tum hortante patre Neapolim pergit, et quia aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens, audiret insontem neve consulatus sui quondam collegam dederet liberto, modo muliebri eiulatu, aliquando sexum egressa voce infensa clamitabat, donec princeps immobilem se precibus et invidiae iuxta ostendit. ergo nuntiat patri abicere spem et uti necessitate. 11 simul affertur parari cognitionem senatus et trucem sententiam; nec defuere qui monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare atque ita nepotibus de reliquo consulere. quod aspernatus, ne vitam proxime libertatem actam novissimo servitio foedaret, largitur in servos quantum aderat pecuniae; et si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tris modo lectulos ad suprema retineri iubet. tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abscindunt venas, properique et singulis vestibibus ad verecundiam velati balineis inferuntur, pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens, et certatim precantes labenti animae celerem exitum, ut relinquere suos superstites et morituros. servavitque ordinem fortuna ac seniores prius, tum cui prima aetas, extinguuntur. accusati post sepulturam decretumque ut more maiorum punirentur; et Nero intercessit, mortem sine arbitro permittens: ea caedibus peractis ludibria adiciebantur.

Publius Gallus, eques Romanus, quod Faenio Rufo inti- 12

mus et Veteri non alienus fuerat, aqua atque igni prohibitus est. liberto et accusatori praemium operae locus in theatro inter viatores tribunicios datur. et mensis qui Aprilem eundemque Neroneum sequebatur, Maius, Claudii, Iunius Germanici vocabulis mutantur, testificante Cornelio Orfito, qui id censuerat, ideo Iunium mensem transmissum, quia duos iam Torquati ob scelera interfecti infaustum nomen Iunium fecissent.

- 13 Tot facinoribus foedum annum etiam dii tempestatibus et morbis insignivere: vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disiecit pertulitque violentiam ad vicina urbi; in qua omne mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur, nulla caeli intemperie, quae occurreret oculis; sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur; non sexus, non aetas periculo vacua; servitia perinde et ingenua plebes raptim extinguere, inter coniugum et liberorum lamenta, qui dum assident, dum deflent, saepe eodem rogo cremabantur. equitum senatorumque interitus, quamvis promiscui, minus flebiles erant, tamquam communi mortalitate saevitiam principis praevenirent.

Eodem anno dilectus per Galliam Narbonensem Africamque et Asiam habiti sunt splendidi Illyricis legionibus, ex quibus aetate aut valetudine fessi sacramento solvebantur. cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est princeps, ut amissa urbi reponerent; quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant urbis casibus.

- 14 C. SÜETONIO, LUCCIO TELESINO consulibus Antistius Sossianus, factitatis in Neronem carminibus probrosis exilio, ut dixi, multatus, postquam id honoris indicibus tamque promptum ad caedes principem accepit, inquieto animo et occasione haud segnis Pammenem, eiusdem loci exulem et Chaldaeorum arte famosum eoque multorum amicitii innexum, similitudine fortunae sibi conciliat. ventitare ad eum nuntios et consultationes non frustra ratus, simul annuam pecuniam a P. Anteio ministrari cognoscit; neque nescium habebat Anteium caritate Agrippinae invisum Neroni, opesque eius praecipuas ad eliciendam cupidinem, eamque causam multis exitio esse. igitur interceptis Anteii litteris, furatus etiam libellos quibus dies genitilis eius et eventura secretis Pammenis occultabantur, simul repertis quae de ortu vitaeque Ostorii

p. Ch. 66.

Scapulae composita erant, scribit ad principem magna se et quae incolumitati eius conducerent adlaturum, si brevem exilii veniam inpetravisset: quippe Anteium et Ostorium imminere rebus et sua Caesarisque fata scrutari. exim missae liburnicae, advehiturque propere Sosianus; ac vulgato eius indicio inter damnatos magis quam inter reos Anteius Ostoriusque habebantur, adeo ut testamentum Anteii nemo obsignaret, nisi Tigellinus auctor extitisset monito prius Anteio ne supremas tabulas moraretur. atque ille hausto veneno, tarditatem eius perosus intercisus venis mortem adproperavit.

Ostorius longinquis in agris apud finem Ligurum id 15 temporis erat. eo missus centurio, qui caedem eius maturaret. causa festinandi ex eo oriebatur quod Ostorius multa militari fama et civicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corporis *robore* armorumque scientia metum Neroni fecerat ne invaderet pavidum semper et reperta nuper coniuratione magis exterritum. igitur centurio, ubi effugia villae clausit, iussa imperatoris Ostorio aperit. is fortitudinem saepe adversum hostes spectatam in se vertit; et quia venae, quamquam interruptae, parum sanguinis effundebant, hactenus manu servi usus ut inmotum pugionem extolleret, adpressit dextram eius iuguloque occurrit.

Etiam si bella externa et obitas pro re publica mortes 16 tanta casuum similitudine memorarem, meque ipsum satias cepisset aliorumque taedium expectarem, quamvis honestos civium exitus, tristes tamen et continuos aspernantium: at nunc patientia servilis tantumque sanguinis domi perditum fatigant animum et maestitia restringunt; neque aliam defensionem ab iis quibus ista noscentur exegerim, quam ne oderim tam segniter pereuntes: ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non, ut in cladibus exercituum aut captivitate urbium, semel edito transire licet. detur hoc illustrium virorum posteritati, ut quomodo exequiis a promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.

Paucos quippe intra dies eodem agmine Annaeus Mela, 17 Cerialis Anicius, Rufus Crispinus, [ac] T. Petronius cecidere, Mela et Crispinus equites Romani dignitate senatoria;

nam hic quondam praefectus praetorii et consularibus insignibus donatus ac nuper crimine coniurationis in Sardiniam exactus accepto iussae mortis nuntio semet interfecit; Mela, quibus Gallio et Seneca parentibus natus, petitione honorum abstinuerat per ambitionem praeposteram, ut eques Romanus consularibus potentia aequaretur; simul acquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes, administrandis principis negotiis. idem Annaeum Lucanum genuerat, grande adiumentum claritudinis; quo interfecto dum rem familiarem eius acriter requirit, accusatorem concivit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis: mixta inter patrem filiumque coniurationis scientia fingitur, adsimilatis Lucani litteris; quas inspectas Nero ferri ad eum iussit, opibus eius inhians. at Mela, quae tum promptissima mortis via, exsolvit venas, scriptis codicillis quibus grandem pecuniam in Tigellinum generumque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. addit[ur] codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens ita scripsisset, se quidem mori nullis supplicii causis, Rufum autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi: quae composita credebantur de Crispino, quia interfectus erat, de Ceriale, ut interficeretur. neque enim multo post vim sibi attulit, minore quam ceteri miseratione, quia proditam C. Caesari coniurationem ab eo meminerant.

- 18 De Petronio pauca supra repetenda sunt: nam illi dies per somnum, nox officii et oblectamenti vitae transigebatur, utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. ac dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui neglegentiam praeferebant, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur; proconsul tamen Bithyniae et mox consul vigentem se ac parem negotiis ostendit; dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset; unde invidia Tigellini quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potiore. ergo crudelitatem principis, cui ceterae libidines cedebant, adgreditur; amicitiam Scaevini Petronio ob-

p. Ch. 66.

iectans, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione et maiore parte familiae in vincla rapta.

Forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar, et Cu- 19
mas usque progressus Petronius illic attinebatur. nec tulit ultra timoris aut spei moras; neque tamen praeceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas aperire rursum et alloqui amicos, non per seria aut quibus gloriam constantiae peteret; audiebatque referentes nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus. servorum alios largitione, quosdam verberibus affecit. iniit epulas, somno indulsit, ut quamquam coacta mors fortuitae similis esset. ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque et novitatem cuiusque stupri perscripsit atque obsignata misit Neroni; fregitque anulum, ne mox usui esset ad facienda pericula.

Ambigenti Neroni quonam modo noctium suarum ingenia 20
notescerent, offertur Silia, matrimonio senatoris haud ignota et ipsi ad omnem libidinem adscita ac Petronio perquam familiaris; agitur in exilium, tamquam non siluisset quae videbat pertuleratque, proprio odio: at Minucium Thermum, praetura functum, Tigellini simultatibus dedit, quia libertus Thermi quaedam de Tigellino criminosae detulerat, quae cruciatus tormentorum ipse, patronus eius nece inmerita lueret.

Trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero vir- 21
tutem ipsam excindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano, olim utrisque infensus, et accedentibus causis in Thraseam, quod senatu egressus est cum de Agrippina referretur, ut memoravi, quodque Iuvenalium ludicro parum expectabilem operam praebuerat, eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavii, unde ortus erat, ludis *cetastis* a Troiano Antenore institutis habitu tragico cecinerat. die quoque quo praetor Antistius ob probra in Neronem composita ad mortem damnabatur, mitiora censuit obtinuitque; et cum deum honores Poppaeae decernuntur, sponte absens, funeri non interfuerat. quae obliterari non sinebat Capito Cossutianus, praeter animum ad flagitia praecipitem iniquus Thraseae, quod auctoritate eius concidisset, iuvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum in-

terrogant. quin et illa obiectabat, principio anni vitare Thraseam sollemne ius iurandum, nuncupationibus votorum non adesse, quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditum, numquam pro salute principis aut caelesti voce immolavisse, assiduum olim et indefessum, qui vulgaribus quoque patrum consultis semet fautorem aut adversarium ostenderet, triennio non introisse curiam nuperrimeque, cum ad coercendos Silanum et Veterem certatim concurreretur, privatis potius clientium negotiis vacavisse: secessionem iam id et partes et, si idem multi audeant, bellum esse. „ut quondam C. Caesarem“ inquit „et M. Catonem, ita nunc te, Nero, et Thraseam avida discordiarum civitas loquitur; et habet sectatores vel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum sed habitum voltumque eius sectantur, rigidi et tristes, qui tibi lasciviam exprobrent. huic uni incolumitas tua sine cura, artes sine honore. prosperas principis res spernit: etiamne luctibus et doloribus non satiatur? eiusdem animi est Poppacam divam non credere, cuius in acta divi Augusti et divi Iulii non iurare. spernit religiones, abrogat leges. diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasca non fecerit. aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt, aut nova cupientibus auferatur dux et auctor. ista secta Tuberones et Favonios, veteri quoque rei publicae ingrata nomina, genuit. ut imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterint, libertatem ipsam adgredientur. frustra Cassium amovisti, si gliscere et vigere Brutorum aemulos passurus es. denique nihil ipse de Thrasca scripseris: disceptatorem senatum nobis relinque.“ extollit ira promptum Cossutiani animum Nero adicitque Marcellum Eprium, acri eloquentia.

23 At Baeam Soranum iam sibi Ostorius Sabinus, eques Romanus, poposcerat reum ex proconsulatu Asiae, in qua offensiones principis auxit iustitia atque industria et quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat, vimque civitatis Pergamenaе, prohibentis Acratum, Caesaris libertum, statuas et picturas evehere, inultam omiserat: sed crimini dabatur amicitia Plauti et ambitio conciliandae provinciae ad spes novas. tempus damnationi delectum quo Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat, ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur, an ut

p. Ch. 66.

magnitudinem imperatoriam caede insignium virorum quasi regio facinore ostentaret.

Igitur omni civitate ad excipiendum principem spectan- 24
dumque regem effusa, Thrasea occursum prohibitus non demisit animum, sed codicillos ad Neronem composuit, requirens obiecta et expurgaturum adseverans, si notitiam criminum et copiam diluendi habuisset. eos codicillos Nero properanter accepit, spe exterritum Thraseam scripsisse per quae claritudinem principis extolleret suamque famam dehonestaret; quod ubi non evenit, vultumque et spiritus et libertatem insontis ultro extimuit, vocari patres iubet.

Tum Thrasea inter proximos consultavit, temptaretne 25
defensionem an sperneret. diversa consilia adferebantur: quibus intrari curiam placebat, securos esse de constantia eius disserunt; nihil dicturum nisi quo gloriam auget; segnes et pavidos supremis suis secretum circumdare: aspiceret populus virum morti obvium, audiret senatus voces quasi ex aliquo numine supra humanas; posse ipso miraculo etiam Neronem permoveri: sin crudelitati insisteret, distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium pereuntium.

Contra, qui opperendum domi censebant, de ipso Thra- 26
sea eadem: sed ludibria et contumelias imminere; subtraheret aures conviciis et probris. non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promptos: superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem adgesturi sint; etiam bonos metu sequi: detraheret potius senatui, quem peroravisset, infamiam tanti flagitii et relinqueret incertum, quid viso Thrasea reo decreturi patres fuerint. ut Neronem flagitiorum pudor caperet, inrita spe agitari, multoque magis timendum ne in coniugem, in familiam, in cetera pignora eius saeviret: proinde intemeratus, inpollutus, quorum vestigiis et studiis vitam duxerit, eorum gloria peteret finem.

Aderat consilio Rusticus Arulenus, flagrans iuvenis et cupidine laudis offerebat se intercessurum senatus consulto: nam plebi tribunus erat. cohibuit spiritus eius Thrasea, ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet; sibi actam aetatem, et tot per annos continuum vitae ordinem non deserendum: illi initium magistratum et integra quae supersint. multum ante secum expenderet quod tali in tem-

pore capessendae rei publicae iter ingrederetur. ceterum ipse, an venire in senatum deceret, meditationi suae reliquit.

27 At postera luce duae praetoriae cohortes armatae templum Genetricis Veneris insidere. aditum senatus globus togatorum obsederat non occultis gladiis, dispersique per fora ac basilicas cunei militares, inter quorum aspectus et minas ingressi curiam senatores, et oratio principis per quaestorem eius audita est: nemine nominatim compellato patres arguebat quod publica munia desererent eorumque exemplo equites Romani ad segnitiam uterentur: etenim quid mirum e longinquis provinciis haud veniri, cum plerique adepti consulatum et sacerdotia hortorum potius amoenitati inservirent?

28 Quod velut telum corripuere accusatores. et initium faciente Cossutiano, maiore vi Marcellus summam rem publicam agi clamitabat: contumacia inferiorum lenitatem imperitantis deminui. nimium mites ad eam diem patres, qui Thrascam desciscentem, qui generum eius Helvidium Priscum in isdem furoribus, simul Paconium Agrippinum, paterni in principes odii heredem, et Curtium Montanum detestanda carmina factitantem eludere inpune sinerent. requirere se in senatu consularem, in votis sacerdotem, in iure iurando civem, nisi contra instituta et caerimonias maiorum proditorem palam et hostem Thrasea induisset. denique agere senatorem et principis obtrectatores protegere solitus veniret, censeret quid corrigi aut mutari vellet: facilius perlaturos singula increpantem quam nunc silentium perferrent omnia damnantis. pacem illi per orbem terrae, an victorias sine damno exercituum displicere? ne hominem bonis publicis maestum, et qui fora, theatra, templa pro solitudine haberet, qui minitaretur exilium suum, ambitionis pravae compotem facerent. non illi consulta haec, non magistratus aut Romanam urbem videri: abrumperet vitam ab ea civitate cuius caritatem olim, nunc et aspectum exuisset.

29 Cum per haec atque talia Marcellus, ut erat torvus ac minax, voce, vultu, oculis ardesceret, non illa nota et crebri- tate periculorum sueta iam senatus maestitia, sed novus et altior pavor manus et tela militum cernentibus; simul ipsius Thraseae venerabilis species observabatur; et erant qui Helvidium quoque miserarentur, innoxiae adfinitatis poenas daturum; quid Agrippino obiectum nisi tristem patris

p. Ch. 66.

fortunam, quando et ille patinde innocens Tiberii saevitia concidisset; enimvero Montanum probae iuventae neque famosi carminis, sed quia protulerit ingenium, extorrem agi.

Atque interim Ostorius Sabinus, Sorani accusator, ingreditur orditurque de amicitia Rubellii Plauti, quodque proconsulatum Asiae Soranus pro claritate sibi potius adcommodatum quam ex utilitate communi egisset, alendo seditioes civitatum. vetera haec: sed recens et quo discrimini patris filiam connectebat, quod pecuniam magis dilargita esset. acciderat sane pietate Serviliae — id enim nomen puellae fuit — quae caritate erga parentem, simul imprudentia aetatis, non tamen aliud consultaverat quam de incolumitate domus, et an placabilis Nero, an cognitio senatus nihil atrox adferret. igitur accita est in senatum, steteruntque diversi ante tribunal consulum grandis aevo parens, contra filia intra vicesimum aetatis annum, nuper marito Annio Pollione in exsilium pulso viduata desolataque ac ne patrem quidem intuens, cuius onerasse pericula videbatur.

Tum interrogante accusatore, an cultus dotales, an detractum cervici monile venum dedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris contraheret, primum strata humi longoque fletu et silentio, post altaria et aram complexa „nullos“ inquit „impios deos, nullas devotiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi quam ut hunc optimum patrem tu, Caesar, vos, patres, servaretis incolumem. sic gemmas et vestes et dignitatis insignia dedi, quomodo si sanguinem et vitam poposcissent: viderint isti, antehac mihi ignoti, quo nomine sint, quas artes exerceant. nulla mihi principis mentio nisi inter numina fuit; nescit tamen miserrimus pater et, si crimen est, sola deliqui.“

Loquentis adhuc verba excipit Soranus proclamatque non illam in provinciam secum profectam, non Plauto per aetatem nosci potuisse, non criminibus mariti connexam: nimiae tantum pietatis ream separarent, atque ipse quamcumque sortem subiret. simul in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi interiecti hictores utrisque obstitissent. mox datus testibus locus: et quantum misericordiae saevitia accusationis permoverat, tantum irae P. Egnatius testis concivit; cliens hic Sorani et tunc emptus ad opprimendum amicum auctoritatem Stoicae sectae praeferebat, habitu et ore ad ex-

primendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, subdolus, avaritiam ac libidinem occultans; quae postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum praecavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces.

33 Idem tamen dies et honestum exemplum tulit Cassii Asclepiodoti, qui magnitudine opum praecipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit, exutusque omnibus fortunis et in exilium actus, aequitate deum erga bona malaque documenta. Thrascæ Soranoque et Serviliae datur mortis arbitrium; Helvidius et Paconius Italia depelluntur; Montanus patri concessus est, praedicto ne in re publica haberetur. accusatoribus Eprio et Cossutiano quinquagies sestertium singulis, Ostorio duodecies et quaestoria insignia tribuuntur.

34 Tum ad Thrascam in hortis agentem quaestor consulis missus vesperscente iam die; illustrium virorum feminarumque coctus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio, Cynicae institutionis doctore, cum quo, ut coniectare erat intentione vultus et auditis, si qua clarius proloquebantur, de natura animae et dissociatione spiritus corporisque inquirebat, donec advenit Domitius Caecilianus, ex intimis amicis, et ei quid senatus censuisset exposuit. igitur flentes queritantesque, qui aderant, facessere prope Thrascam ne pericula sua miscere cum sorte damnati hortatur, Arriamque temptantem mariti suprema et exemplum Arriae matris sequi monet retinere vitam filiaeque communi subsidium unicum non adimere.

35 Tum progressus in porticum, illic a quaestore reperitur, laetitiae propior, quia Helvidium, generum suum, Italia tantum arceri cognoverat. accepto dehinc senatus consulto Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit, porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quaestore „libamus“ inquit „Iovi liberatori. specta, iuvenis; et omen quidem dii prohibeant: ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis.“ post lentitudine exitus graves cruciatus afferente, obversis in Demetrium ***

IMPERATORIS CLAUDII

ORATIONIS DE IURE HONORUM GALLIS CONCEDENDO HABITAE,
 CUIUS ARGUMENTUM RETTULIT TACITUS ANN. LIB. XI, 24,

FRAGMENTA

LUGUDUNI IN TABULA AENEA SERVATA.

I.

mae rerum nostr. siii

Equidem primam omnium illam cogitationem hominum, quam maxime primam occurruram mihi provideo, deprecor, ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis, sed illa potius cogitetis, quam multa in hac civitate novata sint, et quidem statim ab origine urbis nostrae, in quod formas statusque res p. nostra diducta sit.

Quondam reges hanc tenuere urbem, nec tamen domesticis successoribus eam tradere contigit. supervenere alieni et quidam externi, ut Numa Romulo successerit ex Sabinis veniens, vicinus quidem, sed tunc externus, ut Anco Marcio Priscus Tarquinius. *is* propter temeratum sanguinem, quod patre Demarato Corinthio natus erat et Tarquiniensi matre generosa sed inopi, ut quae tali marito necesse habuerit succumbere, cum domi repelleretur a gerendis honoribus, postquam Romam migravit, ¹⁵ regnum adeptus est. huic quoque et filio nepotivae eius, nam et hoc inter auctores discrepat, insertus Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Oeresia, si Tuscos, Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque eius casus comes, postquam varia fortuna exactus cum omnibus reliquiis Caeliani ²⁰ exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit et a duce suo Caelio ita appellatum mutatoque nomine, nam Tusce Mastarna ei nomen erat, ita appellatus est, ut dixi, et regnum summa cum rei p. utilitate optinuit. deinde postquam Tarquini Superbi mores in visi civitati nostrae esse coeperunt, qua ipsius qua filiorum eius, ²⁵ nempe pertaesum est mentes regni, et ad consules, annuos magistratus, administratio rei p. translata est.

Quid nunc commemorem dictaturae hoc ipso consulari imperium valentius repertum apud maiores nostros, quo in asperioribus bellis aut in civili motu difficiliore uterentur? ³⁰ aut in auxilium plebis creatos tribunos plebei? quid a consulibus ad decemviros translatum imperium, solutoque postea decemvirali regno ad consules rursus reditum? quid in pluris distributum consulare imperium tribunosque militum consulari imperio appellatos, qui seni et saepe octoni crearen- ³⁵

322
tur? quid communicatos postremo cum plebe honores non imperii
solum sed sacerdotiorum quoque? iam si narrem bella, a quibus
coeperint maiores nostri, et quo processerimus, vereor ne nimio
40 insolentior esse videar et quaesisse iactationem gloriae pro-
lati imperi ultra Oceanum. sed illoc potius revertar. civitatem

II.

..... lsi sane
novo divus Aug..... no..... l set patruus Ti.
Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum, bo-
norum scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit.
5 quid ergo? non Italicus senator provinciali potior est? iam
vobis cum hanc partem censurae meae adprobare coepero, quid
de ea re sentiam, rebus ostendam. sed ne provinciales quidem,
si modo ornare curiam poterint, reiciendos puto.

Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium quam
10 longo iam tempore senatores huic curiae confert! ex qua
colonia inter paucos equestris ordinis ornamentum, L. Vestinum, fa-
miliarissime diligo et hodieque in rebus meis detineo; cuius libe-
ri fruantur quaeso primo sacerdotiorum gradu, post modo cum
15 annis promoturi dignitatis suae incrementa. ut dirum nomen la-
tronis taceam, et odi illud palaesticum prodigium, quod ante in do-
mum consulatum intulit, quam colonia sua solidum civitatis Roma-
nae beneficium consecuta est. idem de fratre eius possum dicere,
miserabili quidem indignissimoque hoc casu, ut vobis utilis
senator esse non possit.

20 Tempus est iam, Ti. Caesar Germanice, detegere te patribus conscriptis
quo tendat oratio tua: iam enim ad extremos fines Galliae Nar-
bonensis venisti.

Tot ecce insignes iuvenes, quot intueor, non magis sunt paenitendi
senatores, quam paenitet Persicum, nobilissimum virum, ami-
25 cum meum, inter imagines maiorum suorum Allobrogici no-
men legere. quod si haec ita esse consentitis, quid ultra desidera-
tis quam ut vobis digito demonstrarem solum ipsum ultra fines
provinciae Narbonensis iam vobis senatores mittere, quando
ex Luguduno habere nos nostri ordinis viros non paenitet?
30 timide quidem, p. c., egressus adsuetos familiares que vobis
provinciarum terminos sum, sed destricte iam comatae Galliae
causa agenda est. in qua si quis hoc intuetur, quod bello per de-
cem annos exercuerunt divom Iulium, idem opponat centum
annorum immobilem fidem obsequiumque multis trepidis re-
35 bus nostris plusquam expertum. illi patri meo Druso Germaniam
subigenti tutam quiete sua securamque a tergo pacem praes-
titerunt, et quidem cum ab census novo tum opere et in ad sue-
to Gallis ad bellum avocatus esset. quod opus quam ar-
duum sit nobis, nunc cum maxime, quam vis nihil ultra quam
40 ut publice notae sint facultates nostrae exquiratur, nimis
magno experimento cognoscimus.

